BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
23 B
30
14-B-a 17

Digitized by

CVRSVS PHILOSOPHICI

Ex doctrina ſapientiſſimi Mag.

FR. DOMINICI DE SOTO ORD. PRAED.

collecti

PER FR. COSMAM DE LERMA eiuſdem Ordinis Sacræ Theologiæ Magiſtrum.

TOMVS TERTIVS.

QVAESTIONES in vniuerſam Phiſicam amplectens.

ROMAE,
Typis Nicolai Angeli Tinaſsij
M. DC. LIX.

Superiorum permiſſu.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

INDEX

Quæſtionum, Quæ in hoc tomo continentur.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

QVÆSTIONES Proœmialibus pagina 1.
Quæſtio 1. Vtrum Philoſophia ſit ſcientia ſpeculatiua vnius athomę ſpeciei, 1.
Quæſtio 2. Vtrum ens mobile ſubſtantiale ſit obiectum Philoſophiæ, 10.
LIBER I Phiſicorum, pag. 25.
Summa Textus, pag. 26.
Quæſtio 1. Vtrum ab vniuerſalioribus ad minus vniuerſalia ſit nobis in cognitione procedendum, 27.
Quæſtio 2. Vtrum via originis cognitione confuſa ens ſit primo cognitum à noſtro intellectu, 33.
Quæſtio 3. Vtrum ens materiale ſit primo cognitum cognitione confuſa pro hoc ſtatu à noſtro intellectu? 49.
Quæſtio 4. Vtrum principia entis naturalis ſint tantum tria, & ſint contraria, 57.
Quæſtio 5. Vtrum detur materia prima, & an ſit realiter à forma diſtincta, quid ſit, & quam habeat vnitatem, pag. 72.

Quæſtio 6. Vtrum exiſtentia in rebus creatis diſtinguatur realiter ab eſſentia, 82.
Quæſtio 7. Vtrum materia prima ex ſe habeat propriam exiſtentiam, 102.
Quæſtio 8. Vtrum de potentia Dei abſoluta materia prima poſſit exiſtere ſine omni forma, 120.
Quæſtio 9. Vtrum in materia ſit aptitudo, appetitus & potentia ad formam, & formæ ſubſtantialis priuatio, 132.
Quæſtio 10. Vtrum detur forma ſubſtantialis diſtincta à materia, & quid illa ſit, 136.
Quæſtio 11. Quid ſit formam educi ex potentia materiæ, 141.
Quæſtio 12. Vtrum anima rationalis ſit educibilis ex potentia materiæ, 152.
Quæſtio 13. Vtrum formæ cœlorum & elementorum de facto in ſua prima productione fuerint eductæ ex potentia materiæ, 160.
Quæſtio 14. Vtrum formæ cœlorum & elementorum in prima ſui productione potuerint educi ex potentia materiæ, 171.
Quæſtio 15. Vtrum formæ accidentales educantur ex potentia ſubiecti, 180.
Quæſtio 16. Vtrum ad vnionem materię cum forma aliquis modus ab vtraque

que realiter diſtinctus interueniat, 185
Quæſtio 17. Vtrum totum diſtinguatur realiter ab eius partibus ſimul ſumptis. 197.
Quæſtio 18. Quid ſint termini magnitudinis, & paruitatis, & quæ certa in hac materia ſupponantur, 211.
Quæſtio 19. Vtrum viuentia habeant terminum intrinſecum ſuæ magnitudinis, 216.
Quæſtio 20. Vtrum non viuentia corruptibilia habeant terminum intrinſecũ ſuæ magnitudinis, 229.
Quæſtio 21. Vtrum corpora corruptibilia viuentia, & non viuentia via generationis, & debita conſeruationis habeant terminum intrinſecum paruitatis, 236.
LIB. II. Phiſicorum Summa textus pag. 250.
Quæſtio 1. Vtrum natura recte definiatur ab Ariſtotele, 251.
Quæſtio 2. Quibus competat ratio & definitio naturæ, 255.
Quæſtio 3. Vtrum cœlum habeat naturam, 261.
Quæſtio 4. Quid ſit violentum, & qualiter à naturali, & præternaturali diſtinguatur, 270.
Quæſtio 5. Vtrum naturalia diſtinguantur ab artificialibus, 277.

Quæſtio 6. Quid ſit cauſa, & an ſit à ſuo effectu realiter diſtincta, prior & perfectior illo, 281.
Quæſtio 7. Vtrum cauſa adequate, & vniuoce in quatuor cauſarum genera diuidatur, 285.
Quæſtio 8. In quo conſiſtat ratio cauſæ, cauſalitas & effectus materiæ, & formæ, 288.
Quæſtio 9. Vtrum idea ſeu exemplar ſit vere cauſa, & ad quod genus cauſæ pertineat, 295.
Quæſtio 10. Quid & quotuplex ſit cauſa efficiens, 300.
Quæſtio 11. Vtrum forma ſubſtantialis ſit principium quo agens operatur, pag. 308.
Quæſtio 12. Vtrum forma ſubſtantialis non ſolum ſit principale, ſed & immediatum principium quo producendi aliam ſubſtantiam, 318.
Quæſtio 13. Vtrum cauſa prima non ſolum tribuat virtutes actiuas cauſis ſecundis ſed & ad omnes earum effectus immediate concurrat, 340.
Quæſtio 14 Vtrum præter concurſum ſimultaneum, quo immediate Deus producit effectus, detur concurſus præuius, quo cauſam creatam phiſice præmoueat ad operandum, 349.

Queſtio 15. Vtrum omne inſtrumentum phiſicum vt ad effectum concurrat principalis agentis, aliqua indigeat motione, 374.
Queſtio 16. Vtrum omne inſtrumentum phiſicum debeat habere virtute propria aliquam actionem, per quam diſpoſitiue operetur ad effectum principalis agentis, 392.
Quæſtio 17. Quid & quotuplex ſit finis, & an inter cauſas reales enumeretur. pag. 400.
Quæſtio 18. Vtrum apprehenſio, an ipſa bonitas finis ſit ratio formalis finalizandi, 404.
Quæſtio 19. Quę ſit cauſalitas finis, 418.
Quæſtio 20. Vtrum idem numero effectus poſſit à duplici cauſa efficienti totali diuiſiue procedere, 434.
Quæſtio 21. Vtrum etiam ſi idem numero effectus à duplici cauſa efficienti creata particulari, & totali poſſet diuiſiue procedere; poſſit etiam ab vtraque ſimul prodire, 442.
Quæſtio 22. Quæ ſit fortuna, caſus & fatum, 451.
LIB. III. Phiſicorum Summa textus, 456.
Quæſtio 1. Vtrum definitio motus ſit bona, 457.
Quæſtio 2. Vtrum definitio motus co...ne-

petat etiam mutationibus inſtantaneis pag. 461.
Quæſtio 3. Vtrum motus realiter diſtinguatur à termino ad quem, 468.
Quæſtio 4. Qualiter diſtinguantur actio, paſsio, & motus, & quem inter ſe ordinem habeant, 475.
Quæſtio 5. Vtrum actio formaliter tranſiens ſit in agente, 479.
Quæſtio 6. Vtrum aliqua creatura poſſit eſſe infinita ſecundum eſſentiam, pag. 496.
Quæſtio 7. Vtrum poſſit dari infinitum in actu ſecundum magnitudinem, pag. 504.
Quæſtio 8. Vtrum implicet contradictionem dari infinitum in actu ſecundum multitudinem, 512.
Quæſtio 9. Vtrum poſſit dari infinitum in actu ſecundum intenſionem, 519.
LIBER IV. Phiſicorum Summa textus huius libri, pag. 523.
Quæſtio 1. Vtrum locus ſit vltima ſuperficies corporis continentis locatū, 524.
Quæſtio 2. Vtrū locus ſit ſuperficies immobilis prima, 533.
Quæſtio 3. Vtrum omnia corpora ſint in loco, 540.
Quæſtio 4 Vtrum corpora vendicent ſibi propria loca naturalia, & in quo

ra-

ratio loci naturalis conſiſtat. 547.
Quæſtio 5. Vtrum duo corpora poſſint eſſe penetratiue in eodem loco, 551.
Quæſtio 6. Vtrum vnum corpus poſſit eſſe ſimul in duobus locis, 560.
Quæſtio 7 Vtrum poſſit dari vacuum, pag. 578.
Quęſtio 8. Vtrum corpus poſſit moueri per vacuum, 586.
Quęſtio 9. Vtrum ſi corpus moueretur in vacuo, moueretur in inſtanti, 593.
Quæſtio 10. Vtrum tempus ſit aliquid reale à mobili, & motu diſtinctum, pag. 598.
Quęſtio 11. Quid ſit tempus, & qualiliter ab alijs menſuris ſecundum durationem diſtinguatur, 607.
Quęſtio 12. Vtrum partes temporis ſolum exiſtant ratione alicuius indiuiſibiliter inſtantis, 613.
LIB. V. Phiſicorum Summa textus, 624.
Quęſtio 1. Vtrum ad quantitatem qualitatem & vbi ſit per ſe motus, 625.
Quæſtio 2. Vtrum ad ſubſtantiam, & reliqua prędicamenta ſit per ſe motus, pag 632.
Quęſtio 3. A quo deſumatur vnitas formalis motus, 636.
Quęſtio 4. Quid requiratur ad vnitatem numericam motus, 645.

Quę-

Quæſtio 5. A quo deſumatur contrarietas motuum, 655.
LIB. VI. Phiſicorum Summa textus, 660.
Quæſtio 1. Vtrum continuam componatur ex indiuiſibilibus, 661.
Quæſtio 2. Qualiter incipiant motus, & illius indiuiſibilia, 681.
Quæſtio 3. Qualiter incipiant & deſinãt ſubſtãtię generabiles & corruptibiles, pag. 690.
Quæſt. 4. Qualiter incipiunt, ſubſtantiæ ingenerabiles & incorruptibiles, 697.
LIB. VII. Phiſicorum Summa textus, 701.
Quæſtio 1. Vtrum omne quod mouetur, ab alio moueatur, 702.
Quæſtio 2. Vtrum grauia & leuia moueantur à ſe, an vero à generante, 707.
Quæſtio 3. Qualiter moueantur violenter proiecta, 724.
Quæſtio 4. Vtrum agens & patiens debeant eſſe ſimul, 727.
LIB. VIII. Phiſicorum Summa textus, 736.
Quæſtio 1. Vtrum mundus de facto fuerit ab ęterno, 737.
Quæſtio 2. Vtrum aliquid creatum potuerit eſſe ab æterno, 743.
Quæſtio 3. Vtrum res ſucceſſiuæ potuerint eſſe ab ęterno, 748.
Quæſtio 4. Vtrum res permanentes potuerent eſſe ab ęterno, 753.

Ad

Ad Lectorem.

LIbentiſſime tibi (ſtudioſe Lector) poſt Summularum, & Logicæ iuxta doctrinam Venerabilis, & ſapientiſſimi noſtri Magiſtri Fr. Dominici Soto elaboratum opus, ex ipſiuſmet doctrina offero Philoſophiam. In qua re neutiquam, quod aliâs dixit Seneca, mea audebit aſſerere inſufficientia. *Multum egerunt qui fuerunt ante nos,* (inquit ipſe) *ſed non peregerunt*. Sic epiſt. 65. Quid namque limpidiſsimæ fonti turbidum cœnum? Sed accipe antiqua nouiter, & Vale.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſt. Sacri Palatij Apoſtolici.

M.A. Epiſc.Ierapol.Viceſg.

Imprimatur,

Fr.Raymundus Capiſuccus Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter Ordinis Prædicatorum.

QVÆSTIONES PROOEMIALES Ad octo libros Phiſicorum.

QVÆSTIO I.

Vtrum Philoſophia ſit ſcientia ſpeculatiua vnius athomæ ſpeciei.

VARIIS omiſſis acceptionibus Philoſophiæ, de quibus in proœmio ad octo libros Phiſicorum plures tractant Authores, accipimus hic Philoſophiam ſolum prout de ente mobili abſtrahente à materia ſingulari & concernente materiam ſenſibilē agit. Et licet de illa plures poſſemus diſputare quæſtiones proœmiales; quia tamen aliquæ illarum ex his quas 1. libro logicæ diſputauimus, facile poſſunt reſolui, duas ſolum, quæ ſpecialem de Phiſica ingerunt difficultatem, diſputabimus.

2 In ea autem quam propoſuimus, duo ſupponimus, & aliud inquirimus; Supponimus enim primo, Philoſophiam eſſe vere ſcientiam, quia re vera eſt habitus certus & euidens per demonſtrationē acquiſitus, & in ea per propria principia motus diuerſas de ente mobili paſſiones demonſtrantur. Nec huic veritati obſtat, quod cum ſcire ſit rem per cauſam cognoſcere, & quod illius eſt cauſa, & quod aliter ſe habere nō poteſt: plura ſunt circa quæ verſatur Philoſophia, vt quod in omni Vere ſunt tonitrua, & quod in omni hyeme ſunt frequentes pluuiæ, & ſimilia, quæ ſe aliter habere poſſunt. Non inquā, id obſtat, quia vt diximus in logica lib. 8. quæſt. 12. num. 3. non omnes ſcientiæ debent habere æqualem gradum certitudinis, & ſufficit ad rationē ſcientiæ, quod id quod demonſtratur, regulariter ſaltē aliter ſe habere non poſſit; & ſic ſaltem aliter ſe habere non poſſunt aliqua, quæ demōſtrat Philoſophia, licet quoad alia, quæ etiam demonſtrat, multo maiorem habeat certitudinem.

3 Supponimus ſecundo, Philoſophiā eſſe ſcientiam ſpeculatiuam, quia agit de rebus naturalibus, quarum plures nō ſunt à nobis operabiles, & ſi aliquæ ſint à nobis operabiles, de illis ac de omnibus alijs agit, non tradendo modū quo fiant (quod requirebatur, vt eſſet habitus practicus) ſed contemplando earum naturas, propriaſque de illis paſſiones demonſtrando,

do, quod eſt proprium habitus ſpeculatiui.

4 His ergo ſuppoſitis, quod inquirimus (quia aliquam ingerit ſpecialem difficultatem) eſt, an Philoſophia quoad omnes ſuas partes, & prout de quolibet ente mobili agit, prout videlicet comprehendit octo libros Phiſicorum, & libros de cœlo, de generatione, & de anima, ſit vna ſcientia eiuſdem athomæ ſpeciei.

5 Reſolutorie reſpondetur affirmatiue. Et pro concluſionis probatione ſupponēda ſunt quæ de ſpecificatione ſcientiarum in logica lib.1.q.6.& lib.8.q.15. diximus. Ex quibus ſic probatur concluſio. Vnitas ſpecifica ſcientiarum ab vnitate obiecti, nō in eſſe entis, ſed formaliter ineſſe obiecti & ſub abſtractione à materia eſt deſumenda. Sed obiectum Philoſophiæ quoad omnes ſuas partes, licet in eſſe entis nō ſit omnino formaliter idem, in eſſe tamē obiecti eſt eiuſdem athomæ ſpeciei, ſiquidem ſub eadem omnino conſideratur abſtractione à materia, vt abſtrahens videlicet à materia ſingulari, & concernens materiam ſenſibilem: ergo Philoſophia quoad omnes ſuas partes eſt vna formaliter ſciētia athomæ ſpeciei.

Confirmatur. Quia ſi propter aliquam maiorem abſtractionem, quæ intra abſtractionem à materia ſingulari in aliquibus partibus Philoſophiæ, quam in alijs reperitur, tractatus octo librorum Phiſicorū, tractatus de cœlo, tractatus de generatio-

ne, ac tractatus de anima, quatuor ob id conſt ituerent ſpecies athomas Philoſophiæ, vt aliqui contendunt, etiam in ipſo tractatu octo librorum Phiſicorum diſtingnerentur diuerſæ ſcientiæ ſpecie, ſiquidē in illis agitur de motu locali, qui abſtrahit ab aliqua materia ſenſibili, à qua non abſtrahunt partes compoſiti ſubſtantialis, de quibus agitur in 1. libro: & ſimiliter in tractatu de anima eſſet diſtincta ſpecies ſcientiæ illa, quæ agit de anima vegetatiua, ab illa quæ agit de anima rationali, ſiquidem obiectum huius abſtrahit ab aliqua materia ſenſibili, à qua non abſtrahit obiectum alterius.

6 Obijcies primo. Quod corpus naturale eſt obiectum totius Philoſophiæ. Sed illud, teſte D. Thom. 1. Poſteriorum, lect. 41. diuiditur in diuerſas ſpecies ſcibilis. Ergo & Philoſophia, quæ circa illud verſatur, in diuerſas ſpecies ſcientiæ diuiditur.

7 Reſpondetur primo, D. Thomam corpus naturale non accipere ibi ſtricte, prout nullatenus abſtrahit à materia ſenſibili, ſed in latiori acceptione, prout con diſtinguitur à corpore Mathematico, & comprehendit nō ſolum obiectum Philoſophiæ, ſed ſcientiarum, quæ inter Phiſicā & Mathematicas appellantnr mediæ, vt Muſicæ & Perſpectiuæ, quarum obiecta, cum participent aliquid de rebus ſenſibilibus, viſuale ſcilicet, & ſonorū, ſub corpore naturali comprehenduntur: & in ea ac-

acceptione corpus naturale in diuerſa quidem diuiditur ſcibilia, circa quæ verſantur Phiſica & prædictæ ſcientiæ mediæ ab illa formaliter diſtinctæ, corpus autem naturale præciſe, vt dicit idem quod ens mobile, & non attingitur à prædictis ſcientijs medijs, eſt obiectum Phiſicæ, & vt ſic non diſtinguitur in diuersa ſcibilia. Secundo reſpondetur, quod notanter D. Thomas non dixit, quod ens mobile, ſed quod corpus naturale diuiditur in diuerſa ſcibilia: illud enim idem materialiter ſub ratione mobilis eſt obiectum Philoſophiæ, & vt ſanabile per artem eſt obiectum medicinæ, quæ ſpecifice diſtinguitur á Philoſophia, ſub ratione tamen mobilis non diſtinguitur in diuerſa ſcibilia.

8 Obijcies ſecundo, quod diuerſa abſtractio eſt in obiecto librorum de cœlo, & in obiecto librorum de generatione, ſiquidem iſtud concernit qualitates ſenſibiles contrarias, quas non concernit, ſed ab illis abſtrahit obiectum librorum de cœlo. Ergo tractatus librorum de cœlo ſpecifice in ratione ſcientiæ diſtinguitur à tractatu librorum de generatione.

9 Si dicas, quod eá maior vel minor abſtractio, quia eſt intra abſtractionẽ ſolũ a materia ſingulari, quæ eſt formalis abſtractio obiecti Philoſophiæ, materialiter ſe habet ad ipſum Philoſophiæ obiectum, nec illud in ratione formaliter obiecti diſtinguit; alias (vt in probatione conclu-

ſionis diximus) in tractatu octo librorum Phiſicorum, & in tractatu librorum de anima diuerſa formaliter obiecta, diuerſæque formaliter ſcientiæ diſtinguerẽtur, quod nullus admittit.

10 Contra hoc tamen eſt, quod intra eandem abſtractionem à materia ſenſibili diuerſa conſtituuntur obiecta formaliter, diuerſæq; formaliter ſcientiæ Mathematicæ, Geometria & Arithmetica, per id ſolum quod obiectum Arithmeticæ abſtrahat à quantitate continua, à qua non abſtrahit, ſed illã concernit obiectũ Geometriæ. Ergo ſi intra abſtractionem à materia ſingulari obiectum vnius partis Philoſophiæ abſtrahit ab aliqua materia ſenſibili, à qua obiectum alterius partis non abſtrahit, ſed illam cõcernit, talis diuerſa abſtractio nõ materialiter, ſed formaliter ſe habebit, formaliterq; faciet differre prędicta obiecta: ac perinde ſcientiæ, quæ ad talia obiecta terminantur, ſpecifice etiam diſtinguentur.

11 Reſpondetur ad argumentum, ſolutionem datam eſſe optimam, & ad replicam aduerſus illam, omiſſis pluribus ſolutionibus, quæ ei ſolent aſſignari, reſpondetur dupliciter. Primo, quod abſtractio obiecti librorũ de cœlo à qualitatibus ſenſibilibus, quas concernit obiectum librorũ de generatione, non eſt abſtractio poſitiua, nec formalis. Non eſt quidem abſtractio poſitiua, ſed potius negatiua, quia obiectum librorum de cœlo realiter

ter non concernit tales qualitates naturales, vt poſſit per conſiderationem ſcientiæ ab illis poſitiue abſtrahere, & ob id etiam non eſt abſtractio formalis, quia abſtractio formalis eſt abſtractio formæ ab illo, quod reſpectu illius ſe habet vt materia. Et cum cœlũ non ſe habeat vt forma reſpectu talium qualitatũ ſenſibilium, nec illæ vt materia illius, cũ cõſideratur cœlũ abſq; talibus qualitatibus ſenſibilibus, nõ abſtrahitur ab illis abſtractione formali, qualiter forma abſtrahitur à materia, in qua eſt. Et quia abſtractio conſtitutiua obiecti Philoſophiæ eſt abſtractio poſitiua quia omnia de quibus per ſe agit, concernunt materiam & eſt abſtractio formalis, quælibet alia maior vel minor abſtractio, ſeu vt melius dicam, maior vel minor cõcernentia materiæ ſenſibilis materialiter ſe habet ad obiectum Philoſophiæ: ac per inde illud in diuerſa formaliter ſcibilia non diſtinguitur. Quantitas tamen continua, quæ eſt obiectum Geometriæ, cum ſit vere & realiter materia, ex qua componitur numerus, qui eſt obiectum Arithmeticæ, cum tale obiectum in ratione obiecti, Arithmeticæ abſtrahit à quantitate continua, abſtrahit ab illa poſitiue & abſtractione formali: ac perinde ea diuerſa abſtractio, licet intra abſtractionem à materia ſenſibili, non materialiter, ſed formaliter ſe habet, formaliterque diſtinguit obiectum Arithmeticæ ab obiecto Geometriæ.

12 Quod ſi huic obijcias, quod ſaltem obiectum librorum de anima abſtractione formali abſtrahit à materia, de qua agitur in 1. libro Phiſicorum, ſiquidem anima eſt vere actus & forma materiæ, & in libris de anima agitur de ipſa anima; non autem de materia. Ergo libri de anima diuerſum formaliter habent obiectum, ac prædictus primus liber Phiſicorum: ac perinde ad diuerſas formaliter pertinent ſcientias.

13 Ad hoc facile reſpondetur. Quod in libris de anima non agitur de anima, vt abſtrahit à materia, ſed potius vt illam concernit, vt dicit ordinem ad illam & vt eſt actus illius. Numerus autem quamuis realiter ſit in quantitate continua, taliter conſideratur ab Arithmetico abſtrahendo à quantitate continua, quod nullatenus illum conſideret per ordinem ad quantitatem continuam, ſed præciſe attingat numerum quoad formam numeri, nulla habita conſideratione ad quantitatem continuam.

14 Secundo reſpondetur ad argumẽtum, & ad replicam principalem, quod etiam ſi vniformiter concedamus maiorem & minorem abſtractionem à materia intra abſtractionem ab omni materia ſenſibili, ſicut & maiorem vel minorem abſtractionem intra abſtractionem à materia ſingulari, ſi ſecundum ſe conſideretur, & non aliunde proueniat diſtinctio, materialiter ſe habere ad obiecta ſcientiarum à

rum; tamen ſi ſcientiæ aliquæ vtantur diuerſis principijs, formalem habent diuerſitatem, ſecus autem ſi eiſdem principijs vtantur. Et quia Phiſica quoad omnes partes & quoad omnia ſua partialia, quæ attingit obiecta, eiſdem prorſus vtitur principijs, ſcilicet eodem principio radicali cuiuslibet motus, conſequens eſt, quod vnitatem athomam habeat ſpecificam ſcientiæ, prout omnia ſua prædicta partialia attingit obiecta Geometria autem & Arithmetica diuerſis vtuntur principijs: cum enim eadem ſint principia cuiuſcunque rei ineſſendo & in cognoſcendo, & principium eſſendi quantitatis continuæ, quæ eſt obiectum Geometriæ, ſit aliquid indiuiſibile ſecundum diuiſionem cõtinuam, tali principio vtitur Geometria ad demonſtrandas de ſuo obiecto paſſiones. Et cum principium numeri ſit quantitas continua, vt indiuiſibilis ſecundum diuiſionem diſcretam, eo principio vtitur Arithmeticus ad demonſtrandas paſſiones numeri, & non poteſt omnino ab eo principio abſtrahere; aliàs non ageret de numero vt eſt quantitas diſcreta, & vt principium illius eſt quantitas continua, & vt diſtinguitur à numero tranſcendentali rerum ſpiritualium.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVÆSTIO II.

Vtrum ens mobile ſubſtantiale ſit obiectum Philoſophiæ.

CVm dubitamus, an ens mobile ſit obiectũ Philoſophiæ, non ſumimus *mobile* in ordine ad motum proprie ſucceſſiuum, vt diſtinguitur à mutatione inſtantanea, ſed pro mobili quocunque motu, vel mutatione inſtantanea phiſica, quæ nimirũ terminatur ad aliquod ſenſibile. Vnde ſub ente mobili, de quo Phiſica agit, non comprænhenduntur Angeli, vt falſo exiſtimauit Antonius Andreas opuſc de tribus principijs, q. 1. Angeli enim licet habeant ſuos motus, tam illi, quam illorũ motus abſtrahunt à materia ſenſibili, quã concernit obiectum Philoſophiæ: ac perinde in Phiſica per ſe non agitur de Angelis, ſed ſolũ per accidens, quatenus ſunt motores cœli, cuius motus localis eſt phiſicus; imò & etiam per accidens ea ratione agitur in Phiſica de primo motore, quatenus eſt cauſa omnis motus phiſici.

2 Duplex quęſtio in propoſita difficultate inuoluitur: altera, an obiectũ Phiſicæ ſit ens mobile, corpus mobile, ſubſtantia mobilis, vel ens, aut corpus naturale. Altera vero, an ſit ens mobile ſubſtãtiale, an vero ens mobile, vt abſtrahit à ſubſtantia-

li

li & accidentali. Et quia vt videbimus, reſolutio primæ quæſtionis ex huius ſecũdæ reſolutione dependet, à reſolutione huius ſecundæ incipiemus.

5 Pro vtriuſque autem reſolutione ſupponenda ſunt, quæ in lib. 1. logicæ q. vltima proœmiali de obiecto formali cuiuſcunq; ſcientiæ diximus, ſpecialiter quod illud debet continere omnia, quæ in tali ſcientia attinguntur; non quidē vt de omnibus illis in recto prædicetur (Deus enim, qui eſt obiectũ Theologiæ; nō prædicatur in recto de omnibus, quæ in Theologia tractantur) ſed quod prædicetur de illis ſaltem in obliquo, quatenus omnia quæ in tali ſcientia attinguuntur, ad ipsũ aliqua ratione ordinantur.

4 Secundo eſt aduertendum, quod ſubiectum ſeu obiectum alicuius ſcientiæ eſt illud, quod eſt radix paſſionum, & de quo eius paſſiones per talem ſcientiam demonſtrantur. Quamuis enim quælibet ſcientia principaliter verſetur in demonſtrando paſſiones de ſuo obiecto, obiectũ ſcientiæ non ſunt ipſæ paſſiones, imò nec aliquid abſtrahens à ſubiecto paſſionum, & ab ipſis paſsionibus, ſed obiectum ſciētiæ ſolum eſt ſubiectũ in quo radicantur paſsiones, & de quo paſsiones in ſcientia demonſtrantur. Et ita obiectũ ſcientiæ Philoſophiæ erit illud, quod fuerit radix omnium paſsionum, quas Phiſica demonſtrat, & de quo tales paſsiones demonſtrantur.

5 Tertio deniq; ſpecialiter pro reſolutione primæ quæſtionis eſt aduertendum, aliud eſſe ens mobile ſubſtantiale, ac ens mobile ſubſtantialiter. Ens enim mobile ſubſtantialiter ſolũ dicit ens potens moueri medio motu ad formã ſubſtantialẽ terminato. Ens autem mobile ſubſtantiale dicit compoſitum ſubſtantiale, quod poteſt moueri, & habet principium mobilitatis ſiue in ordine ad motum ad formam ſubſtantialem terminatum, ſiue ad motum ad formam accidentalem terminatũ. Et quidem certum eſt, obiectum Philoſophię nõ eſſe ſolum ens mobile ſubſtantialiter, cum illi non competant omnes paſsiones, quas Phiſica de ſuo obiecto demonſtrat, ſcilicet mobilitas proxima ad motus accidentales, vt ad motum localem, augmentationis, vel alterationis. Sed difficultas ſolum eſt, an ens mobile ſubſtantiale, id eſt, compoſitum ſubſtantiale ſit ſubiectũ & radix omnis mobilitatis proximæ & motus phiſici ſiue accidentalis, ſiue ſubſtãtialis: ac perinde illud ſolum ſit obiectum Philoſophiæ; an vero non omnis mobilitas proxima, & motus radicetur in mobili ſubſtantiali ſeu compoſito ſubſtantiali, ſed aliquæ vltimo radicentur & reducãtur ad compoſitum accidentale: ac perinde obiectum Philoſophiæ ſit ens abſtrahens à mobili ſubſtantiali & accidẽtali, ſeu, quod idem eſt, à mobili, quod eſt compoſitum ſubſtantiale, & à mobili, quod eſt compoſitum accidentale.

6 Re-

6 Reſolutorie eſt dicendum, adæquatum obiectum Philoſophiæ eſſe ens mobile ſubſtantiale. Oppoſitum aliqui tenent cum Caietano opuſc de obiecto Philoſophiæ. Sed concluſionem cum noſtro authore Ss. Magiſtro Soto hic quæſt. 1. tenent alij plures. Concluſioque deducitur imprimis ex Ariſtotele & D.Thoma. Ex Ariſtotele quidem, nam lib. 2. vſque ad textum 75. aſſignans principia, per quæ Phiſicus, vt diſtinguitur à Mathematico, ſuas demonſtrat concluſiones, ſemper aſſignat principia ſubſtantialia, & quod Phiſicus ſolum agit de accidentibus vt terminant ſubſtantiam naturalem. Et 7. Metaphiſicæ tex. 2. ait, obiectum Phiſicæ eſſe ſubſtantiam mobilem. His conſonat quod Ariſtoteles & D.Thom. ſæpius aſſerunt, obiectum Philoſophiæ eſſe corpus mobile, quod ſaltem vt verificetur debet eſſe idem in ſupponendo corpus mobile ac obiectum Phiſicæ, quod non poſſet eſſe, ſi obiectum Phiſicæ eſſet ens mobile vt abſtrahẽs à ſubſtantiali & accidentali. Et D.Thomas in prologo Phiſicorum aſſignans obiectum Philoſophiæ, ita ait. *De his quæ dependent à materia non ſolum ſecundum eſſe, ſed etiam ſecundum rationem, eſt ſcientia naturalis, quæ Phiſica dicitur, & quia omne quod habet naturam, mobile eſt, conſequens eſt, quod ens mobile ſit ſubiectum naturalis Phiſicæ. Naturalis autem Phiſica de naturalibus eſt, naturalia autem ſunt, quorum principium eſt natura; natura autem eſt princi-*

cipium motus & quietis in eo in quo eſt. Hæc D.Thomas.

7 Ex cuius doctrina prima noſtræ conclusionis deducitur ratio. Quia Phiſica, vt de proprio obiecto agit de rebus naturalibus, ſed naturale eſt ſolum compoſitum ſubſtantiale materiale: illud enim ſolum eſt quod habet naturam. Ergo ſolum compoſitum ſubſtantiale materiale ſeu ens mobile ſubſtantiale, quod idem eſt, ſecundum mentem D.Thomę eſt obiectum adęquatum Philoſophiæ.

8 Ratio autem efficax concluſionis eſt, quod illud eſt obiectum adæquatum Philoſophiæ, ſicut & cuiuslibet ſcientiæ, quod eſt radix omnium paſſionum, quas talis ſcientia demonſtrat, & de quo perinde omnes tales paſſiones demonſtrantur. Sed ens mobile ſubſtantiale eſt radix omnium paſſionum, quas Phiſica demonſtrat, & de ipſo ente mobili ſubſtantiali omnes tales paſſiones demonſtrantur. Illud ergo eſt adæquatum Philoſophiæ obiectum. Maior explicatur. Quia intentum cuiuſlibet ſcientiæ eſt demonſtrare paſſiones de ſuo obiecto, & per id illius naturam manifeſtare. Sed de quolibet illæ dumtaxat paſſiones demonſtrantur, quæ ab illo dimanant & in illo radicantur. Ergo adæquatum obiectum cuiuslibet ſcientiæ eſt, quod eſt radix omnium paſſionum, quas talis ſcientia demonſtrat. Minor autem probatur. Quia omnis paſſio, quam Phiſica de ſuo obiecto demonſtrat, eſt aliqua

mobilitas proxima ad aliquem motum vel mutationem phiſicam proxime ordinata. Sed omnis mobilitas pſoxima ſiue ad motum accidentalem; ſiue ad mutationem Phiſicam ſubſtantialem radicatur in ſubſtantia materiali, illaque perinde dicitur ens mobile radicaliter, quatenus eſt radix omnis talis mobilitatis proximæ, motus, aut mutationis phiſicæ. Ergo omnes paſſiones quas Phiſica de ſuo obiecto demonſtrat, in ente mobili ſubſtantiali radicantur. Minor probatur. Quia omnis terminus cuiuslibet motus radicaliter continetur in ente mobili ſubſtantiali vel ſecundum totum ipſum compoſitum ſubſtantiale, vt forma accidentalis, quæ eſt terminus motus accidentalis; vel ſecundum aliquam partem ipſius compoſiti ſubſtantialis, vt forma ſubſtantialis, quæ eſt terminus mutationis ſubſtantialis, radicaliter continetur in materia prima, quæ eſt pars compoſiti ſubſtantialis. Ergo etiam ipſe motus aut mobilitas ad tales terminos præhabentur in compoſito ſubſtantiali, vt in radice omnis talis motus & mobilitatis.

9 Obijcies primo, quod obiectũ adæquatum cuiuſcunque ſcientię, vt etiam nos concedimus, debet eſſe adæquatum ſubiectum omnium paſſionum, quas talis ſcientia demonſtrat, & habere in ſe omnium illarum principia. Sed ens mobile ſubſtantiale non eſt adæquatum ſubiectum omnium paſſionum, quas Phiſica demonſtrat;

ſtrat; nec continet omnia illarum principia. Ergo illud non eſt adæquatum obiectum Philoſophiæ. Minor probatur. Quia motus localis non reducitur in principia ſubſtantialia, omnis enim motus tria debent eſſe principia, ſcilicet materia, forma, & priuatio. Et tamen datur aliquis motus localis, ſcilicet motus cæli, cuius non ſit principium aliqua priuatio ſubſtãtialis, ſiquidem nulla priuatio ſubſtantialis talem motum præcedit in cælo, cum ſemper materia cæli fuerit ipſius cæli forma ſatiata. Ergo non omnis motus phiſicus habet principia ſubſtantialia, in quibus radicetur & ad quæ reducatur; ſed ipſa priuatio accidentalis eſt primum & radicale principium motus localis cæli.

10 Reſpondetur, negando minorem. Et ad probationem, omiſſa ſolutione aliquorum qui in cælo ſaluare contendunt etiam priuationem ſubſtantialem, quia in ipſa materia cæli in illo priori naturæ quo præintellecta fuit antecedenter ad formam intelligebatur cum priuatione ſubſtantiali ipſius formæ, & ad hanc priuationem ſubſtantialem poteſt reduci omnis priuatio accidentalis, quæ fuerit in cælo: omiſſa, inquam, hac ſolutione, & quidquid ſit de illa; reſpondetur, quod principia radicalia omnium accidentium, quæ per motum aut mutationem Phiſicam acquiruntur, & ipſius motus ac mutationis & mobilitatis proximæ, ſolum ſunt illa, in quibus hæc vt in potentia contineatur;

tur; & priuatio formæ licet ſit principium: quoad fieri ipſius formæ non continet in potentia ipſam formam, nec motum aut mutationem, per quam acquiritur, & ſolum hæc continentur radicaliter & in potentia in compoſito ſubſtantiali vel ſecundum ſe totum vt continet formas accidentales, & motum per quem acquiruntur: vel ratione materiæ ſubſtantialis, in qua forma ſubſtantialis radicaliter præhabetur. Et ita ad argumentum dicimus, quod vt ens mobile ſubſtãtiale ſit obiectũ adæquatum Philoſophiæ, ſufficit, quod in illius partibus intrinſecis, materia videlicet & forma ſubſtantiali ſint principia radicaliter continentia omnem formam accidentalem, motum & mobilitatem proximam, media qua acquiratur, & quod vt principium in fieri priuatio accidentalis talis formæ concurrat, non autem vt radicaliter illam continens. Vnde nec de priuatione ſiue ſubſtantiali, ſiue accidentali, ſed ſolum de compoſito ſubſtantiali omnis motus, mutatio, aut mobilitas proxima vt illius paſſio prædicatur.

11 Obijcies ſecundo, quod non omnis motus radicatur in mobili ſubſtantiali, ſed aliquis vltimo reducitur in mobile accidentale ſeu in compoſitum accidentale. Obiectum igitur adæquatum Phiſicæ non eſt ens mobile ſubſtantiale, ſed aliquid ab illo & à mobili accidentali, ſeu compoſito accidentali abſtrahens. Antecedens probatur. Nam motus intenſionis & remi-

miſionis vltimo reducitur in compoſitum accidentale; in tantum enim aliquid eſt intenſibile vel remiſibile, in quantum eſt quale, ſeu habet qualitatem; non autem in quantum eſt compoſitum ſubſtantiale. Talis igitur motus vltimo reducitur ad compoſitum accidentale, in illoque radicatur.

12. Reſpondetur negando antecedens: Et ad probationem negatur etiam antecedens. Quia licet mobilitatem proximam ad motum intenſionis & remiſionis media qualitate habeat compoſitum ſubſtantiale; tamen ſicuti ipſius qualitatis & motus alterationis, per quem acquiritur, ipſum compoſitum ſubſtantiale eſt radix, ita etiam & talis mobilitatis proximæ ad intenſionem & remiſionem & ipſius motus: & ita nulla eſt mobilitas proxima aut motus, qui vltimate vt in primam radicem in compoſitum ſubſtantiale non reducatur.

13 Obijcies tertio, quod mutatio ſubſtantialis, ſcilicet generatio non poteſt radicari in compoſito ſubſtantiali, ſiquidem illud præcedit & media illa fit. Non igitur omnis motus aut mutatio phiſica in compoſito ſubſtantiali radicatur: ac perinde illud non eſt adæquatum Philoſophæ obiectum, cum aliqua mutatio, de qua Phiſica agit, in ipſum non reducatur,

14 Reſpondetur, quod præter quam quod hoc argumento multo minus probatur,

tur, obiectum Philoſophiæ ad mobile accidentale extendi, cum multo minus ad aliquod mobile accidentale, ſeu compoſitum accidentale poſſit reduci & in illo radicari generatio ſubſtantialis: præter hoc, inquam, reſpondetur, quod licèt generatio ſubſtantialis in compoſito ſubſtantiali non radicetur, radicatur tamen in materia, quæ eſt pars compoſiti ſubſtantialis, & totum ipſum compoſitum ſubſtantiale eſt ſubiectum denominationis ipſius generationis, & in probabiliori ſententia, (cum nullum accidens, vt in libris de generatione dicemus; poſſit ſubiectari in materia prima) ipſius etiam generationis ſubſtantialis, quæ quamuis ſubſtantialis dicatur propter terminum ſubſtantialem ad quem terminatur, verè accidens eſt, ſubiectum inhæſionis eſt ipſum compoſitum ſubſtantiale, & ita propter hæc omnia etiam talis mutatio ſubſtantialis ad compoſitum ſubſtantiale reducitur, & ipſum compoſitum ſubſtantiale eſt quod per ipſam generatur.

15 Obijcies quarto, quod eſto omnis motus, omniſque phiſica mutatio in ente mobili ſubſtantiali radicetur, & ad illud vltimate reducatur, id non facit, quod ipſum ens mobile ſubſtantiale ſit adæquatum obiectum Philoſophiæ, nec tollit, quod adæquatum obiectum illius ſit ens mobile, vt abſtrahit ab ente mobili ſubſtantiali, & ente mobili accidentali, quod ſic à paritate probatur, quia omne accidens

dens reale, de quo agit. Metaphiſica radicatur in ſubſtantia, & ad illam vltimate reducitur, & tamen hoc non obſtante obiectum adæquatum Mataphiſicæ non eſt ſubſtantia, ſed ens reale abſtrahens à ſubſtantia & accidenti: ergo quamuis omnis motus, & mutatio Phiſica radicetur in ente mobili ſubſtantiali, id non obſtat, quominus obiectum adæquatum Philoſophiæ ſit ens mobile, vt abſtrahit ab ente mobili ſubſtantiali & accidentali.

16 Reſpondetur, negando conſequentiam, & relictis alijs paritatibus, quæ illi aſſignati ſolent, vera ratio diſparitatis eſt, quod licet accidens reale radicetur in ſubſtantia, quia tamen in ordine ad illam vt ad materiam comparatur, Metaphiſica, quæ de ſuo obiecto abſtrahendo ab omni materia agit, non agit de accidentibus in ordine ad ſubſtantiam, ſed ſolum in eſſe entis, & abſtrahendo ab omni ordine, quem habent ad materiam, ac perinde & ad ſubſtantiam, & conſiderando ex æquo naturam & paſſiones ſubſtantiæ & accidentium ſecundum ſe: & ſic obiectum adæquatum Metaphiſicæ non eſt ſolum ſubſtantia, ſed ens vt abſtrahit à ſubſtantia & accidenti: Phiſicus autem cum attingat ſuum obiectum ſolum vt abſtrahens à materia ſingulari, & vt concernens omnem materiam ſenſibilem, ſi agit de accidentibus ſenſibilibus, motibus & mutationibus phiſicis, agit de omnibus illis, vt ſunt affectiones ſubſtantiæ, & ad illam, vt

ad

ad propriam materiam propriumque ſubiectum comparantur, & cum vt sic omnia talia accidentia, mobilitas proxima, & motus in composito ſubſtantiali radicentur, illudque tam reſpectu motus accidentalis quam ſubſtantialis sit mobile radicaliter, & quod omni prędicto motu mouetur, & dequo omnis prędicta mobilitas proxima & motus vt illius paſsiones per Philoſophiam demonſtrantur, illud ſolum eſt adęquatum obiectum Philoſophię.

17 Ex dictis ſequitur in re & in ſupponendo ens mobile ſubſtantiale, quod aſsignamus obiectum Philoſophię, eſſe idem ac corpus mobile, ſubſtantia mobilis, & ens naturale: quia ens mobile ſubſtantiale non eſt nisi corpus & ſubſtantia, & ens naturale, quod habet in ſe naturam, & principiũ motus & quietis, & hinc ſumitur ratio dubitandi pro ſecũda difficultate huius quęſtionis, an, cum hęc pro eodem ſupponãt, indifferenter quodlibet eorum poſsit aſsignari obiectum Philoſophię, aut congruentius aſsignetur ens mobile.

18 Reſolutoriè reſpondetur, congruentius aſsignari obiectum Philoſophię ens mobile, quam corpus mobile, ſubſtãtia mobilis aut ens naturale. Concluſio eſt expreſſa D. Tho. in proœmio Phiſicorum, vbi sic ait: *quod ſubiectum Philoſophia eſt ens mobile ſimpliciter, non dico autẽ corpus mobile, quia omne mobile eſſe corpus probatur in iſto libro, nulla autem ſcientia probat ſuum obiectum*. Hęc D. Thom. ex cuius doctrina

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

na concluſionis deducitur ratio, quia obiectum cuiuslibet ſcientiæ debet pręſuponi ad illam, vt quid notum, nec in illa, debet probari: ſed connexio mobilitatis cum ente & quod omne mobile ſit ens, præſuponitur ad Philoſophiam vt quid notum, & nec in illa nec in alia ſcientia probatur: connexio autē mobilitatis cum corpore, & quod omne mobile ſit corpus, non ſupponitur in Phiſica vt quid notum, ſed potius in illa probatur: dum enim in 6.Phiſicorum per id quod omne mobile debet eſſe partim in termino à quo & partim in termino ad quem, demonſtratur, omne mobile debere eſſe diuiſibile; conſequenter etiam demonſtratur & probatur,omne mobile eſſe corpus. Congruentius igitur aſſignatur obiectum Philoſophię ens mobile, quam corpus mobile.

Confirmatur, quia illud congruentius aſsignatur obiectum alicuius ſciētię, quod ponitur in difinitione primarum paſsionum, quas talis ſcientia demonſtrat. Sed in definitione primę paſsionis demonſtratę per Philoſophiam, ſcilicet motus, ponitur ens, non autem corpus, ſubſtantia, aut ens naturale: definitur enim motus quod ſit actus entis; non autem quod ſit actus corporis, aut actus ſubſtantiæ: ergo congruentius aſsignatur obiectum Philoſophiæ ens mobile quam omnia alia, vtpotè in quo mobilitas radicalis, quę eſt ratio formalis obiecti Philoſophię, coniūgitur cum ente, quod definitionem pri-

primę paſsionis ingreditur.

19 Obijcies, inde ſequi, Philoſophiam eſſe partem Metaphiſicę, aut ſcientiam illi ſubalternatam. Conſequens quoad vtramque partem eſt falſum: ergo. Sequela probatur, quia vel mobile eſt differentia eſſentialis entis; vel addit differentiam accidentalem ſupra ipſum ens. Si primum, Philoſophia erit pars Metaphiſicę: ad eandem enim ſcientiam ad quam pertinet agere de aliquo obiecto, pertinet etiam agere de differentijs eſſentialibus illius, ac de ſpeciebus per illas conſtitutis. Si autem mobilitas eſt differentia accidentalis, & extranea ſupra ens, Philoſophia, cuius obiectum addit talem differentiam accidētalem & extraneam ſupra ens, quod eſt obiectum Metaphiſicę, erit ſcientia ipſi Methaphiſicę ſubalternata iuxta id quod in Logica quęſt. 13. poſteriorum de ſubalternatione ſcientiarum diximus.

20 Reſpondetur, negando ſequelam quoad vtramque illius partem: quamuis enim mobilitas non ſit differentia acciden. talis & extranea ſupra ens (cum enim ens omnia tranſcendat, nihil poteſt ei accidentale & extraneum ſuper addi) tamen quia ens vt attingitur à Metaphiſica, ab omni abſtrahit materia, & mobilitas phiſica materiam concernit ſenſibilem; Philoſophia quę circa ens mobile verſatur, non poteſt eſſe pars Metaphiſicę. Tunc enim ſolum ad ſcientiam quę agit de aliqua ratione ſuperiori pertinet agere de ra-

rationibus eſſentialiter inferioribus, quando illę ſub eadem abſtractione à materia attinguuntur, ac attingitur ipſa ratio ſuperior. Nec Philoſophia proprie ſubalternatur Metaphiſicę. Tum quia licet hęc ipsius Philoſophię sicut & aliarum ſcientiarum principia aliqualiter explicet; non tamen ipsius Philoſophię principia probat & demonſtrat. Tum etiam, quia cum enti nihil poſſit eſſe accidentale & extraneum, obiectum Philoſophię non addit differentiam accidentalem & extraneam ſupra ens, quod eſt obiectum Metaphisicę.

LIBER PRIMVS Phiſicorum.

QVAMVIS (vt in quæſtione 1. proœmiali diximus) Phiſica quoad omnes ſuas partes ſit vnius ſpeciei athomæ ſciẽtia, in quatuor partes ſeu tractatus diuiditur. In prima quæ octo libros continet Phiſicorum, agitur de ente mobili in communi, in reliquis tribus iuxta tres ſpecies motus, localis, ſcilicet alterationis, & augmentationis, de tribus illis agitur. Vnde ſecunda pars continet libros de cœlo & mũdo quibus propriùs eſt motus localis. Tertia pars libros continet de generatione, in quibus agitur de generalibus & corruptibilibus, quibus proprie competit alterationis motus. Ac denique quarta pars continet libros de anima: ſolum enim animatis & viuentibus motus competit augmentationis. In hoc autem tomo primam ſolum partem Philoſophię, quæ octo libros Phiſicorum complectitur, explicandam ſuſcipimus,

Et licet cuiuslibet libri textum Ariſtotelis latiſſime noſter author Ss. Mag. Soto ſeorſum à quæſtionibus proponat & explicet, breuitatis tamen cauſa ſummam textus cuiuslibet libri breuiter in illius principio proponemus. Et deinde iuxta ordinem ipſius textus, quæſtiones in quibus ea quę Ariſtoteles habet, & circa illam poſſint offerri, maiori qua poſſimus breuitate & claritate eiuſdem noſtri authoris Ss. Magiſtri Soto doctrimam perſtringentes, explicare conabimur.

Summa Textus.

PRimus liber in quo methodum procedendi & principia rerum naturalium intendit Ariſtoteles explicare, nouem continet capita. In primo tradit ordinem quodlibet cognoſcendi. In ſecundo & tertio refert & reijcit opinionē Parmenidis & Meliſſi, quod omnia ſunt vnum & immobilia. In quarto varias refert & confutat veterum de principijs naturalibus ſententias. In quinto adſtruit, principia rei naturalis eſſe contraria. In ſexto ex eo deducit, illa eſſe tria: nempè contraria, & ſubiectum, ſcilicet materia circa quam verſantur. In ſeptimo determinate docet, principia rei naturalis eſſe materiam, formam, & priuationem, & qualiter materia ſit cognoſcibilis, explicat.

cat. In octauo refert & impugnat rationem, qua veteres ortum & interitum denegabant. In nono denique refert & reijcit fundamentum Platonis, ob quod materiam à priuatione non diſtinguebat, & oſtendit, materiam eſſe ingenerabilem & incorruptibilem.

QVAESTIO I.

Vtrum ab vniuerſalioribus ad minus vniuerſalia ſit nobis in cognitione procedendum.

PRo hac & duabus ſequentibus quæſtionibus ſuppouendum eſt primo, cognitionem alteram eſſe intellectiuam, alteram ſenſitiuam. Et in homine pro hoc ſtatu, videlicet dum eius anima eſt immerſa materiæ, cognitionem intellectiuam ſemper præcedit ſenſitiua: & ſic intelligitur illud Philoſophi, quod omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſu. Nunc autem inquirimus de cognitione intellectiua & ordine in illa procedendi.

2 Secundo eſt ſupponendum cognitionem tam ſenſitiuam quam intellectiuam alteram eſſe confuſam, aliam vero diſtinctam. Confuſa, eſt cum cognoſcitur aliquid non cognoſcendo determinate illius partes. Cognitio autem diſtincta è con-

tra eſt cum cognoſcitur aliquid, determinate illius partes cognoſcendo. Inde eſt, cognitionem confuſam & diſtinctam alteram eſſe totius actualis, alteram vero totius potentialis; cum enim tale vtrumque totum habeat ſuas partes, ſi illud cognoſcatur non cognoſcendo determinate illius partes, talis vtique cognitio erit cõfuſa; ſi vero illud cognoſcatur cognoſcendo illius partes, erit cognitio illius diſtincta.

3 Tertio eſt ſupponendum, quod aliquid poteſt eſſe notius quoad nos, & aliquid notius ſecundum naturam. Eſſe autem aliquid notius ſecundũ naturã, vt explicat D.Th. hic lect.1. non eſt, quod detur natura vnum magis cognoſcens quam aliud; ſed quod ipſum obiectum ſecundum ſe & ſecundum ſuam naturam ſit magis cognoſcibile, & habeat maiorem cognoſcibilitatem paſſiuam: & cum vnum quodque ſit cognoſcibile inquantum ens, & inquantum eſt in actu; illud erit ſecũdum ſe magis cognoſcibile, ac perinde notius ſecundum naturã, quod habuerit magis entitatis, perfectionis, & actualitatis: & quia magis determinata ſunt magis entia, & magis actualia quam minus determinata, illa erunt magis nota naturæ. Notiora autem nobis ſunt, quæ noſtro intellectui magis proportionantur. Vnde cum noſter intellectus ſit in cognoſcendo agens procedens de potentia ad actum, illa erunt noſtro intellectui magis

pro-

proportionata, quæ fuerint magis poten-
tialia.

4 His ergo ſuppoſitis, dicendum eſt, quod ab vniuerſalioribus ad minus vniuerſalia eſt nobis in cognitione cuiuslibet rei procedendum. Hanc concluſionem docet Philoſophus 1. huius libri capite, illiuſq; ratio ex ipſius Philoſophi doctrina ſic ad formam deducitur. Connaturale eſt nobis à notioribus nobis ad minus nobis nota in cuiuslibet rei cognitione procedere. Sed magis vniuerſalia ſunt nobis magis nota, quam minus vniuerſalia. Ergo ab vniuerſalioribus ad minus vniuerſalia in cuiuslibet rei cognitione eſt nobis procedendum. Maior videtur manifeſta, & minor probatur. Quia magis confuſa ſunt nobis notiora. Sed vniuerſaliora ſunt magis confuſa. Ergo illa ſunt nobis notiora. Maior prob. Tum quia totum integrale eſt magis confuſum quam eius partes; ſicut etiam totum intelligibile magis confuſum eſt quam eius partes: vtrumq; enim in ſe cõfundit & inuoluit partes. Ergo ſicut totũ integrale ad ſenſum magis nobis eſt notũ quam eius partes, ita etiã ad intellectũ totũ intelligibile magis nobis notũ eſt quã eius partes: ac perinde magis confuſa ſunt nobis notiora. Tum etiam, quia totũ definibile magis confuſum eſt quam partes illius definitionis. Sed magis nobis notũ eſt ipſum definibile quã partes illius definitionis. Ergo magis confuſa ſunt nobis notiora. Tum denique, quia minus de-

terminata ſunt magis confuſa. Sed minus determinata ſunt nobis notiora. Ergo magis confuſa ſunt nobis notiora. Minor probatur. Quia puer progreſſu vſus rationis illud prius cognoſcit, quod eſt nobis notius. Sed prius cognoſcit minus determinata, ſiquidem à principio cognoſcit hominem non cognoſcendo determinate, an ſit talis vel talis homo: & ideo omnes homines tunc vocant patres, & omnes mulieres matres. Ergo minus determinata ſunt nobis notiora. Minor autem principalis, videlicet quod magis vniuerſalia ſint magis confuſa, patet. Quia magis confuſa ſunt, in quibus plura implicantur, inuoluuntur & confundũtur. Sed in magis vniuerſalibus, cum plures rationes in potentia contineantur, quam in minus vniuerſalibus, plura perinde implicantur & inuoluuntur. Ergo ſunt magis confuſa quam minus vniuerſalia.

5 Hinc verificatur dictum Philoſophi in prædicto 1. huius libri capite, quod connaturale eſt, vt à notioribus nobis ad notiora ſecundum ſe ſeu notiora naturæ procedamus: quia cum minus vniuerſalia ſint magis determinata & magis actualia, ſunt magis ſecundum ſe cognoſcibilia, ac perinde notiora naturæ. Ergo cũ procedamus in cognitione ab vniuerſalioribus ad minus vniuerſalia procedimus à notioribus nobis ad notiora ſecundum ſe.

6 Hinc etiam deducitur methodus & ordo intentus in prædicto capite ab Ariſto-

ſtotele in cognitione obiecti Philoſophiæ, quod cum in cognitione cuiliber rei quæ à cauſis & principijs dependet, à cognitione talium principiorum & cauſarum debeamus incipere; & in cognitione principiorum debeamus incipere à notioribus nobis, & vniuerſaliora ſint nobis notiora; optimus & debitus ordo procedendi in cognitione entis naturalis eſt, quod à cognitione eius principiorum in communi procedamus, & deinde ad illius principiorum in particulari cognitionem deſcendamus.

7 Obijcies primo, quod cum Philoſophus dicit, quod ab vniuerſalioribus ad minus vniuerſalia in cognitione debemus procedere, vel loquitur de cognitione naturali, vel de ſcientifica. Si de naturali, non videtur id coducere ad intentũ illius, videlicet ad tradendum methodum & ordinem cognitionis ſciẽtificæ obiecti Philoſoohiæ. Si autem loquatur de cognitione ſcientifica: cum illa ſit cognitio obiecti per ſua principia, non videtur verificari, quod in illa à magis confuſis ad minus confuſa procedatur.

Reſpondetur, quod Philoſophus loquitur de cognitione ſcientifica obiecti, per ſuas cauſas & principia: vt tamen aſſignaret ordinem cognoſcendi talia principia, recurrit ad ordinem cognitionis naturalis, & aſſerit, quod cum naturale ſit, vt à notioribus nobis ad minus nota nobis procedamos; in cognitione principiorum

alicuius obiecti à principiis notioribus nobis debemus incipere: & quia principia vniuerſaliora ſunt nobis notiora, ab vniuerſalioribus debemus incipere.

8 Obijcies ſecundo, quod Philoſophus 1. Poſteriorum cap 2. ait, *quod nobis notiora ſunt quæ ſunt propinquiora ſenſui: ſimpliciter vero notiora, quæ à ſenſu remotiora ſunt, ea vero eſſe remotiora quæ vniuerſaliora ſunt*. In quibus manifeſte videtur Philoſophus his quæ diximus, imo & his quę ipſe in hoc cap. aſſerit, contradicere. Nam cũ propinquiora ſenſibus ſint ſingularia, dũ aſſerit propinquiora ſenſibus eſſe magis nobis nota; aſſerit perinde, quod ſingularia ſunt magis nobis nota, opponiturq; ei quod diximus, vniuerſaliora: videlicet eſſe notiora nobis. Similiter cũ dicat remotiora ſenſibus eſſe notiora ſecundum ſe, & remotiora ſenſibus eſſe vniuerſaliora, opponitur ei quod diximus, quod magis determinata & minus vniuerſalia ſint notiora ſecundum ſe.

9 Reſpondetur, quod cum Ariſtoteles dicit, quod propinquiora ſenſibus ſunt magis nobis nota, loquitur in ordine ad cognitionem ſenſitiuã; non autẽ ad intellectiuã: propinquiora enim ſenſibus ſunt ſingularia, quæ non ſolũ ſecundum cognitionem intellectiuam non ſunt magis nobis nota, ſed nec directe cognoſcibilia. Vnde ſemetipsũ explicat ipſe Philoſophus 1. Phiſicor. tex. 49. dicens, *quod vniuerſale notius eſt ratione, ſingulare vero ſenſui*. Cũ

autem in teſtimonio adducto ſubdit, quod remotiora ſenſibus ſunt vniuerſaliora; loquitur de vniuerſalioribus in cauſando, de ſubſtantijs videlicet ſeparatis, quæ ſunt ſenſibus remotiſſimæ, & cũ magis habeant entitatis, perfectionis, & actualitatis quã minus remota à ſenſibus, ſunt ſecundũ ſe notiores quam illa; non autem loquitur de vniuerſalioribus in prædicando: hæc enim quãuis ſint remotiora à ſenſibus quã minus vniuerſalia (vt magis remota eſt à ſenſibus natura generica, quã ſpecies ſpecialiſſima) hæc cum magis habeat perfectionis & actualitatis, eſt magis ſecundũ ſe cognoſcibilis, quam natura generica.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

QVÆSTIO II.

Vtrum via originis cognitione confuſa ens ſit primo cognitum à noſtro intellectu?

NOn loquimur de cognitione complexa, qua intellectus vnum alteri attribuendo cognoſcit, ſed de cognitione ſimplici confuſa, & ſecundum illam inquirimus, an primum quod intellectus de aliqua re cognoſcit, ſit ens, an vero ſit ſpecies ſpecialiſſima, vt ſentit Scotus in 1. ſententiarum diſtinct. 3. quæſt. 2. & cum eo communiter eius diſcipuli: an autem ſit ſingulare, vt exiſtimauit Durandus in 2. di-

ſtinct. 3. quæſt. 7. cum his enim duobus eſt præſens quæſtio. Et ita vſque ad ſequentem non inquirimus, an ens in tota ſua latitudine, non determinando ens materiale aut ſpirituale, an vero determinate ens materiale ſit primum cognitum á noſtro intellectu pro iſto ſtatu.

2 Dico primo. Primum cognitum á noſtro intellectu non poteſt eſſe aliquid ſingulare. Concluſio deducitur ex Diu. Thom. 1. part. quæſt. 86. articul. 1. & eſt communis omnium Thomiſtarum. Tum quia obiectum noſtri intellectus eſt vniuerſale, cum intellectus cognoſcat abſtrahendo ſpecies á phantaſmaaibus, & á ſingularitate & cōditionibus indiuidualibus, quæ per phantaſmata repræſentantur. Sed prima cognitio intellectus circa ſuum obiectum debet verſari. Debet igitur verſari circa vniuerſale: ac perinde primum cognitum á noſtro intellectu non poteſt eſſe ſingulare. Tum etiam, quia (vt cōmuniter contra Durand. docent Thomiſtæ lib. 3. de anima, ad quem locum id diſputandum remittimus) ſingulare nō eſt directe cognoſcibile ab intellectu noſtro, ſed reflexe & per comparationem naturæ vniuerſalis ad phantaſmata, á quibus fuit abſtracta. Sed prius ab intellectu cognoſcitur id ad quod directe terminatur, quam id quod indirecte & reflexe attingit. Ergo neceſſarium eſt, quod prius ab intellectu noſtro cognoſcatur vniuerſale quam ſingulare.

3 Di-

3 Dico ſecundo. Primum cognitum à noſtro intellectu non eſt ſpecies ſpecialiſſima, ſed quod primo cognitione confuſa de aliquo cognoſcimus, eſt ens. Iam dixi, in hac quæſtione vſque ad ſequentem nõ determinari, an quod primo cognoſcimus de aliqua re ſit ens materiale, an vero aliquid magis cõmune, ſcilicet ens nõ determinando materiale, aut immateriale; ſed quod hic intendimus eſt, quod primum cognitũ cognitione confuſa à noſtro intellectu non ſit ſpecies ſpecialiſſima, nec aliquod prædicatum inferius ſaltem ad ens materiale, ſed vel ens materiale, vel aliquid communius & potentialius illo. Ita expreſſe D.Thom.1.p.q.85. art.3. & cum illo Caietanus cap. de ente & eſſentia q.1. ac reliqui Thomiſtæ, & præſertim noſter author hic quæſt.2. & probatur primo ratione D.Tho. in prædicto loco, quia omne agens procedens de potentia ad actum prius peruenit ad actum imperfectum, quam ad perfectum. Sed intellectus in cognitione eſt agens procedens de potentia ad actum. Ergo prius peruenit ad actum imperfectum cognitionis quam ad perfectum. Sed imperfectiſſimus actus cognitionis de qualibet re eſt cognitio entis. Ergo illa eſt prima cognitio, quam de qualibet re elicit intellectus. Prima conſequentia cũ minori patet. Minor ſubſumpta probatur. Quia illa eſt imperfectior cognitio, in qua plura inuoluuntur, & nõ explicantur. Sed in cognitione cõmuniſſi-

ma entis plures rationes inferiores quam in qualibet alia cognitione inuoluuntur, & non explicantur, cum ſub ente plures rationes quam ſub quolibet alio prædicato inferiori includantur. Ergo cognitio entis eſt omni alia cognitione imperfectior. Maior autem in qua hic totus nititur diſcurſus, & ratione & exemplis probatur. Ratione quidem, quia actus imperfectus cũ ſit medius inter ipſam potentiã & actum perfectum, & ſit in potentia ad ipſum actum perfectũ, magis proportionatur ipſi agenti in pura potentia exiſtẽti. Sed quodlibet agẽs primo elicit actũ magis tunc ſibi proportionatum. Ergo agens procedens de potentia ad actũ prius elicit actum imperfectum quam perfectũ. Exẽplis autẽ id comprobatur. Generans enim quia eſt agens procedens de potentia ad actum, prius generat embrionẽ quam animal; & ſeuſus, quia eſt agens procedens de potentia ad actum, prius elicit actũ imperfectum, & elicit ſenſationem circa ſingulare magis cõmune, quam circa magis determinatum; vt patet, quia videns aliquid à lõge prius percipit in illo hoc ens, quam hoc animal, & tale animal: & pueri prius percipiunt homines, quam inter vnũ & alterum decernant. Et ita, vt dicitur in hoc, 1. capite huius libri, omnes homines à principio vocant patres. Imò circa obiectum debite approximatũ prius natura viſus percipit in illo colorem, quã album, aut nigrum: cum enim coloratum
ſit

ſit obiectum ſpecificatiuum viſus, prius percipit viſus colorem. Ergò à ſimili intellectus primo elicit cognitionem entis.

Confirmatur. Quia in ſententia ipſius Scoti prius de quolibet obiecto habet intellectus cognitionem confuſam, quam diſtinctam illius, & huius nulla poteſt aſſignari ratio, niſi quod cum intellectus ſit procedens de potentia ad actum, prius peruenit ad cognitionem confuſam alicuius obiecti quam ad diſtinctam, quæ reſpectu confuſæ eſt perfectior. Ergo eadem ratione inter cognitiones confuſas, prius imperfectiorem & magis communem & confuſam quam minus perfectam & magis particularem elicit intellectus.

4 Aduerſus principium, in quo progreſſus prædictæ rationis D. Thomæ fundatur, obijcies illud pati inſtantias. Sol enim quamuis ſit agens naturale procedēs de potentia ad actum, circa paſſum debite approximarum & diſpoſitum, non prius cauſat illuminationem imperfectam, & poſtea perfectam, ſed ſtatim illud perfecte illuminat. Non igitur ordo perueniendi prius ad actum imperfectum, quam ad perfectum neceſſarius eſt in agente naturali, quod procedit de potentia ad actum. Imò nec ſemper ſeruatur in intellectu: ille enim prius elicit aſſenſum præmiſſarū, quam concluſionis, & tamen aſſenſus præmiſſarum, vtpotè ad lumen primorum principiorum pertinens, perfectior eſt aſ-

ſen-

ſenſu concluſionis. Prædictum igitur principium, & in ipſo intellectu & in alijs patitur inſtantiam.

5 Reſpondetur inſtantiam adductam de Sole non obſtare: Sol enim ſemper eſt in actu illuminationis: ſemper enim actu ab illo egrediuntur radij medijs quibus illuminet, licet aliquando defectu ſubiecti, vel capacitatis illius, non recipiatur in illo Solis illuminatio, & ſic ipſe Sol ſemper eſt in actu perfectiſſimo illuminationis. Et ſi inquiras de primo inſtanti, in quo creatus eſt Sol; tunc enim ſaltem videtur illum exiſſe de potentia ad actum illuminandi, & tamen tunc etiam primum elicuit perfectiſſimum actum illuminationis. Ergò etiam cum proceſſit de potentia ad actum illuminandi, non peruenit ab actu imperfecto illùminationis ad perfectum. Reſpondetur, quod illuminatio à Sole non fit per actionem, ſed per naturalem emanationem lucis ab illo, & quod ab aliquo naturaliter dimanat, in primo inſtanti ſecundum omnem perfectionem ab illo profluit. Non autem ſic de actibus, aut effectibus, qui ſunt vere actiones, & non naturales emanationes & reſultantiæ: tales enim vere actiones ſi ab agente naturali procedente de potentia ad actum debeant elici, prius minus perfectæ quàm magis perfectæ neceſſario elicientur. Et quia cognitio intellectus circa aliquod obiectum non eſt naturalis emanatio per modum proprietatis ab ipſo intellectu, ſed

vera illius actio, cum intellectus ante omnem ſuam talem actionem ſit in pura potentia, prius cognitionem imperfectam, quam perfectam elicere debet.

6 Ad aliam autem inſtantiam ipſius intellectus reſpondetur, quod talis illius naturalis ordo in cognitione ſeruatur, cum aliàs cognitio minus perfecta non neceſſario à perfectiori dependeat, & quia cognitio ſcientifica neceſſario dependet à cognitione primorum principiorum, licet hæc ſit perfectior illa, hanc prius quam illam debet habere intellectus.

7 Secundo principaliter probatur concluſio retorquendo aduerſus Scotum illius fundamentum. Nam, vt ipſe concedit, illud prius ab intellectu cognoſcitur, cuius ſingulare fortius mouet ſenſum: ſed non ſingulare ſpeciei ſpecialiſſimæ, (vt Scotus ſubſumit) ſed ſingulare entis, ſcilicet hoc ens fortius mouet ſenſum. Ergo non ſpecies ſpecialiſſima, ſed ens eſt quod primo ab intellectu cognoſcitur. Minor probatur. Quia illud fortius mouet ſenſum, quod maiorem habet actiuitatem ad illum mouendum. Sed ad mouendum ſenſum maiorem habet actiuitatem ſingulare entis, quam ſpeciei ſpecialiſſimæ. Ergo fortius illud quam iſtud mouet ſenſum, Minor probatur. Quia maiorem habet actiuitatem ad aliquem effectum, quod magis diſtans poteſt illum cauſare: ſicut maiorem habet actiuitatem ignis ad calefaciendum, qui magis diſtans calefacere po-

poteſt, quam qui ita diſtans calefacere nequit. Sed ſingulare entis magis diſtans poteſt mouere ſenſum, quem æque ab illo diſtans mouere non poteſt ſingulare ſpeciei ſpecialiſſimæ. Ergo maiorem illud quam illud habet actiuitatem ad mouendum ſenſum. Minor experientia eſt nota. Experimur enim obiectum à longe diſtans percipi, quod ſit hoc ens, non tamen quod ſit tale vel tale ens, vt quod ſit hoc animal, aut hic homo. Id autem non poteſt eſſe, niſi quia ex tali diſtanria mouet ſenſum ſingulare entis, non autem animalis, aut hominis. Ergo equè diſtante à noſtro ſenſu ſingulari, mouet illum vt magis commune & non vt determinatum.

Confirmatur. Quia cum omnis noſtra cognitio pro hoc ſtatu ortum habeat à ſenſu, idem ordo debet ſeruari in cognitione intellectiua naturæ vniuerſalis, atque in ſenſitiua eius ſingularium, ac perinde illud prius cognoſcitur à noſtro intellectu, cuius ſingulare prius mouet ſenſum. Sed (vt ex argumento facto euidenter deducitur) ſingulare entis prius mouet ſenſum, quam ſingulare ſpeciei ſpecialiſſimæ. Ergo prius ipſum ens quam ſpecies ſpecialiſſima cognoſcitur à noſtro intellectu.

8 Tertio denique probatur concluſio, quia intellectus in cognitione complexa, prius habet cognitionem principiorũ magis communium, vt quod quodlibet eſt, vel non eſt, quam principiorum particularium. Ergo in cognitione incomplexa

prius

prius intellectus cognoſcit ens, quam quodlibet prædicatum minus commune. Conſequentia probatur. Tum à paritate rationis. Tum etiam, quia cum ad complexionem principij magis communis ingrediatur ens, & ad complexionem principiorum particularium alia incomplexa minus communia, ſi aliud incomplexum minus commune quam ens prius cognoſceret intellectus, poſſet vtique cum illo facere complexum aliquod particulare & illud prius cognoſcere, quam complexum communiſſimum, quod ex compoſitione alicuius cum conceptu communiſſimo entis reſultat.

9 Obijcies primo. Quod agens naturale non impeditum primo producit effectum perfectiſſimum quem poteſt, cùm ex eo quod ſit agens naturale agat ſecundum vltimum ſuæ potentiæ. Sed intellectus ad cognoſcendum eſt agens naturale non impeditum. Ergo primo elicit effectum perfectiſſimum quem poteſt. Sed perfectiſſimus effectus, quem poteſt elicere, non eſt cognitio entis, ſed cognitio ſpeciei ſpecialiſſimæ. Ergo primum quod cognoſcit non eſt ens, ſed ſpecies ſpecialiſſima. Minor probatur. Quia ſi effectus perfectiſſimus intellectus eſſet cognitio entis, nunquam poſſet peruenire ad cognitionem ſpeciei ſpecialiſſimæ quia nulla potentia poteſt peruenire ad actum perfectiorem ſuo perfectiſſimo. Et certum eſt cognitionem ſpeciei ſpecialiſſimæ, cum

ſit

ſit cognitio minus confuſa, perfectiorem eſſe cognitione entis. Ergo cognitio entis non eſt effectus perfectiſſimus, quem intellectus elicere poteſt.

10 Reſpondetur imprimis, quod in ipſius Scoti ſententia intellectus quamuis ſit agens naturale non impeditum, non prius exit in cognitionem diſtinctam alicuius quam in confuſam. Et tamen certum eſt cognitionem diſtinctam alicuius obiecti eſſe perfectiorem cognitione illius confuſa. Ergo adhuc in ſua ſententia non eſt verum, quod intellectus non impeditus primo elicit actum perfectiſſimum quem poteſt. Vnde ad argumentum reſpondetur dupliciter. Primo abſolute negando maiorem, vtpotè oppoſitam principio, quo noſtram probauimus ſententiam, videlicet quod agens naturale exiens de potentia ad actum primo elicit actum imperfectum quam perfectum: quia quamuis agat ſecundum vltimum ſuæ potentiæ, vltimum ſuæ potentiæ eſt primo elicere actũ ſuæ potentialitati magis proportionatum, & perinde minus perfectum, qui eſt medius inter ipſius intellect[illegible] poten-tialitatem, & actum ill[illegible] Se-cundo reſpond[illegible] em Caietan[illegible] præ-ced[illegible] iorem. [illegible] um primo [illegible] que [illegible]

fectiſſimum quem abſolute poteſt, nego maiorem, & quia cognitio entis, licet non ſit effectus perfectiſſimus quem abſolute intellectus efficere poteſt, eſt tamen perfectiſſima, imò vnica cognitio, quam in primo inſtanti quo exit de pura potentia cognitionis ad actum, tunc intellectus elicere poteſt, non poteſt tunc niſi illam elicere.

11 Obijcies ſecundo, quod cum noſtra cognitio intellectus ortum habeat à ſenſu, illud vniuerſale prius cognoſcitur à noſtro intellectu, cuius ſingulare fortius mouet ſenſum. Sed ſingulare ſpeciei ſpecialiſſimæ fortius mobet ſenſum quam ſingulare entis aut alterius naturæ communis; ergo ſpecies ſpecialiſſima & non ens aut alia natura communis eſt quæ prius cognoſcitur à noſtro intellectu. Minor probatur. Tum quia ſingulare inquantum ſingulare mouet ſenſum, cum obiectum illius ſit ſingulare. Ergo magis ſingulare magis & fortius mouet ſenſum: ſed ſingulare ſpeciei ſpecialiſſimæ eſt magis ſingulare, cum ſit magis determinatum quam [illegible]are entis aut alterius naturæ com[illegible]: ergo ſingulare ſpeciei ſpecialiſſi[illegible]ius mouet ſenſum. Tum etiam, [illegible]d ſingulare fortius mouet, quod [illegible]ius: ſed ſingulare ſpeciei ſpecia[illegible]ualius, cum addat actualita[illegible]ationem ad alia ſingula[illegible] mouet quam alia ſingu-

12 Re-

12 Reſpondetur negando minorem, falſitatem enim illius ſatis oſtendimus in ſecunda probatione noſtræ concluſionis. Vnde ad primam probationem reſpondetur, quod licet ſingulare in quantum ſingolare moueat ſenſum, ly inquantum dicente conditionem mouendi, quia cum ſenſus ſit potentia materialis non poteſt attingere vniuerſale; ratio tamen formalis mouendi ſenſum non eſt ipſa ſingularitas, ſed ratio ſpecificatiua ipſius ſenſus, vt colorarum reſpectu potentiæ viſiuæ, Et ita coloratum ſingulare eſt quod primo per ſe mouet viſum, cum non poſſit terminari niſi ad coloratum ſingulare; hoc tamen vel illud vltimo determinatum ſingulare & hoc album vel hoc nigrum non eſt obiectum per ſe viſus, & ita fortius mouet viſum hoc coloratum quam hoc album aut hoc nigrum: ſiquidem diſtantius poteſt viſum mouere hoc coloratum, quam hoc album vel hoc nigrum. Vnde ad argumentũ neganda eſt conſequentia, ſicut enim ignis quamuis ad calefaciendum petat, vt conditionem applicationem ad paſſum, ille erit fortior & maioris actiuitatis ignis qui magis diſtans & cum minori applicatione ad paſſum, illud poſſet calefacere. Ita eodem modo quamuis ad mouendum ſenſum, quodlibet obiectum exigat, vt conditionē ſingularitatem; illud obiectum erit fortius admouendum ſenſum, quod magis ab illo diſtans, ac perinde vt minori ſingularitate determinatum poteſt illum mouere.

Et

Et quia ſingulare entis etiam ſi magis diſtet à ſenſibus: ac perinde ab illis vt minus ſingulare attingatur, poteſt ſenſum magis ab illo diſtans mouere, fortius quã ſingulare magis determinatum mouet ſenſum. Vel ſecundo poteſt dici, quod etiam ſi ſingularitas eſſet ratio formalis mouendi ſenſum, ſolum ſequeretur quòd magis ſingulare eſt ſecundum ſe magis per ſenſum cognoſcibile. Quia tamen ſenſus procedit de potentia ad actum, prima cognitione elicit actum imperfectiorem, & non cognoſcit tunc magis ſingulare & magis perinde ſecundum ſe cognoſcibile, ſed ſingulare magis commune & minus determinatum.

Ad ſecundam probationem eiuſdem minoris reſpondetur, quod licet potentię ſenſitiuæ, quia materiales ſunt, non poſſint moueri niſi à ſingulari; quia tamen earum obiectum non eſt determinatum ad ſingulare alicuius ſpeciei; vt obiectum viſus non eſt ſingulare determinatum ad ſpeciem albi aut nigri, ſed ſingulare coloratum, & quia ſenſus procedit de potentia ad actum, non fortius mouet ſenſum ſingulare magis actuale & magis determinatum, ſed potius ſingulare magis commune, cum illud (vt ſæpius diximus) magis diſtans poſſit mouere ſenſum.

13 Obijcies tertio, quod cum intellectus non intelligat niſi per abſtractionem à ſingularibus, id prius ab intellectu cognoſcitur quod eſt facilioris abſtractionis;

ſed

ſed ſpecies ſpecialiſſima eſt facilioris abſtractionis à ſuis inferioribus quam quælibet alia natura ſuperior. Ergo inter omnes naturas vniuerſales, quas intellectus per abſtractionem à ſingularibus poteſt cognoſcere, ſpecies ſpecialiſsima eſt quam primo intellectus cognoſcit. Minor probatur. Quia ſingularia ſpeciei ſpecialiſsimæ magis ſunt ſimilia quam ſingularia cuiuſcunque alterius naturæ ſuperioris: ſed à magis ſimilibus facilius fit abſtractio. Ergo à ſingularibus ſpeciei ſpecialiſsimæ facilius fit abſtractio quam à ſingularibus alterius naturæ ſuperioris: ac perinde inter omnes naturas vniuerſales ſpecies ſpecialiſsima eſt facilioris abſtractionis.

14 Reſpondetur, quod duplex poteſt eſſe abſtractio à ſingularibus cuiuslibet naturæ, altera negatiua per id ſolum quod repræſentetur natura non repræſentatis conditionibus indiuiduantibus, quæ abſtractio fit per intellectum agentē & æque faciliter fit à quibuſcunque ſingularibus cuiuſcunque naturæ, & hæc abſtractio à ſingularibus eſt quæ requiritur ad cognitionem confuſam cuiuslibet naturæ ſpecificæ, genericæ, vel ipſius entis, quia media illa cognoſcitur natura non cognitis his quæ implicite & in potentia continet. Altera eſt abſtractio à ſingularibus comparatiua qua ex conuenientia & conformitate ſingulorum in aliqua ratione, abſtrahitur ab illis ratio communis in qua conueniunt, & hæc abſtractio requiritur

ad

cognitionem confuſam alicuius naturæ, & ita eſto ſpecies ſpecialiſsima ſit facilioris abſtractionis in hoc ſecundo genere abſtractionis, non tamen in primo. Vnde ſi de abſtractione à ſingularibus requiſita ad cognitionem confuſam alicuius naturæ fiat ſermo, conceſſa maiori, neganda eſt minor argumenti facti.

15 Obijcies quarto, quod teſte Auicena 1. Metaph. cap. 3. ordo ſcientiarum exigit quod inter ſcientias naturales Metaphiſica ſit vltima acquiſitione. Sed obiectum Metaphiſicæ eſt ens: ergo illud eſt a nobis vltimo cognoſcibile: ac perinde illud non eſt quod primo cognoſcitur à noſtro intellectu. Patet conſequentia, quia ordo ſcientiarum videtur proportionari ordini cognoſcibilium à noſtro intellectu.

16 Reſpondetur negando conſequentiam, hic enim non loquimur de ordine cognitionis ſcientificæ aut de ordine ſcientiarum; ſed de cognitione ſimplici confuſa.

17 Vltimo tandem obijcies, quod ſi oporteret ante cognitionem ſpeciei ſpecialiſsimæ cognoſcere prædicta vniuerſaliora, ſequeretur quod poſita ſenſatione & poſitis ſpaciebus intelligibilibus in intellectu multum temporis conſumeretur vſque ad cognitionem ſpeciei ſpecialiſsimæ, ſiquidem plura ſunt prædicta vniuerſaliora, quæ oporteret prius intelligi, oppoſitum autem conſequentis experientia

tia demonſtrat. Non igitur oportet quod prius omnia prædicata vniuerſalia cognoſcantur.

18 Reſpondetur primo, quod etiam ſi omnia prædicata ſuperiora ad aliquam ſpeciem ſpecialiſsimam oporteat prius quam illam cognoſci, quia illa non ſunt infinita nec in magno numero, ſed ſpecies quælibet athoma ad multum habet decem aut nouem prædicata ſibi ſuperiora, omnia illa poſſunt in paruula, imo & in morula imperceptibili cognoſci. Secundo reſpondetur, quod licèt circa quodlibet obiectum cognitione confuſa neceſſario primo cognoſcatur ens, quia illius conceptus eſt imperfectiſſimus; & à quo perinde intellectus procedens de potentia ad actum debeat incipere: & quia ens eſt proprium & ſpecificatiuum obiectum illius, & primus actus cuiuslibet potentiæ debet eſſe circa obiectum ſpecificatiuum; tamen forſan non eſt ita eſſentialis ordo in cognoſcendo alia prædicata intermedia, quin poſſit intellectus abſque cognitione illorum ad cognitionem confuſam deſcendere ſpeciei ſpecialiſsimæ, & ita in cognitione confuſa ſpeciei non conſumetur tempus, quod pro inconuenienti intendebat argumentum.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Vtrum ens materiale ſit primo cognitum cognitione confuſa pro hoc ſtatu à noſtro intellectu?

INter ipſos Thomiſtas, qui aduerſus Scotum conueniunt, nō ſpeciem ſpecialiſſimam, ſed ens eſſe primo cognitum cognitione confuſa à noſtro intellectu, adhuc eſt diſſidium, an pro hoc ſtatu, prout videlicet intellectus noſter eſt immerſus materię, primum eius cognitum cognitione confuſa ſit ens determinate materiale, an vero ens magis cōmune non determinando ens materiale, aut ſpirituale. Primum enim cum Caiet. cap. 1. de ente & eſſentia in prædicta q. 1. plures cōtendunt Thomiſtę explicātes illud vniuerſale principium D. Thom. quod intellectus noſter cum ſit agens naturale procedens de potētia ad actum, prius debet elicere actū magis imperfectum; vt intelligatur intra ambitum obiecti illi proportionati, & quia obiectū proportionatum noſtri intellectus pro hoc ſtatu ſolum eſt ens materiale, ſeu (vt aiunt) concretum quidditati ſenſibili, circa hoc obiectum intellectus in ſua prima cognitione confuſa elicit actum im-

poteſt, quam qui ita diſtans calefacere nequit. Sed ſingulare entis magis diſtans poteſt mouere ſenſum, quem æque ab illo diſtans mouere non poteſt ſingulare ſpeciei ſpecialiſſimæ. Ergo maiorem illud quam illud habet actiuitatem ad mouendum ſenſum. Minor experientia eſt nota. Experimur enim obiectum à longe diſtans percipi, quod ſit hoc ens, non tamen quod ſit tale vel tale ens, vt quod ſit hoc animal, aut hic homo. Id autem non poteſt eſſe, niſi quia ex tali diſtanria mouet ſenſum ſingulare entis, non autem animalis, aut hominis. Ergo equè diſtante à noſtro ſenſu ſingulari, mouet illum vt magis commune & non vt determinatum.

Confirmatur. Quia cum omnis noſtra cognitio pro hoc ſtatu ortum habeat à ſenſu, idem ordo debet ſeruari in cognitione intellectiua naturæ vniuerſalis, atque in ſenſitiua eius ſingularium, ac perinde illud prius cognoſcitur à noſtro intellectu, cuius ſingulare prius mouet ſenſum. Sed (vt ex argumento facto euidenter deducitur) ſingulare entis prius mouet ſenſum, quam ſingulare ſpeciei ſpecialiſſimæ. Ergo prius ipſum ens quam ſpecies ſpecialiſſima cognoſcitur à noſtro intellectu.

8 Tertio denique probatur concluſio, quia intellectus in cognitione complexa, prius habet cognitionem principiorũ magis communium, vt quod quodlibet eſt, vel non eſt, quam principiorum particularium. Ergo in cognitione incomplexa

prius

prius intellectus cognoſcit ens, quam quodlibet prædicatum minus commune. Conſequentia probatur. Tum à paritate rationis. Tum etiam, quia cum ad complexionem principij magis communis ingrediatur ens, & ad complexionem principiorum particularium alia incomplexa minus communia, ſi aliud incomplexum minus commune quam ens prius cognoſceret intellectus, poſſet vtique cum illo facere complexum aliquod particulare & illud prius cognoſcere, quam complexum communiſſimum, quod ex compoſitione alicuius cum conceptu communiſſimo entis reſultat.

9 Obijcies primo. Quod agens naturale non impeditum primo producit effectum perfectiſſimum quem poteſt, cùm ex eo quod ſit agens naturale agat ſecundum vltimum ſuæ potentiæ. Sed intellectus ad cognoſcendum eſt agens naturale non impeditum. Ergo primo elicit effectum perfectiſſimum quem poteſt. Sed perfectiſſimus effectus, quem poteſt elicere, non eſt cognitio entis, ſed cognitio ſpeciei ſpecialiſſimæ. Ergo primum quod cognoſcit non eſt ens, ſed ſpecies ſpecialiſſima. Minor probatur. Quia ſi effectus perfectiſſimus intellectus eſſet cognitio entis, nunquam poſſet peruenire ad cognitionem ſpeciei ſpecialiſſimæ quia nulla potentia poteſt peruenire ad actum perfectiorem ſuo perfectiſſimo. Et certum eſt cognitionem ſpeciei ſpecialiſſimæ, cum

ſit

ſit cognitio minus confuſa, perfectiorem eſſe cognitione entis. Ergo cognitio entis non eſt effectus perfectiſſimus, quem intellectus elicere poteſt.

10 Reſpondetur imprimis, quod in ipſius Scoti ſententia intellectus quamuis ſit agens naturale non impeditum, non prius exit in cognitionem diſtinctam alicuius quam in confuſam. Et tamen certum eſt cognitionem diſtinctam alicuius obiecti eſſe perfectiorem cognitione illius confuſa. Ergo adhuc in ſua ſententia non eſt verum, quod intellectus non impeditus primo elicit actum perfectiſſimum quem poteſt. Vnde ad argumentum reſpondetur dupliciter. Primo abſolute negando maiorem, vtpotè oppoſitam principio, quo noſtram probauimus ſententiam, videlicet quod agens naturale exiens de potentia ad actum primo elicit actum imperfectum quam perfectum: quia quamuis agat ſecundum vltimum ſuæ potentiæ, vltimum ſuæ potentiæ eſt primo elicere actū ſuæ potentialitati magis proportionatum, & perinde minus perfectum, qui eſt medius inter ipſius intellectus puram potentialitatem, & actum illius perfectum. Secundo reſpondetur iuxta ſolutionem Caietani (quæ in re coincidit cum præcedenti) diſtinguendo illam maiorem. Agens naturale non impeditum primo elicit effectum perfectiſſimum quem poteſt producere: perfectiſſimum, inquam, quem pro tunc poteſt, concedo maiorem: perfe-

fectiſſimum quem abſolute poteſt, nego maiorem, & quia cognitio entis, licet non ſit effectus perfectiſſimus quem abſolute intellectus efficere poteſt, eſt tamen perfectiſſima, imò vnica cognitio, quam in primo inſtanti quo exit de pura potentia cognitionis ad actum, tunc intellectus elicere poteſt, non poteſt tunc niſi illam elicere.

11 Obijcies ſecundo, quod cum noſtra cognitio intellectus ortum habeat à ſenſu, illud vniuerſale prius cognoſcitur à noſtro intellectu, cuius ſingulare fortius mouet ſenſum. Sed ſingulare ſpeciei ſpecialiſſimæ fortius mobet ſenſum quam ſingulare entis aut alterius naturæ communis; ergo ſpecies ſpecialiſſima & non ens aut alia natura communis eſt quæ prius cognoſcitur à noſtro intellectu. Minor probatur. Tum quia ſingulare inquantum ſingulare mouet ſenſum, cum obiectum illius ſit ſingulare. Ergo magis ſingulare magis & fortius mouet ſenſum: ſed ſingulare ſpeciei ſpecialiſſimæ eſt magis ſingulare, cum ſit magis determinatum quam ſingulare entis aut alterius naturæ communis: ergo ſingulare ſpeciei ſpecialiſſimæ fortius mouet ſenſum. Tum etiam, quia illud ſingulare fortius mouet, quod eſt actualius: ſed ſingulare ſpeciei ſpecialiſſimæ eſt actualius, cum addat actualitatem & determinationem ad alia ſingularia: ergo fortius mouet quam alia ſingularia.

12 Re-

12 Reſpondetur negando minorem; falſitatem enim illius ſatis oſtendimus in ſecunda probatione noſtræ concluſionis. Vnde ad primam probationem reſpondetur, quod licet ſingulare in quantum ſingolare moueat ſenſum, ly inquantum dicente conditionem mouendi, quia cum ſenſus ſit potentia materialis non poteſt attingere vniuerſale; ratio tamen formalis mouendi ſenſum non eſt ipſa ſingularitas, ſed ratio ſpecificatiua ipſius ſenſus, vt colorarum reſpectu potentiæ viſiuæ, Et ita coloratum ſingulare eſt quod primo per ſe mouet viſum, cum non poſſit terminari niſi ad coloratum ſingulare; hoc tamen vel illud vltimo determinatum ſingulare & hoc album vel hoc nigrum non eſt obiectum per ſe viſus, & ita fortius mouet viſum hoc coloratum quam hoc album aut hoc nigrum: ſiquidem diſtantius poteſt viſum mouere hoc coloratum, quam hoc album vel hoc nigrum. Vnde ad argumentū neganda eſt conſequentia, ſicut enim ignis quamuis ad calefaciendum petat, vt conditionem applicationem ad paſſum, ille erit fortior & maioris actiuitatis ignis qui magis diſtans & cum minori applicatione ad paſſum, illud poſſet calefacere. Ita eodem modo quamuis ad mouendum ſenſum, quodlibet obiectum exigat, vt conditionē ſingularitatem; illud obiectum erit fortius ad mouendum ſenſum, quod magis ab illo diſtans, ac perinde vt minori ſingularitate determinatum poteſt illum mouere.

Et

Et quia ſingulare entis etiam ſi magis diſtet à ſenſibus: ac perinde ab illis vt minus ſingulare attingatur, poteſt ſenſum magis ab illo diſtans mouere, fortius quã ſingulare magis determinatum mouet ſenſum. Vel ſecundo poteſt dici, quod etiam ſi ſingularitas eſſet ratio formalis mouendi ſenſum, ſolum ſequeretur quod magis ſingulare eſt ſecundum ſe magis per ſenſum cognoſcibile. Quia tamen ſenſus procedit de potentia ad actum, prima cognitione elicit actum imperfectiorem, & non cognoſcit tunc magis ſingulare & magis perinde ſecundum ſe cognoſcibile, ſed ſingulare magis commune & minus determinatum.

Ad ſecundam probationem eiuſdem minoris reſpondetur, quod licet potentię ſenſitiuæ, quia materiales ſunt, non poſſint moueri niſi à ſingulari; quia tamen earum obiectum non eſt determinatum ad ſingulare alicuius ſpeciei; vt obiectum viſus non eſt ſingulare determinatum ad ſpeciem albi aut nigri, ſed ſingulare coloratum, & quia ſenſus procedit de potentia ad actum, non fortius mouet ſenſum ſingulare magis actuale & magis determinatum, ſed potius ſingulare magis commune, cum illud (vt ſæpius diximus) magis diſtans poſſit mouere ſenſum.

13 Obijcies tertio, quod cum intellectus non intelligat niſi per abſtractionem à ſingularibus, id prius ab intellectu cognoſcitur quod eſt facilioris abſtractionis;

ſed

ſed ſpecies ſpecialiſſima eſt facilioris abſtractionis à ſuis inferioribus quam quælibet alia natura ſuperior. Ergo inter omnes naturas vniuerſales, quas intellectus per abſtractionem à ſingularibus poteſt cognoſcere, ſpecies ſpecialiſsima eſt quam primo intellectus cognoſcit. Minor probatur. Quia ſingularia ſpeciei ſpecialiſsimæ magis ſunt ſimilia quam ſingularia cuiuſcunque alterius naturæ ſuperioris: ſed à magis ſimilibus facilius fit abſtractio. Ergo à ſingularibus ſpeciei ſpecialiſsimæ facilius fit abſtractio quam à ſingularibus alterius naturæ ſuperioris: ac perinde inter omnes naturas vniuerſales ſpecies ſpecialiſsima eſt facilioris abſtractionis.

14 Reſpondetur, quod duplex poteſt eſſe abſtractio à ſingularibus cuiuslibet naturæ, altera negatiua per id ſolum quod repræſentetur natura non repræſentatis conditionibus indiuiduantibus, quæ abſtractio fit per intellectum agentē & æque faciliter fit à quibuſcunque ſingularibus cuiuſcunque naturæ, & hæc abſtractio à ſingularibus eſt quæ requiritur ad cognitionem confuſam cuiuslibet naturæ ſpecificæ, genericæ, vel ipſius entis, quia media illa cognoſcitur natura non cognitis his quæ implicite & in potentia continet. Altera eſt abſtractio à ſingularibus comparatiua qua ex conuenientia & conformitate ſingulorum in aliqua ratione, abſtrahitur ab illis ratio communis in qua conueniunt, & hæc abſtractio requiritur

ad

cognitionem confuſam alicuius naturæ, & ita eſto ſpecies ſpecialiſsima ſit facilioris abſtractionis in hoc ſecundo genere abſtractionis, non tamen in primo. Vnde ſi de abſtractione à ſingularibus requiſita ad cognitionem confuſam alicuius naturæ fiat ſermo, conceſſa maiori, neganda eſt minor argumenti facti.

15 Obijcies quarto, quod teſte Auicena 1. Metaph. cap. 3. ordo ſcientiarum exigit quod inter ſcientias naturales Metaphiſica ſit vltima acquiſitione. Sed obiectum Metaphiſicæ eſt ens: ergo illud eſt a nobis vltimo cognoſcibile: ac perinde illud non eſt quod primo cognoſcitur à noſtro intellectu. Patet conſequentia, quia ordo ſcientiarum videtur proportionari ordini cognoſcibilium à noſtro intellectu.

16 Reſpondetur negando conſequentiam, hic enim non loquimur de ordine cognitionis ſcientificæ aut de ordine ſcientiarum; ſed de cognitione ſimplici confuſa.

17 Vltimo tandem obijcies, quod ſi oporteret ante cognitionem ſpeciei ſpecialiſsimæ cognoſcere prædicta vniuerſaliora, ſequeretur quod poſita ſenſatione & poſitis ſpeciebus intelligibilibus in intellectu multum temporis conſumeretur vſque ad cognitionem ſpeciei ſpecialiſsimæ, ſiquidem plura ſunt prædicta vniuerſaliora, quæ oporteret prius intelligi, oppoſitum autem conſequentis experientia

tia demonſtrat. Non igitur oportet quod prius omnia prædicata vniuerſalia cognoſcantur.

18 Reſpondetur primo, quod etiam ſi omnia prædicata ſuperiora ad aliquam ſpeciem ſpecialiſsimam oporteat prius quam illam cognoſci, quia illa non ſunt infinita nec in magno numero, ſed ſpecies quælibet athoma ad multum habet decem aut nouem prædicata ſibi ſuperiora, omnia illa poſſunt in paruula, imo & in morula imperceptibili cognoſci. Secundo reſpondetur, quod licèt circa quodlibet obiectum cognitione confuſa neceſſario primo cognoſcatur ens, quia illius conceptus eſt imperfectiſſimus; & à quo perinde intellectus procedens de potentia ad actum debeat incipere: & quia ens eſt proprium & ſpecificatiuum obiectum illius, & primus actus cuiuslibet potentiæ debet eſſe circa obiectum ſpecificatiuum; tamen forſan non eſt ita eſſentialis ordo in cognoſcendo alia prædicata intermedia, quin poſſit intellectus abſque cognitione illorum ad cognitionem confuſam deſcendere ſpeciei ſpecialiſsimæ, & ita in cognitione confuſa ſpeciei non conſumetur tempus, quod pro inconuenienti intendebat argumentum.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Vtrum ens materiale ſit primo cognitum cognitione confuſa pro hoc ſtatu à noſtro intellectu?

INter ipſos Thomiſtas, qui aduerſus Scotum conueniunt, nõ ſpeciem ſpecialiſſimam, ſed ens eſſe primo cognitum cognitione confuſa à noſtro intellectu, adhuc eſt diſſidium, an pro hoc ſtatu, prout videlicet intellectus noſter eſt immerſus materię, primum eius cognitum cognitione confuſa ſit ens determinate materiale, an vero ens magis cõmune non determinando ens materiale, aut ſpirituale. Primum enim cum Caiet. cap. 1. de ente & eſſentia in prædicta q. 1. plures cõtendunt Thomiſtę explicãtes illud vniuerſale principium D. Thom. quod intellectus noſter cum ſit agens naturale procedens de potẽtia ad actum, prius debet elicere actũ magis imperfectum; vt intelligatur intra ambitum obiecti illi proportionati, & quia obiectũ proportionatum noſtri intellectus pro hoc ſtatu ſolum eſt ens materiale, ſeu (vt aiunt) concretum quidditati ſenſibili, circa hoc obiectum intellectus in ſua prima cognitione confuſa elicit actum im-

perfectiorem, cognitionem videlicet entis materialis non determinando aliquam ſpeciem illius.

2 Primum autem huius ſententię fundamentũ in illius propoſitione inſinuatur, quod quælibet potentia primũ ſuum actũ debet elicere circa obiectum ſuum proportionatum: obiectum autem proportionatum noſtri intellectus pro hoc ſtatu eſt ens materiale. Ergo circa illud intellectus noſter pro hoc ſtatu primum ſuum actum elicere debet.

3 Secundum eſt, quod intellectus noſter pro hoc ſtatu cũ intelligat per ſpecies abſtractas à phantaſmatibus, & in phantaſia ſolum ſint phantaſmata rei materialis, ſpecies quas intellectus agens à phantaſmatibus abſtrahit, & medijs quibus tam primam quã omnem aliã cognitionem intellectus noſter pro hoc ſtatu poteſt elicere, ſunt ſpecies entis materialis. Ergo medijs illis non poteſt primam elicere cognitionem, niſi entis materialis. Patet conſeq. Quia media aliqua ſpecie, prima quæ elicitur cognitio, eſt illius obiecti, quod primo & per ſe per talem ſpeciem repræſentatur, licet poſtea ſecundario & per cõnotationem & ſimilitudinem ad tale obiectũ poſſit aliud cognoſci. Ergo cũ per ſpecies quibus noſter intellectus pro hoc ſtatu cognoſcit, primo & per ſe repræſentetur ens materiale, illud primo intellectus cognoſcere debet. Et ſi poſtea vellit cognoſcere ens ſpirituale, ſeu ens vt abſtrahit à materiali

riali & ſpirituali, per connotationẽ vtiq; & ſimilitudinem ad ens materiale quod cognoſcit, & non aliter poteſt illud cognoſcere.

4 Hinc ſumitur tertium eiuſdem ſentẽtiæ fundamentũ, quod cũ intellectus pro hoc ſtatu vtatur ſpeciebus repręſentãtibus primo & per ſe ens materiale, non poteſt cognoſcere ens ſpirituale, nec ens vt abſtrahit à materiali & ſpirituali, niſi per cõnotationem aut ſimilitudinem ad ens materiale. Ergo ad id prius oportet quod cognouerit ens materiale, ac perinde illud eſt primo cognitũ pro hoc ſtatu à noſtro intellectu. Probatur cõſequentia, quia nihil poteſt cognoſci ad connotationem & ſimilitudinem alicuius, niſi illo prius cognito, quia cognitio connotatiua eſt quaſi diſcurſiua, in qua ex cognitione vnius ad cognitionem alterius, quod cum illo habet ſimilitudinem, deuenitur: ſicuti connotatiue: cognoſcimus Deum per creaturas prius cognoſcendo creaturas, & ex cõnotatione illarum Deum, & connotatiue cognoſcimus Angelum per ſpeciẽ iuuenis cognoſcendo prius iuuenem, & ad ſimilitudinẽ & proportionem cũ illo Angelum. Ergo ſi non poteſt intellectus pro hoc ſtatu cognoſcere ens ſpirituale, nec ens vt abſtrahit à materiali & ſpirituali, niſi per connotationem ad ens materiale, prius neceſſario debet cognoſcere ens materiale, ac perinde debet eſſe primo cognitum à noſtro intellectu pro hoc ſtatu.

5 Ingenue fateor ſatis probabilem eſſe prædictam ſententiam. Oppoſitam tamen vt probabiliorē cum noſtro authore hic, q.1. alijſque Thomiſtis defendo, videlicet quod primū quod de aliqua re intellectus pro hoc ſtatu cognitione cōfuſa cognoſcit, non eſt determinate ens materiale, ſed eſt magis commune, & in maiori confuſione non determinando aliquem gradum entis, ſed ſolum quod habet eſſe,& quod ſignificatur hoc nomine ens. Pro cuius explicatione & ſolutione fundamentorū in oppoſitū eſt aduertendum, quod ens in cōmuni poteſt ſecundum duplicem abſtractionem a ſuis inferioribus cognoſci; poteſt enim ab illis abſtrahi abſtractione negatiua, nō cōparando illud ad ipſa inferiora,ſed pręciſe cognoſcendo rationem entis, non ſolū non cognitis illius inferioribus,ente videlicet materiali & ſpirituali, ſed nec vllatenus cognito aliquo reſpectu aut habitudine ad illa, & hoc modo cognoſcitur ens confuſiſſime & imperfectiſſime. Aliter poteſt cognoſci ens in cōmuni,vt abſtractum ab inferioribus abſtractione poſitiua, cognoſcendo videlicet ſaltem in exercitio reſpectū & habitudinem illius ad ſua inferiora,& ad cognoſcendū ens hoc modo & vt ſic poſitiue abſtractum, ab ente videlicet materiali & ſpirituali, oportet prius cognouiſſe ipſa inferiora & cōuenientiam illarum in ente,vt ſic relictis eis in quibus differunt, cognoſcatur ratio entis, in qua conueniunt, vt illis eſt cōmunis, & vt ab

illis

illis poſitiue abſtrahit. Hoc ergo ſuppoſi-to cũ dicimus nõ determinate ens materia-le, ſed ens in communi eſſe primũ cognitũ cognitione confuſa pro hoc ſtatu à noſtro intellectu, non loquimur de ente in cõmu-ni abſtracto abſtractione poſitiua ab ente materiali & ſpirituali, quia ad cognoſcẽ-dum ſic ens in communi (vt diximus) eſſet neceſſarium prius cognoſcere ipſa inferio-ra, á quibus abſtrahitur: ſed quod inten-dimus eſt, quod id quod primo de quali-bet re noſter cognoſcit intellectus, eſt ra-tio communis entis abſtracta abſtractione negatiua ab inferioribus, id eſt, non co-gnita aliqua ratione inferiori.

6 Sic explicata concluſio probatur, quia intellectus cum ſit agens procedens de potentia ad actum primo debet elicere actum magis imperfectum; ſaltem cum ille à cognitione magis perfecta neceſſa-rio non dependet. Sed cognitio entis in cõmuni eſt imperfectior, quam cognitio entis materialis, & ab iſta nõ neceſſariò de pendet, etiam pro hoc ſtatu. Ergo prius debet intellectus etiam pro hoc ſtatu co-gnoſcere ens in communi, quam ens ma-teriale. Cõſequentia patet, & maior prob. Quia ſolum illud commune principium D. Thomæ poſſet limitari, cum cognitio aliqua imperfectior ab alia perfectiori de-pendet. Ergo ſi cognitio entis in commu-ni, cum ſit omnium imperfectiſſima alias non dependeat à cognitione entis mate-rialis, prima cognitio intellectus erit en-

tis in communi. Minor autem quoad ſecundam partem, in qua eſt difficultas, conſtabit ſoluendo argumenta oppoſitæ ſententiæ, quæ omnia tendunt ad probãdum cognitionem entis in communi dependere pro hoc ſtatu à cognitione entis materialis.

Confirmari poteſt noſtra concluſio, quia ens in communi eſt obiectum ſpecificatiuum noſtri intellectus. Sed quælibet potentia circa obiectum ſuum ſpecificatiuum primum ſuum actum debet habere. Ergo ſi alias cognitio entis in communi etiam pro hoc ſtatu poſſit haberi, abſque præuia cognitione entis materialis, prima cognitio intellectus noſtri etiam pro hoc ſtatu erit entis in communi: vt igitur hanc conditionalem purificemus & oſtendamus cognitionem entis in communi ab intellectu noſtro etiam pro hoc ſtatu abſque præuia cognitione entis materialis elici poſſe iam fundamentis oppoſitę ſententię, oppoſitum probare contendentibus, occurremus.

7 Ad primum igitur reſpondetur, quod quælibet quidem potentia debet elicere ſuum actum circa ſuum obiectum proportionatũ, vel circa aliquid incluſum in illo, & quia ratio entis includitur in materiali, quod eſt obiectum proportionatum intellectus noſtri, pro hoc ſtatu, ſi inadæquate & imperfecte cognoſcatur ens materiale, qualiter ſic cognoſcatur in prima cognitione, ſolũ cognoſcitur de illo ratio

entis,

entis. Et argumentũ ſolum probat, quod prima cognitio adęquata & perfecta intellectus noſtri pro hoc ſtatu,debet eſſe circa ens materiale & attingendo ens vt ad materiam contractũ, Quia tamen(vt dixi)in ente materiali primo concurrit eſſe quam eſſe tale, ſcilicet materiale, inadæquate prius concipitur eſſe, quam eſſe materiale.

8 Quod ſi inſtes,quod cum obiectum proportionatum noſtri intellectus pro hoc ſtatu ſit ens materiale, nihil poſſumus cognoſcere, niſi ſub ratione materialis, vel per ordinem & connotationẽ ad materiale. Ergo in ente materiali non poſſumus attingere rationem entis, niſi determinatã ad rationem materialitatis. Reſpondetur, quod non eſt idem de obiecto proportionato alicuius potẽtiæ,ac de obiecto ſpecificatiuo illius: licet enim nihil poſſit attingi ab aliqua potentia, niſi ſub ratione formali ſui obiecti ſpecificatiui.obiectũ tamẽ proportionatũ,quia ſolũ eſt obiectum cõnaturale,non debet ita neceſſariò ſicut obiectum ſpecificatiuum ingredi omnẽ actũ potentiæ. Sed ſolum ex eo quod obiectũ proportionatum illius eſt, deducitur quod primum actum adæquatum debeat habere potentia circa tale ſuum obiectum proportionatũ,non quod in eodem obiecto proportionato non poſſit inadæquate prius cõcipere rationem communem, quam particularem, etiam ſi media iſta tale obiectum proportionetur potentiæ.

9 Ad ſecundum fundamentum reſpõ-

detur, quod licet intellectus pro hoc ſtatu nõ cognoſcat, niſi medijs ſpeciebus primo & per ſe repræſentantibus ens materiale: ac perinde quod ſi medijs illis aliquẽ cõceptum adæquatum eliciat, primus talis conceptus adæquatus debet eſſe entis materialis, id tamen nõ obſtat, quominus medijs talibus ſpeciebus prius intellectus eliciat conceptũ inadæquatũ entis quam cõceptum adæquatum entis materialis, quia vtrunq; adæquate repræſẽtatur per ſpeciẽ, & intellectus in prima ſui cognitione non potens elicere conceptũ perfectũ & adæquatũ, ſed imperfectum, inadæquatũ & cõfuſiſſimũ, non poteſt adæquata repræſentatione ſpeciei tunc vti, ſed ſolum repræſẽtatione illius inadæquata: ſicuti enim in oppoſita ſententia licet non ſolum ſpecie entis materialis informetur intellectus, ſed ſpecie determinata talis entis materialis lapidis, vel leonis, non poteſt in ſua prima cognitione intellectus adæquata talis ſpeciei repræſentatione vti, ſed ſolum inadæquata illius repræſentatione, ſcilicet entis materialis, ita & nos dicimus quod licet intellectus pro hoc ſtatu informetur ſpecie entis materialis, non poteſt in prima cognitione adæquata illius repræſentatione vti, ſed ſolum inadæquata & minori illius repræſentatione, & media illa tunc ſolum cognoſcere ens confuſiſſime, non determinando ad ens materiale aut immateriale.

10 Ad vltimum denique fundamentum

tum reſpondetur, quod licet ens immateriale, & etiam ens, vt nõ negatiue ſed poſitiue abſtrahẽs ab ente materiali & immateriali nõ poſſit cognoſci ab intellectu noſtro, niſi per connotationẽ ad ens materiale, & ſic ad illius cognitionẽ debeat præſupponi cognitio entis materialis, tamen ens in cõmuni & in confuſo & ſolũ negatiue abſtrahens ab inferioribus, ſeu (vt melius dicam) illa nõ explicans nõ cognoſcitur ad connotationẽ entis materialis, ſed quadam cognitione imperfecta & confuſiſſima, qua cognoſcitur communiſſime quod habet eſſe, & quod primo nomine entis ſignificatur. Et ita ad talem cognitionem non debet præſupponi cognitio entis materialis.

QVÆSTIO IV.

Vtrum principia entis naturalis ſint tantum tria, & ſint contraria?

VT quæ & quot ſint principia entis naturalis explicemus, oportet prius quid illa ſint explicare, & loquimur de ente naturali, quod videlicet habet in ſe principium motus & quietis; Priùs tamen quã huiuſmodi definitionem principiorũ ex Ariſtotele aſſignemus, eſt præmittenda differentia inter principium, cauſam &

elementum: principium enim latius patet quam cauſa,& cauſa quam elementũ: cum enim principium ſolum dicat ordinem ad principiatum, non autem dicat influxum reſpectu illius, non omne principium eſt cauſa priuatio enim (vt videbimus) eſt principium entis naturalis,& non eſt cauſa illius. Cauſa autem dicit influxum, ſed latius patet quam elementum: omnis enim cauſa etiam extrinſeca, vt efficiens & finalis habet rationem cauſæ, non tamen elementi; ſed ſolum cauſæ intrinſecæ, vt materia & forma ſunt elementa in quæ reſoluitur compoſitum.

2 His ergo ſuppoſitis, omiſis varijs principiorũ acceptionibus,principia entis naturalis definit Philoſophus hic tex. 24. quod *sũt quæ nõ fiunt ex alijs neq; ex alterutris,& omnia fiunt ex ipſis*. Per primã particulam quod *non fiat ex alijs* ſignificatur illa debere eſſe prima principia: quæ enim ex alijs fiunt, vt elementa non ſunt prima principia, & ſic per iſtam definitionem excluduntur. Per alteram autem particulam, quod non fiant *ex alterutris*, ſignificatur quod nec vnum principiũ poteſt fieri ex altero,ad differentiam cauſarũ quæ poſſunt adinuicem in diuerſo genere eſſe ſibi cauſæ. Ac deniq; per vltimã particulam: *& omnia ſunt ex ipſis* denotatur, nullum eſſe ens naturale quod ex primis principijs nõ fiat. Aduerſus hanc tamen principiorum definitionem præter illa quæ aduerſus numerum principiorum ſta-

tim obijciemus, quorum aliqua etiam præfatæ principiorum definitioni videntur obſtare.

3 Obijcies quod forma eſt vnum ex principijs: & tamen illa fit ex priuatione, quod eſt alterum principiũ, vt ex nõ equo fit forma equi, & ſimiliter illa cũ ſit forma materialis fit ex materia, quæ eſt alterum principium. Ergo prima principia falſum eſt, quod non fiant ex alterutris, id eſt quod vnum non fiat ex alio.

4 Reſpondetur primo, quod teſte Ariſtotele lib 8. Metaphiſicæ c. 1. & D. Thoma ibi lect. 1. ſolum compoſitum propriè fit, vt oſtendit etiam D. Thom. 1. p. q. 45. art. 4. quia compoſito propriè cõuenit eſſe, partibus autem ſolum ratione compoſiti. Vnde cũ *fieri* ponitur in definitione principiorum, ſumitur pro fieri ſimpliciter, & partes non ſimpliciter fiunt, & ſic illis non propriè competit fieri ex alijs neque ex alterutris.

5 Secundo & melius reſpondetur cũ noſtro authore in præſenti q. 5. art. 1. quod cum dicitur principia non fieri ex alterutris, intelligitur quod non fiant ex illis tãquam ex partibus eſſentialibus, non tamẽ quod vnum non fiat ex altero, tanquam ex termino à quo: ſic enim ipſe Ariſtoteles tex. 43. dicit, quodlibet fieri ex ſuo contrario; forma autem fit ex priuatione tanquã ex termino a quo, non tanquam ex parte ipſius formæ: & forma materialis fit ex materia tanquam ex ſubiecto; non tamen

tanquam ex parte: neque materia eſt pars formæ, aut forma pars materiæ.

6 Explicata ergo principiorum definitione, inquirimus, an illa ſint tantũ tria & an ſint contraria, & ab hoc ſecundo eſt incipiendũ, quia Ariſtoteles ex reſolutione illius numerũ probat principiorũ. Pro vtriuſq; tamen reſolutione eſt aduertendũ quod ens naturale poteſt conſiderari in fieri & in facto eſſe, & ita poſſumus loqui vel de principijs ipſius entis naturalis in facto eſſe, vel de principijs illius in fieri, ſeu (vt melius dicã) de principijs ipſius generationis & productionis entis naturalis.

7 Dico primo, ad productionem entis naturalis requiruntur principia contraria. Ita expreſſe Ariſtoteles in præſẽti c.5. imò id licet veritate coacti veteres non negarunt Philoſophi, & omnes poſt Ariſtotelẽ amplectuntur. Quia vnum quodq; fit ex nõ tali, vt ignis ex non igne, ſeu ex priuatione ignis: ſi enim ad productionem ignis ſupponeretur in materia forma ignis nõ poſſet in illo forma ignis introduci, aut ignis de nouo produci. Sed ignis & nõ ignis ſeu priuatio ignis & ignis ſunt cõtraria. Ergo ad fieri ſeu generationẽ requiruntur principia contraria: contraria, inquã non cõtrarietate propria vt cõdiſtincta ab oppoſitione priuatiua: hæc enim debet eſſe inter formas poſitiuas & non ſubſtãtiales, quia ſubſtantiæ propriè nihil eſt contrariũ, & oppoſitio prædictorũ principiorũ, cũ alterũ ſit priuatio, & forma poſitiua ſit ipſa

for-

forma ſubſtantialis, ex vtroque cap. habet quod non ſit proprie contraria, ſed dicuntur contraria lato modo, prout contrarietas etiam ambit oppoſitionem priuatiuam.

8 In eo autem ſenſu non ſolum principia rei naturalis ſunt contraria, ſed (vt ait Ariſtoteles) ſunt prima contraria. Tum quia non ſunt ex alijs prioribus contrarijs, nec ad alia priora contraria poſſunt reduci. Tum etiam, quia omnia alia contraria ad illa reducuntur & in illis originantur.

9 Dico ſecundo, principia entis naturalis in fieri ſeu productionis ipſius entis naturalis ſunt tãtum tria. Concluſio cũ ſit excluſiua habet duas exponẽtes, ſcilicet quod ſunt tria & non ſunt plura quam tria. Vnde vtramq; oportet exponentẽ probare. Quod igitur ſint tria probatur, quia non eſt ſolum vnum principium, nec ſolũ duo: ergo ſunt tria. Quod non ſit ſolum vnum probatur, quia ad fieri cuiuſcunq; entis naturalis concurrunt neceſſario principia cõtraria. Sed nihil eſt ſibi contrarium: ergo non eſt ſolum vnum principiũ. Quod non ſint ſolum duo, probatur. Tum quia requiruntur principia contraria, ſed contraria non poſſunt ad inuicẽ agere vel pati, niſi circa aliquod ſubiectum: ergo præter ipſa cõtraria quæ requiruntur, requiritur ſubiectum, circa quod verſentur. Tum etiã quia (vt præcedenti cõcluſione explicuimus) principia quæ ad generationem entis naturalis requiruntur contraria, non ſunt proprie cõtraria, ſed priuatiue oppoſita. Sed priuatio

non

non eſt niſi in ſubiecto apto ad habendam formam: ergo præter priuationem & formam, quæ ſunt duo principia, requiritur ſubiectum, ſcilicet materia prima quæ ſit capax formæ ſubſtantialis, & ſic habetur veritas primæ exponentis, quod principia generationis entis naturalis ſint tria, ſcilicet materia, forma & priuatio.

10 Secunda autem exponens, ſcilicet quod ad generationem entis neturalis non ſint neceſſaria plura quam tria principia, probatur. Quia ad quamlibet mutationem ſufficiunt duo contraria, quorum vnum habeat rationem termini à quo & alterum rationem termini ad quem, ſed ad duo contrária ſufficit vnum ſubiectum: ergo ad quamlibet generationem entis naturalis ſufficiunt tria principia, forma videlicet, & priuatio, quæ ſunt contraria, & materia, quæ eſt ſubiectum talium contrariorum. Cum dicimus autem vnum ex prædictis principijs eſſe priuationem, non accipimus priuationem formaliter prout eſt aliquid rationis (ſic enim non poteſt eſſe principium mutationis realis) ſed fundamentaliter prout eſt realis carentia formæ in ſubiecto apto habere illam, & proxime illius capaci: licet enim materia ſub aliqua forma exiſtens & ad aliam recipiendam non diſpoſita ſit capax remote alterius formæ, quatenus per illam quam habet, eius capacitas non eſt ſatiata, non tamen eſt capax proxime alicuius formæ, vſque dum ad illam per diſpoſitio-

tio-

tiones antecedentes ſit vltimo diſpoſita, & vſque tunc non præ intelligitur in materia proxima & propria priuatio talis formæ.

11 Dico tertio, ad ens naturale in facto eſſe ſolum dantur duo principia, ſcilicet materia & forma. Probatur. Quia principia entis ſeu compoſiti naturalis in facto eſſe ſolum ſunt quæ manent in illo, & in quæ illud reſoluitur: vnum quodque enim ex illis componitur, quæ in ipſo permanent & in quæ reſoluitur. Sed in ente ſeu compoſito naturali, poſtquam factum eſt, ſolum permanet materia & forma, & in illa reſoluitur. Ergo ſolum materia & forma ſunt principia entis naturalis in facto eſſe. Minor probatur. Quia non poteſt manere priuatio formæ, cum ſit terminus à quo, & maneat ipſa forma, quæ eſt terminus ad quem: nunquam enim terminus à quo permanet cum termino ad quem.

12 Hinc explicantur propoſitiones Ariſtotelis, quod principia entis naturalis quodammodo ſunt duo, quodammodo tria, quodammodo contraria, quodammodo non contraria: quia ad ipſum fieri entis naturalis concurrunt tria principia, & duo illorum, ſcilicet forma, & priuatio, ſunt contraria. Ad ipſum autem ens naturale in facto eſſe ſolum concurrunt duo principia, ſcilicet materia & forma, quæ nullatenus ad inuicem contrariantur.

13 Obſicies primo. Quod non ad omne ens naturale etiam in fieri cõcurrit priuatio formæ producendæ. Ergo non cuiuſlibet entis naturalis ſunt tria principia. Antecedens probatur. Quia ad productionem cœli, imò & ad productionem terræ, vt primo fuit à Deo producta abſque eo quod materia illius ſub altera forma præceſſerit, non concurrit priuatio formæ. Ergo non ad productionem cuiuslibet entis naturalis priuatio formæ producendæ concurrit. §. Si dicas, quod hic ſolum loquimur de principijs entis naturalis generabilis & corruptibilis, & quod de facto per generationem, & non per creationem producitur: & quia cœlum & terra, vt de facto contingit, non per eductionem formæ ex materia, ſed per creationem fuerunt producta, non mirum quod ad eorum productionem priuatio formæ illorum nõ concurrat, nec ad productionem alicuius per creationem concurrunt principia contraria, quia creatio dicitur productio entis ex non ente, quatenus eſt productio ex nihilo; non autem dicitur productio entis ex tali non ente, quia terminus à quo creationis debet eſſe pura negatio, negatio ſcilicet totius entitatis, non autem negatio alicuius formæ in ſubiecto, quod ipſa forma in potentia contineat, quæ eſt negatio per modum priuationis, & contrarie oppoſita formæ producendæ, eo modo quo intelligimus ad generationem entis naturalis concurrere principia contraria.

14 Contra hoc eſt. Nam cum ex ſpeciebus ſacramentalibus producitur vermis, tunc vermis vere generatur, & eius forma educitur ex materia. Et tamen in illius materia non concurrit ad talem vermis productionem priuatio formæ producendę. Ergo nec talis priuatio requiritur ad productionem, quæ eſt proprie generatio entis naturalis. Minor probatur. Quia in tali caſu materia vermis non præceſſit ſub alia forma, ſed in eodem inſtanti, in quo producitur vermis, vel illius materia creatur à Deo, vel præ exiſtens quantitas panis miraculoſe in illam conuertitur. Ergo cum nullum fuerit inſtans, in quo talis materia non fuerit ſub forma vermis, non concurrit in materia ad productionem vermis priuatio ipſius formæ producendæ. §. Nec valet dicere quod etiam tunc cum in aliquo priori naturę intelligatur materia ante formam vermis, in eodem priori naturę intelligitur in eadem materia priuatio ipſius formæ vermis. §. Non, inquam, id valet. Tum quia eodem modo poſſet dici quod in priori naturę ad productionem formę cœli pręceſſit in materia priuatio formę producendę, & ſic nulla eſſet differentia aſſignata inter entia naturalia, generabilia & non generabilia. Tum vel maxime, quia aliàs in noſtro caſu in eodem inſtanti reali temporis eſſet materia cum forma vermis, & cùm priuatione & negatione eiuſdem formę: ea enim quorum vnum ſolum prioritate naturę pręcedit alte-

alterum, in eodem reali inſtanti temporis ſimul coexiſtunt. Sed impoſſibile eſt quod in eodem reali inſtanti temporis ſit ſimul in materia forma vermis & illius priuatio ſeu negatio, aliàs pro eodem inſtanti reali temporis verificarentur iſtæ duæ contradictoriæ, quod talis forma eſt in materia & talis forma non eſt in materia. Ergo ſolum in vltimo inſtanti vel tempore antecedenti ad introductionem formæ, in quo materia eſt vltimo diſpoſita ad illam per diſpoſitiones antecedentes & corruptiuas formæ præexiſtentis, poteſt eſſe in materia priuatio primæ formę introducendæ. Ergo cum in noſtro caſu non præceſſerit in aliquo tempore vel reali inſtanti temporis materia ad introductionem formæ vermis in illa, nullum datur inſtans reale vel tempus, in quo talis materia ſit ſub priuatione formæ vermis.

15 Reſpondetur ad argumentum, ſolutionem datam eſſe optimam. Et ad replicam relicta ſolutione illi aſſignata, vtpotè quæ optimè per hanc replicam reijcitur, reſpondetur quod licet in tali caſu materia vermis non præcedat introductionem formæ vermis, præcedit tamen quantitas panis, in qua cum recipiantur accidentia diſponentia ad formam vermis in illa, vt quantum ad id vicem gerente materiæ, exiſtit priuatio formæ vermis concurrens vt terminus à quo ad ipſius vermis productionem: vt enim priuatio formæ producendæ ſic vt terminus à quo ad pro-

productionem alicuius concurrat, non debet ſimul, neque in inſtanti temporis exiſtere cum forma, quæ eſt terminus generationis, ſed præcedere ipſam productionem & per terminum ad quem ipſius productionis excludi. In cœlo autem & in omni compoſito quod per actionem creatiuam ad materiam & formam ſimul terminatam producitur, cum non ſolum ad talem productionem non præcedat materia, ſed nec aliquid aliud vicem gerens materiæ, in quo diſpoſitiones antecedentes ad formam introducendam recipiantur, non præcedit vllatenus priuatio talis formæ.

16 Quod ſi adhuc aduerſus prædicta inſtes, quod ſi educeretur aliqua forma ex materia nullatenus diſpoſita, quia ad talis formæ eductionem nec ipſa materia, nec aliquid vicem eius gerens præceſſit, tunc ad talem eductionem non concurret priuatio formæ educendæ. Ergo hæc non eſt principium neceſſarium ad fieri alicuius compoſiti, etiam quod non per creationem, ſed per aliam productionem producitur.

17 Reſpondetur quod quidquid ſit, an in tali caſu productio talis formæ poſſit eſſe eductio illius ex materia, & non potius creatio (de quo poſtea) ſaltem talis productio formæ & compoſiti, quod ex ipſa forma ſic producta & materia conſtaret, non poſſet fieri virtute agentis naturalis, & ſic non eſſet inconueniens,

quod

quod ad talem productionem non concurreret tamquã terminus à quo priuatio formæ producendæ: cum enim diximus illam eſſe principium neceſſarium ad productionem compoſiti naturalis, loquimur de productione quæ virtute fit agentis naturalis, non autem de illa, quæ ſupernaturaliter fieri poteſt, ac perinde poteſt fieri abſque priuatione formæ producendæ.

18 Secundo principaliter ad probandum etiã quod principia generationis entis naturalis nõ ſint tria, obijcies quod forma producenda non eſt principium generationis entis naturalis. Ergo principia non ſunt tria, ſiquidem vnum illorũ numeratur forma. Antecedens probatur. Quia forma producẽda ſolum pertinet ad generationem vt illius terminus ad quẽ. Sed id non ſufficit vt numeretur inter principia generationis, aliàs inter illa numeraretur etiam ipſum compoſitum genitum: cum illud non ſolum ſit terminus generationis, ſed totalis & principalis illius terminus.

Confirmatur. Quia non ſolum ex parte termini ad quem generationi correſpondet forma producta, ſed & priuatio formę corruptæ. Ergo ſi ex eo quod forma producta eſt terminus ad quem generationis, & priuatio formæ producendæ eſt illius terminus à quo, talis forma & priuatio numerantur inter principia generationis, etiam inter illa debet numerari priuatio formæ corruptæ, vel neutrum prædictorum debet numerari.

19 Re-

19 Reſpondetur ad argumentum, quod forma per generationem producta, quamuis ſit terminus formalis ipſius generationis; quia tamen ſimul eſt pars compoſiti ad quod vltimo generatio ordinatur, ideò talis forma eſt principium compoſiti in fieri, & cum ipſum fieri compoſiti nihil ſit aliud quam eius generatio, talis forma eſt principium generationis; ipſum autem compoſitum ſolum eſt terminus generationis, & nullatenus principium. §. Præter quam quod hic loquimur de primis principijs quæ nec fiunt ex alijs, neque ex alterutris tamquam ex partibus; ipſum autem compoſitum fit vt ex partibus ex primis principijs, materia & forma, & ſic nō poteſt eſſe primum principium.

Ad confirmationem reſpondetur, quod ex parte termini ad quem, ſolum ponitur principium generationis, quod per ſe intenditur à natura, & quia ſicut natura non per ſe intendit corruptionem alicuius, ita nec priuatio formæ corruptæ eſt per ſe intenta in generatione à natura, id eo talis priuatio formæ corruptæ quamuis materialiter & cōcomitāter ſe habeat ex parte termini ad quē generationis, nō enumeratur inter ipſius generationis principia.

20 Aduerſus ſecundam autem exponentem, ſcilicet quod principia generationis in fieri non ſunt plura quam tria obijcies. Primo quod cum inter illa non ſolū principia intrinſeca entis naturalis, ſed etiam principium extrinſecum illius, ſcilicet pri-

ua-

natio formæ producendæ numeretur, eodē modo poteſt inter illa numerari ipſum agens ſeu efficiens: illud enim quamuis extrinſecum, eſt tamen principium omnino neceſſarium ad generationem cuiuſuis entis naturalis. Ergo illo alijs, ſuperaddito, iam ſunt plura quam tria principia.

21 Reſpondetur quod licet ad generationem vt actio eſt, & ad ipſum genitum vt eſt effectus, per ſe requiratur agens; ad generationem autem formaliter vt eſt mutatio (qua ratione loquimur hic de illa) omnino extrinſecè ſe habet agens, non tamen priuatio formæ producendæ, quia ingreditur tamquam terminus à quo definitionem mutationis & agens ſolum ingreditur in definitionem illius, vt actio. Et ſi per impoſſibile ſaluaretur mutatio ſeu tranſitus de non eſſe v.g. ignis ad eſſe ignis abſque omni prorſus agente vere ſaluaretur ratio mutationis.

22 Secundo ad idem probandum obijcies. Quia non ſolum ex parte termini à quo concurrit ad generationem entis naturalis priuatio formæ producendæ, ſed etiam forma corrupti: ignis enim non ſolum fit ex non igne, ſed ex ligno. Ergo præter materiam, formam & priuatiotionem, datur aliud principium generationis naturalis, ſcilicet forma corrupti.

23 Reſpondetur, quod hic ſolum aſſignantur principia quæ per ſe concurrunt ad generationem; forma autem quæ expellitur ad introductionem alterius formæ &

ge-

generationem alicuius compoſiti, materialiter & per accidens ſe habet ex parte termini à quo: accidit enim generationi v.g. ignis, quod ignis fiat ex ligno, vel ex ſtuppa, vel ex aliquo alio, & per ſe ſolum eſt, quod fiat ex non igne, & ita ſolum priuatio formæ producendæ ponitur vt terminus à quo generationis vt illius principium, non autem forma corrupti, quæ per generationem expellitur. §. Quod ſi obijcias ad alicuius formæ introductionẽ non ſolum per ſe ex parte termini à quo requiri priuationem eiuſdem formæ, ſed etiam determinatam formam expellendam, vt ad introductionem formæ cadaueris per ſe ex parte termini à quo ſupponitur expellenda forma viuentis, & ad generationem aceti requiritur in materia forma vini expellenda. §. Reſpondetur. Quod cum hic aſſignentur principia per ſe requiſita ad omnem generationem, non autem quæ particulariter ad hanc vel aliã generationem requiruntur, & ad omnem generationem ſolum per ſe requiratur ex parte termini à quo priuatio formæ producendæ, illa ſolum aſſignatur principium generationis ex parte termini à quo, non autem forma expellenda quæ ſolum ad hanc vel illam generationem requiritur determinata.

QVAE-

QVAESTIO V.

Vtrùm detur materia prima, & an ſit realiter à forma diſtincta, quid ſit, & quam habeat vnitatem?

DIco primo. Certum eſt dari materiam primam quæ ſit primum ſubiectum receptiuum formæ ſubſtantialis. Concluſio eſt omnium communis. Et probatur. Quia certum eſt dari generationem ſubſtantialem virtute agentis creati naturalis, ad quam præcedant diſpoſitiones, & quæ ſit actio diſtincta à creatione omnino ex nihilo, ad quam perinde nullæ præcedunt diſpoſitiones, & quæ virtutem infinitam exigit in agente, eſtque propria actio ſoluis Dei. Sed non poteſt dari generatio ſubſtantialis, & ad illam diſpoſitiones præcedere, niſi detur materia quæ ſit ſubiectum commune formę quę expellitur, & formæ quæ per generationem introducitur. Talis igitur datur materia. Minor probatur. Tum quia ſi talis materia non daretur, productio cuiuſlibet rei eſſet creatio, ſiquidem fieret totaliter ex nihilo. Tum etiam quia ad generationem naturalem nullæ præcederent diſpoſitiones: iſtæ enim ſolum diſponunt ad generationem, quatenus determinant ma-

materiam, vt in illa magis iſta quam alia forma introducatur. Ergo ſi non daretur materia, quæ eſſet ſubiectum formæ ſubſtantialis, non poſſet dari generatio diſtincta à creatione, nec ad talem generationem aliquæ deberent præcedere diſpoſitiones.

2 Dico ſecundo, Materia eſt entitas realiter diſtincta à forma ſubſtantiali. Oppoſitum tenuerunt aliqui antiqui apud Scotum in 2. diſt. 12. q. 1. exiſtimantes no dari compoſitum ſubſtantiale ex materia, & forma realiter inter ſe diſtinctis, ſed materiam & formam eſſe eandem realiter entitatem, & inquantum potentialem vocari materiam, & quatenus actualem appellari formam, & quod aliquid generari, ſolum eſt quod vna entitas totalis, imò & ſimplex, v. g. ligni connertatur in totam & ſimplicem entitatem ignis. Et quia, ad hanc conuerſionem exigebant terminũ à quo, qui non ſit purum nihil, illud videlicet quod conuertitur in aliud, per id diſtinguerent generationem ſubſtantialẽ à creatione. Sed certe hæc ſententia falſiſſima eſt, & concedit virtute naturali, conuerſionem totalem ſubſtãtialem vnius in aliud, quod vt mirabile & ſolum virtute Diuina poſſibile concedunt Catholici in admirabili conuerſione Sacramentali, per quam totus panis conuertitur in totũ corpus Chriſti. Et probatur, manifeſte formam ſubſtantialem diſtingui realiter à materia, quia anima rationalis eſt vere,

forma ſubſtantialis & realiter diſtinguitur à materia, nam cum moritur homo, anima rationalis, vt de fide eſt certum, non corrumpitur aut deſinit eſſe: ac perinde nõ cõuertitur in cadauer. Ergo vel in ipſo cadauere manet materia quã informabat anima rationalis, vel talis materia totaliter corrumpitur, non corrupta anima rationali, vel denique manet talis materia realiter identificata cum anima rationali. Si dicatur primum (vt re vera eſt dicendum) iam materia illa diſtinguitur realiter ab anima rationali, ſiquidem manet ab illa realiter ſeparata, & ſub altera forma, ſcilicet ſub forma cadaueris. Si autem dicatur ſecundum; & quod materia quæ erat informata anima rationali conuertitur in cadauer, ac perinde talis materia deſinit eſſe, etiam ex eo manifeſte ſequitur talẽ materiam realiter diſtingui ab anima rationali, ſiquidem talis materia realiter cõuertitur in cadauer: ac perinde realiter deſinit eſſe, & anima rationalis non cõuertitur in cadauer, nec deſinit eſſe, ſed realiter permanet. Si denique dicatur tertium, cum eo nõ poteſt ſaluari quod homo moriatur, ſi quidem nec ipſa anima ſeparatur à materia, nec totus homo, in aliud conuertitur. Et cum anima rationalis quamuis non educatur ex potentia materiæ ſit vere forma illius, vt definitur in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. & in Concilio Vienenſi ſub Clemente V. eadẽ ratione omnis forma ſubſtantialis diſtinguitur rea-

realiter à materia, quam informat. Et non minus alia animalia vt canis, aut leo ſunt compoſita ex forma & materia realiter inter ſe diſtinctis, quam homo: aliàs illa ſicut eſſent ſimpliciora quam homo, eſſent etiam & perfectiora quam ille.

3 Dico tertio. Materia prima eſt *primum ſubiectum vniuſcuiuſque, ex quo fit aliquid cum inſit, non ſecundum accidens.* Ita illam definit Ariſtoteles in hoc libro tex. 82. Per id autem quod in hac definitione dicitur, materiam eſſe, *primum ſubiectum*, diſtinguitur à ſubiecto accidentium, quod cum ſupponat ſubiectum formæ ſubſtantialis, quod eſt ipſa materia, non eſt primum ſed ſecundum ſubiectum: per illam autem particulam, *ex quo fit aliquid* excluditur cauſa efficiens, quia licet ab illa fiat aliquid, non tamen ex illa. Per id autem quod additur, *cum inſit* excluditur priuatio, quia licet ex illa fiat aliquid vt ex termino à quo, non tamen illa ineſt ſeu permanet in eo quod ex illa fit, ſicut in eo quod fit ex materia ipſa materia permanente. Et per eandem particulam excluditur forma corrupti, quia quamuis ex illa quodammodo vt ex termino à quo fiat aliquid, vt ex vino fit acetum, non tamen forma corrupti permanet in eo quod fit ex illa. Imò & per eandem excluduntur elementa, quia quamuis ex illis fiat mixtum, illa non permanent formaliter in mixto. Per vltimam denique particulam, *non ſecundum*

accidens, denotatur, quod illud quod fit ex materia, eſt compoſitum per ſe & non per accidens, ſicut illud quod fit ex ſubiecto accidentium: teſte enim Ariſt. 8. metaph. tex. 15. quia materiæ, cum ſit primum ſubiectum aduenit forma ſubſtantialis non vt exiſtenti in actu, ſed potius vt tribuens ei eſſe & exiſtere, facit vnum per ſe cum illa. Subiecto autem accidentium quia iam exiſtenti aduenit forma, non conſtituit cum illo vnum per ſe, ſed vnum per accidens.

4 Dico quarto. Materia prima licet ex ſe ſit pura potentia nullum phiſicũ includens actũ, includit tamen actũ eſſentialem metaphiſicum, per quem in ſuo eſſe eſſentiali cõſtituatur, & à forma & quolibet alio ente eſsẽtialiter diſtinguatur. Hęc concluſio (quam ad explicandã eſſentiam materiæ primæ nunc proponimus) meõ videri eſt ita certa, vt nulla niſi de nomine circa illã poſſit eſſe quæſtio. Dicimus ergo quod licet materia prima ex ſe ſit pura potentia in genere phiſico, nullũ videlicet ex ſe includẽs actũ phiſicũ, hoc eſt nec actum phiſicum formalem, qualis eſt forma ſubſtantialis, nec actum phiſicum ſubſiſtentiæ aut exiſtentiæ: neutrum enim talem actum habet materia ex ſe, ſed mediante forma, tamen materia ex ſe, & vt diſtincta à forma habet proprium actum metaphiſicum, quem addit ſupra rationem cõmunem ſubſtantiæ, & per quem in ſuo eſſe eſſentiali conſtituitur, & à forma & à quo-

quolibet alio eſsẽtialiter diſtinguitur. Cuius ratio eſt. Quia ſubſtantia diuiditur in materiam & formam. Ergo ſicut in forma ſubſtantiali datur conceptus ſubſtantiæ, & cõceptus talis ſubſtantiæ, & forma ſubſtãtialis eſt quoddã totum metaphiſicum ex tali duplici conceptu obiectiuo compoſitũ (licet hæc compoſitio vt in logica c. de genere, q. 3. explicuimus, à parte rei ſolum ſit fundamẽtalis & virtualis, & per intellectum actu diſtinguentẽ eas rationes, fiat actualis) ita etiã materia eſt quoddã totũ metaphiſicum ex cõceptu ſubſtantię & cõceptu talis ſubſtantiæ, videlicet ſubſtantiæ potentialis compoſitum: ac perinde ipſe conceptus talis ſubſtantiæ, videlicet potẽtialis erit in materia prima actus metaphiſicus & differentia eſſentialis, per quã contrahit & determinat rationem cõmunem ſubſtantiæ: omne enim quod ſupra aliquã rationem cõmunem additur vt illã determinans, habet ſe reſpectu illius vt actus metaphiſicus. Ergo licet materia ſit pura potentia in genere phiſico & in ordine ad formam ſubſtantialem, eadem met ratio puræ potentiæ phiſicæ eſt actus metaphiſicus reſpectu rationis cõmunis ſubſtantiæ, & per quem talis ratio communis ſubſtantiæ ad materiam contrahitur & determinatur. An vero talis actus eſſentialis materiæ appellari debeat actus illius entitatiuus, quæſtio eſt de nomine & exiſtimo non ita proprie appellari, quia cũ talis actus nõ ſit entitatiue diſtinctus à ratione

ſubſtantiæ quam actuat & determinat, non dicitur proprie actus entitatiuus, ſed actus differentialis, eſſentialis & metaphiſicus.

5 Quod ſi obijcias. Quod datur Deus, ita purus actus quod nullam materiam phiſicam nec metaphiſicam includat. Ergo debet dari aliquid, quod ſit ita pura potentia quod nullum prorſus actum phiſicũ nec metaphiſicum includat, & cum id non poſſit eſſe niſi materia prima, videtur illam nullum prorſus actum vel metaphiſicum includere. §. Reſpondetur negando conſequentiam: non enim poteſt aliquid eſſe reale & non purũ nihil, quin ſit determinatum, & non poteſt eſſe determinatũ, niſi per aliquem actum metaphiſicum; & ſimiliter nihil poteſt eſſe reale niſi à Deo participatum, aliamque vel imperfectam ſimilitudinem cum Deo habens, quam vtramque ſimilitudinem, cum Deus ſit purus actus, nulla creatura poteſt habere cum Deo, ſi nullum prorſus vel metaphiſicum habeat actũ, & ſic potius hoc argumentum in noſtrum retorquetur fauorem. Et cum materia teſte D. Thoma q. 3. de veritate art. 5. ad 1. habeat licet imperfectam aliquam imitationem, & ſimilitudinem cum Deo, aliquem actum ſaltem metaphiſicum debet habere, per quem aſſimiletur Deo, & illius ſummã & puriſſimã actualitatem licet imperfectiſſime, aliqualiter tamen imitetur.

6 Dico 5. Materia prima ex ſe habet vni-

vnitatem ſpecificā incompletam, non quidem athomam, ſed ſubalternam. Prima pars concluſionis probatur ex præcedēti, quia materia ex ſe & antecedenter ad formam habet actum metaphiſicum, ſcilicet eſſe puram potentiam in genere phiſico (per id enim cōtrahit & determinat ſubſtantiam & eſſentialiter diſtinguitur à forma) Ergo per talem actum conſtituitur materia intrinſecè in aliqua ſpecie diſtincta eſſentialiter à forma. §. Secunda autē pars, videlicet, quod ſpecies, in qua ex ſe conſtituitur materia, ſit incompleta, probatur. Quia eſt ſpecies entis ordinati per ſe ad formam phiſicam & potentialis in ordine ad illam: ergo eſt ſpecies incōpleta. §. Tertia denique pars, quod talis ſpecies materiæ non ſit athoma ſed ſubalterna, probatur. Quia diuiditur in duas ſpecies, materiæ ſcilicet ſublunaris, quæ ſecundum quod eſt materia amiſsibiliter recepiiua formarum, eſt diuerſæ ſpeciei à materia cœleſti, quatenus illa eſt in amiſſibiliter receptiua formæ.

7 Obijcies, quod materia prima ſecūdum D.Th.1.p.q.16.art.7.ad 2. non videtur habere vnitatem ſpecificam poſitiue, ſed ſolum negátiue: ita enim ait S. Doct. *Materia prima dicitur eſſe vna, non quia habet vnam formam, ſicut homo eſt vnus ab vnitate vnius formæ, ſed per remotionem omnium formarum diſtinguentium.* Ergo in sētentia D.Thom. materia prima non habet vnitatem ſpecificam, nec cōſtituitur in ali-

qua ſpecie per aliquem actū metaphiſicū: quod enim per illum conſtituitur in ſpecie, conſtituitur vtique in ſpecie poſitiua.

Confirmatur. Nam materia prima exiſtēs ſub aliqua forma ad ipſius formæ ſpeciem trahitur. Ergo ex ſe nullā habet vnitatem ſpecificam ſaltem poſitiue, ſed ſolum negatiue: quod enim ſolum negatiue habet vnitatem ſpecificam, bene poteſt tranſire ad ſpeciem poſitiuam iuxta naturam formæ diſtinguentis, quam recipit.

8 Reſpond. ad argumentum cum ſua confirmatione, quod in duplici ſpecie poteſt conſtitui materia prima, in vna quidē intrinſece, in altera extrinſece: conſtituitur quidem in ſpecie intrinſeca, incompleta tamen, per actum metaphiſicum, quem ex ſe habet, & cōſtitnitur in ſpecie extrinſeca formæ, quam recipit, per hoc quod illam recipiat, imo materia recipiēs formā, & cum illa componens totum ſubſtantiale, ſimul eſt extrinſice in ſpecie talis formæ, & in ſua ſpecie intrinſeca, quia adhuc tunc diſtinguitur eſſentialiter à forma, quā recipit. Et ita cum D.Th. in verbis in argumento adductis inſinuat materiam ex ſe ſolum dici vnam negatiue, non quia habet vnam formā, ſed per remotionem omniū formarum diſtinguentium, loquitur de vnitate extrinſeca ſpecifica materiæ quam vtique ex ſe ſolum materia negatiue habet, & ſolum per receptionem formæ in particulari habet vnitatem poſitiuam extrinſecam; non autem intendit D.Thomas ne-

negare materiæ primæ vnitatem poſitiuã, intrinſecam incompletam per ſuum metaphiſicum actum. Et per hoc patet ad confirmationem, quia materia prima, cum ex ſe ſolum negatiue habeat vnitatem ſpecificam extrinſecam, poteſt per receptionem formæ particularis ad ſpeciem ipſius formæ poſitiuæ, extrinſece tamen pertinere.

9 Vltimo tandem dico. Materia prima ex ſe ſolum habet vnitatem numericã negatiue, poſitiue autem fit vna numero per id quod tali, vel tali ſignetur quantitate. Prima pars concluſionis probatur, quia materia prima ex ſe ſolum habet actum eſſentialem metaphiſicum conſtituẽtem illam in ſuo eſſe eſſentiali & ſpecifico & ex ſe indifferens eſt ad omnem actum ſeu principium, ipſam materiam indiuiduans, quod vtique habere non poteſt, niſi iam informata forma ſubſtantiali. Ergo ex ſe materia prima ſolum eſt vna numero negatiue. §. Secunda autem pars cõcluſionis dependet ex dicendis circa principium indiuiduationis in rebus materialibus, ſed pro nunc dicimus, quod principium indiuiduationis & vnitatis numericæ poſitiue eſt ſignatio materię per quantitatem: ſiue enim ea deſignatio materiæ fit per quantitatem actualem (vt aliqui volunt) ſiue (vt veritas habet) per quantitatem radicaliter in materia præhabitam, non poteſt eam deſignationem habere materia ex ſe & independenter à for-

ma, quia ex ſe nec habet quantitatem, actualem, nec eſt radix determinatæ quantitatis.

QVÆSTIO VI.

Vtrum exiſtentia in rebus creatis diſtinguatur realiter ab eſſentia?

VT in ſequentibus diſputemus, an materia ex ſe propriam habeat exiſtentiam, neceſſarium fuit hanc quæſtionem, vt baſim & fundamentum omnium dicendorum præmittere, in qua loquimur de exiſtentia, prout eſt vltima actualitas cuiuſcunque rei, & media qua quælibet res vltimo ponitur extra cauſas, & non inquirimus, an talis exiſtentia diſtinguatur realiter ab eſſentia, vt in ſtatu puræ poſſibilitatis conſiderata: cum enim eſſentiæ rerũ extra potentiam Dei nihil ſint præter connexioné prædicatorũ & non repugnantiã, vt à Deo producantur, certum eſt quod exiſtentia à parte rei exercita diſtinguitur à rebus in ſtatu puræ poſſibilitatis, tanquã ens reale extra cauſas, & ens reale in potẽtia, ſeu (vt melius dicam) tanquã aliquid & nihil, quia creaturæ in ſtatu puræ poſſibilitatis nihil ſunt extra Deum: quæſtio igitur ſolum eſt, an exiſtentia diſtinguatur realiter à rebus actualiter exiſtentibus, ita vt fiat vnum compoſitum reale ex ipſa

ſe

re & eius exiſtentia, quamuis ipſa exiſtentia ſit conditio vel ratio formalis, vt res ipſa ſit actualis & ponatur extra cauſas. Sicuti licet forma ſubſtantialis requiratur vt materia ſit à parte rei, adhuc tamen materia informata forma diſtinguitur realiter ab ipſa forma, quam habet.

2 Durandus in 1.diſt.8.q.2. cui plures recentiores ſubſcribunt, exiſtimat in rebus creatis exiſtentiam ſolum ratione ratiocinata diſtingui ab eſſentia extra cauſas producta, ita vt quælibet res per ſuam entitatem realiter exiſtat, & tot dentur exiſtentiæ, quot fuerint entitates, & si entitates fuerint totales, & ad aliud componendum non ordinatæ, earum exiſtentia erit totalis; si autem entitates fuerint partiales & ad aliud componendum ordinatæ, sicut partiales ſunt entitates formæ & materiæ, earum exiſtentia cum ipsis entitatibus realiter identificata, etiam erit partialis. Scotus autem in 3. diſt.6. q.1. quem ſequuntur eius diſcipuli, diſtinctionem formalem ex natura rei admittit inter eſſentiam creatam, & illius exiſtentiã. Communis tamn ſententia Thomiſtarum diſtinctionem realem entitatiuam contendit reperiri in creatis inter quamlibet naturam & eſſentiam & illius exiſtentiam, diſtinctionem (inquam) realem entitatiuam, id eſt quod eſſentia & exiſtẽtia realiter non identificentur, licet quia exiſtentia non eſt entitas completa, ſed modus quidam naturæ, poſſit talis diſtinctio ap-

pellari modalis: & dummodo admittatur exiſtentiam, eſſentiam, ſeu naturam realiter non identificari, neque eſſe eandem realiter entitatem; quæſtio erit de nomine, an talis diſtinctio realis entitatiua, an vero realis modalis debeat appellari.

3 Dicendum eſt, in creatis exiſtentiã realiter non identificari cum eſſentia, ſed realiter entitatiue diſtingui ab illa. Concluſio imprimis probatur diuersis teſtimonijs D.Thom.opuſc.enim 48. tract. de ſubſtantia cap. 2. ait *eſſe eſſentia & eſſe actualis exiſtentia differunt realiter vt duæ diuerſa res*, & in opuſc.15. cap.8.aſſerit. *In quocunque præter primum, eſt potentia receptiua huius actus quod eſt eſſe*. Sed idem non poteſt eſſe potentia receptiua ſuæmet entitatis. Ergo actus eſſendi ſeu exiſtentia diſtinguitur in creatis entitatiue à quacũque re. Et in eodem loco ſubdit D.Tho. *In ſubſtantia compoſita ex materia & forma inuenitur duplex ordo, vnus quidẽ ipſius materia ad formam, alius autem ipſius rei iam compoſita ad eſſe participatum: non enim eſt eſſe rei, nec forma eius, nec materia, ſed aliquid adueniens rei per formam*. Conſtituit etiam S. Doct. differentiam inter eſſe Dei & eius eſſentiam ex vna parte,& eſſe creaturarum et eſſentiam illarum ex alia,quod Deus eſt ſuum eſſe, nulla autem creatura eſt ſuum eſſe, ſed quælibet, & etiam Angelus diſtinguitur à ſuo eſſe.Ita docet 1.p. quæſt.3.art.4.& 2.contra gentes,cap.52.& q. 7. de potentia art. 2. & alibi ſæpe, ac de-

denique pluribus in locis concedit D. Thomas realem compoſitionem in creaturis ex eſſe & eſſentia. Specialiterque id aſſerit 1.p.q.50. art.2.ad 3. & 4.& q.54. ar.3. in corpore & in 2.diſtinct.3.quæſt.1.ar.1. in fine corporis. Vbi ex eo concludit, quod natura ſeu ſubſtantia Angeli eſt aliud quam eius eſſe: ergo ſecundum mentem Diui Thomæ non poteſt dubitari quod in rebus creatis exiſtentia realiter diſtinguitur à natura ſeu eſſentia.

4 Nec valet aliquorum ſolutio; quod D. Thomas in prędictis teſtimonijs non loquitur de exiſtentia, ſed de ſubſiſtentia & ſolum de hac afferit diſtingui realiter à natura ſeu eſſentia,& compoſitionem cum illa facere. §. Non inquam id valet. Tum quia ſub diuerſis articulis inquirit Diuus Thomas de diſtinctione eſſe ab eſſentia, & ſubſiſtentiæ ab eſſentia. Vt patet in 1.par.q.3.art.3. & 4. & alijs in locis; ergo non ſumit pro eodem eſſe & ſubſiſtere. Tum etiam quia 1.p quæſt.50.art.2. ad 3 de ipſa forma ſubſiſtenti Angeli aſſerit diſtingui ab illius eſſe & facere compoſitionem cum illo: ita enim ait. *Subtracta materia & poſito quod ipſa forma ſubſiſtat in natura adhuc remanet comparatio formæ ad ipſum eſſe vt potentia ad actum; & talis compoſitio intelligenda eſt in Angelis.* Ergo non accipit D.Thom. eſſe pro ſubſiſtentia, cum dicat, ipſam formam ſubſiſtentem comparari ad eſſe vt potentiam

ad

ad actum, alias in ſubſiſtentia eſſet potentia reſpectu ſui, & faceret compoſitionem cum ſemetipſa. Tum denique quia 3.par. quæſt.17. artic.2. & quodlibeto 9. artic.2. dicitur. *Quod eſſe pertinet ad naturam & ad hipoſtaſim ſeu ſubſiſtentiam & quod natura conuenit vt quo, ſuppoſito autem vt quod.* Ergo ipſum eſſe in ſententia D.Thom. eſt actus ſuppoſiti, hipoſtaſis ſeu ſubſiſtentiæ: ac perinde non poteſt D.Thom. accipere eſſe pro ipſa ſubſiſtentia.

5 Nec etiam valet dicere ad prædicta teſtimonia D.Thomæ, ipſum ſolum intendere quod inter eſſe & naturam in eſſe poſſibili ſit compoſitio, non autem inter naturam iam exiſtentem. §. Non (inquam) id valet. Tum, quia potentia receptiua exiſtentiæ non poteſt eſſe ipſa natura in ſtatu poſſibilitatis, quia vt ſic non recipit actum ſeu exiſtentiam, nec facit compoſitionem cum illa, ſed potius excluditur per talem actum, & per illum tranſit natura de ſtatu poſſibilis ad ſtatum exiſtentis: id autem quod recipit aliquid & facit compoſitionem cum illo, ſimul cum illo permanet: ergo cum D.Thomas ait, naturam eſſe potentiam receptiuam exiſtentiæ, & facere compoſitionem cum illa, non loquitur de natura in ſtatu puræ poſſibilitatis. Tum etiam quia D.Thomas in allegato loco primæ partis, q.50. art.2. ad 3. ait formam ſubſiſtentem Angeli comparari ad eſſe, vt potentiam ad actum, & facere compoſitionem cum ip-

ſo

ſo eſſe. Sed forma ſubſiſtens non eſt forma in ſtatu puræ poſſibilitatis: ergo non loquitur D.Thomas de compoſitione eſſe ſeu exiſtentiæ cum forma ſeu natura in ſtatu puræ poſſibilitatis conſiderata.

6 Rationibus autem probatur efficaciter concluſio. Primo ſic, eſſe creatum exiſtentiæ eſt eſſe realiter receptum in natura, quæ per illum exigit: ergo diſtinguitur realiter ab ipſa natura. Patet conſequentia: quia inter realiter receptum & illud recipiens neceſſario debet eſſe realis diſtinctio: idem enim non poteſt ſemetipſum realiter recipere. Antecedens autem probatur. Quia omne eſſe realiter irreceptum eſt infinitum ſimpliciter. Sed nullum eſſe creatum poteſt eſſe infinitum ſimpliciter: ergo nullum eſſe creatum poteſt eſſe realiter irreceptum: ac perinde eſſe creatum exiſtentiæ debet eſſe in aliquo realiter receptum, & cum non poſſit eſſe realiter receptum niſi in natura quam actuat & facit exiſtere, relinquitur quod in illa realiter recipiatur. Secunda conſequentia ſub ſumpta cum illius præmiſſis manifeſta eſt. Prima autem conſequentia cum minori etiam patet. Maior autem illius probatur. Omne purum eſſe eſt infinitum ſimpliciter, omne eſſe realiter irreceptum eſt purum eſſe. Ergo omne eſſe realiter irreceptum eſt infinitum ſimpliciter. Maior patet. Eſſe enim ideo limitatur, quia non eſt purum eſſe, ſed potentialitate admixtum: ergo omne purum eſſe eſt ens illimi-

limitatum & ſimpliciter infinitum. Minor autem probatur. Quia eſſe ſolum deſinit eſſe purum eſſe, eo quod admiſceatur alicui potentialitati, ſed ſi eſſe in nullo recipiatur, nulli admiſcetur potentialitati ergo, eſſe realiter irreceptum eſt purum eſſe. Minor probatur exemplo. Si enim ponatur albedo non recepta nec receptibilis in aliquo, erit pura albedo & infinita in ratione albedinis, quia habebit totam perfectionem albedinis abſque eo quod ab aliquo limitetur: ergo eſſe realiter irreceptum erit purum eſſe, & habebit totam perfectionem eſſendi, ſiquidem à nullo tale eſſe limitabitur.

Confirmatur primo. Nam exiſtentia habet ex ſuo conceptu formali limitationem: aliâs non reperiretur formaliter in Deo: neque exiſtentia creata, vt talis creata exiſtentia poteſt habere limitationem eo quod ſit potentia receptiua alicuius, ſiquidem cum ſit vltima cuiuſcumque rei actualitas: non poteſt eſſe potentia receptiua alicuius. Ergo exiſtentia creata vt talis exiſtentia creata eſt, ſolum poteſt habere limitationẽ per id quod ipſa exiſtentia realiter in aliquo recipiatur, & cum non poſſit in aliquo recipi, niſi in ipſa natura; quam facit exiſtere, in ipſa re vera realiter recipitur: ac perinde ab illa realiter diſtinguitur.

Confirmatur ſecundo. Quia omnis actus in quantum actus limitatione caret, & ſi illam habet, habet vtique illam à ſu-

ſubiecto in quo recipitur. Ergo cum exiſtentia ſecundum ſuum proprium conceptum ſit actus, limitatione caret, niſi illam accipiat à ſubiecto. Ergo ſi exiſtentia creata realiter non reciperetur in ſubiecto, omnino eſſet infinita, & illimitata, quod cum nulli creaturæ competere queat, dicendum eſt exiſtentiam creatam realiter recipi in natura, nullum enim eſt aliud ſubiectum in quo recipiatur.

Nec aliquid valent plures quæ huic efficaciſſimæ rationi à contrarijs aſſignantur ſolutiones, vt ſingulas ſeorſum referendo & impugnando conſtabit. Si enim quis dicat quod exiſtentia creata licet non recipiatur in natura, recipitur tamen in ſubſiſtentia creata: ac ex eo limitatur.

§. Contra hoc eſt, quia ex eo quod exiſtentia creata reciperetur realiter in ſubſiſtentia, ſufficienter deducitur diſtinctio realis ipſius exiſtentiæ creatæ, non ſolum à ſubſiſtenti, de ſe & à natura, quia cum natura non recipiatur realiter in ſubſiſtentia, ſed potius è conuerſo ſubſiſtentia recipitur realiter in natura, ſi in ſubſiſtentia recipitur realiter exiſtentia creata, manifeſte deducitur exiſtentiam creatam diſtingui realiter à natura.

8 Si autem cum aliquibus dicas, quod licet exiſtentia cteata non ſit receptiua alicuius, nec ipſa recipiatur in aliquo; quia tamé dependet à cauſa efficienti, exit ab illa finita limitata, & cum dependen-

den-

dentia à cauſa efficienti. §. Contra hoc eſt quod quidquid eſt creatum & à cauſa efficienti dependet, in ſe ipſo debet eſſe intrinſece limitatum, imò ſi abſque limitatione intrinſeca ſit, eo ipſo implicat illud eſſe creatum & à cauſa efficienti dependens. Ergo ſi exiſtentia cum non ſit potentialitas receptiua alicuius, non recipiatur realiter in aliquo, eo ipſo erit intrinſice illimitata, ac perinde implicabit quod ſit creata & à cauſa efficienti dependens.

9 Si denique quis dicat, quod licet exiſtentia creata non recipiatur in aliquo, ipſa tamen eſt potentia receptiua alicuius, & per id eſt limitata & non purus actus, ſed actus admixtus potentialitate, & quod exiſtentia creata eſt receptiua illius, cuius eſt receptiua, entitas, cum qua identificatur: vt ſi ſit exiſtentia materiæ primæ, ſicut ipſa materia eſt receptiua formæ ſubſtantialis, ita etiam & exiſtentia quæ cum tali materia identificatur: & ſi ſit exiſtentia formæ etiam irreceptibilis in materia, vt formæ Angelicæ, ſicut talis forma Angelica eſt receptiua ſubſiſtentiæ, ita etiam eiuſdem ſubſiſtentiæ eſt receptiua exiſtentia quæ cum forma Angelica identificatur: & ſi fuerit exiſtentia alicuius totius compoſiti, ſicut ipſum compoſitum eſt ſubiectum realiter receptiuum accidentium, ita etiam eorundem accidentium erit receptiua exiſtentia, quæ cum tali compoſito identificatur. Et denique ſi

exi-

exiſtentia fuerit alicuius formæ ſubſtantialis vel accidentalis receptibilis in materia, etiam talis exiſtentia erit receptibilis in materia, vel in ſubiecto, in quo forma cum qua identificatur, receptibilis eſt, & ſic licet nulla exiſtentia creata realiter ſit receptibilis in eſſentia vel natura, quam facit exiſtere, quia cum illa realiter identificatur; omnis tamen exiſtentia creata, vel eſt realiter receptibilis in aliquo, vel realiter receptiua alicuius.

10 Contra hoc tamen eſt, quod exiſtentia cum ſit vltima actualitas non poteſt eſſe receptiua ſubſiſtentiæ, quæ licet actuet & determinet naturam; non vltimo illam actuat & determinat, ſed potius ipſa ſubſiſtentia actuatur & determinatur per exiſtentiam, & natura ſeu forma ſubſiſtens (vt retulimus ex D.Thoma 1.par. quæſt. 50. art.2. ad 3.) comparatur ad eſſe ſeu exiſtentiam vt potentia ad actum. Tantum ergo abeſt quod exiſtentia ſit potentia receptiua ſubſiſtentiæ, quod ipſa recipitur in ſubſiſtentia ſeu in natura aut formæ ſubſiſtenti. Nec poteſt dici quod ſit ſuſceptiua accidentium; quia licet accidentia recipiantur in re exiſtenti; non tamen poſſunt recipi in ipſo eſſe ſeu exiſtentia: hac enim ratione oſtendit D.Thom. 1.par. quæſt.3. art 6. in Deo non poſſe eſſe accidentia, quia Deus eſt ſuum eſſe, & ipſum eſſe nihil aliud poteſt habere adiunctum, ſicut enim quod eſt calidum poteſt habere aliquid extraneum quam calidum, ipſe

tamen calor nihil habet præter calorem, ita licet id quod eſt & quod non eſt ſuum eſſe, aliquid poſſit habere adiunctum, ipsũ tamen eſſe nihil adiunctum habere poteſt. Manet igitur firma ratio propoſita cõcluſionis, quod niſi exiſtentia creata recipiatur realiter in eo, cuius eſt exiſtentia, non habet à quo limitetur, & ſi recipiâtur realiter in eo quod facit exiſtere, realiter ab illo diſtinguitur.

11 Secundo principaliter probatur concluſio, quia exiſtentia eſt extra eſſentiam cuiuslibet creaturæ etiam ſingularis, ſiquidem de illa accidentaliter prædicatur: ergo diſtinguitur ab illa. Probatur conſequentia, nam licet in communi aliquod prædicatum quod cum alio identificatur, poſſit eſſe illi accidentale & extra eſſentiam illius, vt rationale eſt extra eſſentiam animalis, quamuis realiter cum animali rationale idẽtificetur, tamen quod eſt extra eſſentiam alicuius in ſingulari & de illo etiam in ſingulari accidentaliter prædicatur, realiter ab illo diſtinguitur, vt patet de omnibus quæ de Petro accidentaliter prædicantur.

12 Tertio probatur concluſio, exiſtẽtia eſt actus entis: ergo nulla creatura poteſt ſuam exiſtentiam ſecum realiter identificare, aut per ſuam entitatem abſque exiſtentia ei realiter ſuperaddita realiter exiſtere. Probatur conſequentia: quia enim intelligere eſt actus intellectus, & viuere eſt actus potentiæ vitalis, nullus in-

intellectus creatus poteſt identificare ſecum ſuam intellectionem, & nulla potētia vitalis creata poteſt identificare ſecum ipſum actum viuendi, aut intellectus creatus intelligere abſque intellectione realiter ab ipſo diſtincta, aut potentia vitalis creata viuere abſque actu ſecundo viuendi realiter ab ipſa diſtincto.

Confirmatur, nam ſi intellectus abſque intellectione realiter ab ipſo diſtincta intelligeret, eſſet infinitus in genere intellectiuo, & ſi aliquod obiectum abſque verbo realiter ab ipſo diſtincto poſſet actu intelligi, eſſet infinitum in genere intelligibilis: ergo ſi aliqua natura per ſuammet entitatem & abſque exiſtentia realiter ab ipſa diſtincta realiter exiſteret, eſſet infinita in genere entis, quod eſt eſſe infinitum ſimpliciter: ergo cum nulla natura creata poſſit eſſe infinita in genere entis, nulla poteſt per ſuammet entitatem abſque exiſtenlia ei realiter ſuperaddita exiſtere.

13 Quarto probatur concluſio, quia exiſtentia ſeparabilis eſt à natura creata, & hęc per exiſtentiam increatam terminabilis, vt de humanitate Chriſti abſque propria exiſtentia creata terminari per exiſtentiam increatam Verbi docet Diu. Thomas 3.par. quęſt.17. art.2. & late in commentarijs ad eundem articulum, quę Deo dante typis mādabimus, oſtendemus: ergo exiſtentia diſtinguitur realiter à natura creata. Patet conſequentia, quia

ſi

ſi cum ipſa natura creata identificaretur, non poſſet aliqua natura creata abſque ſua propria exiſtentia reperiri.

14 Vltimo tandem probatur concluſio, quia ſi exiſtentia identificaretur cum eo quod per illam exiſtit, etiam materia prima ſecum ſuam haberet identificatam exiſtentiam, vt authores contrarij conſequenter concedunt: aliàs ſi materia prima per exiſtentiam à ſe realiter diſtinctam exiſteret, non eſſet ratio, quare alia entia creata identificarent ſecum ſuas exiſtentias. Sed materiam primam ex ſe propriam habere exiſtentiam ſecum realiter identificatam falſum eſſe oſtendemus quęſtione ſequenti. Ergo nulla res creata ſecum ſuam identificat exiſtentiam, ſed omnis per exiſtentiam à ſe realiter diſtinctam exiſtit.

15 Obijcies primo, quod exiſtentia creata non poteſt in natura recipi. Ergo non diſtinguitur realiter ab illa. Conſequentia probatur. Quia cum eſſentia exiſtat per exiſtentiam, vel cum illa identificatur, vel in illa realiter recipitur. Ergo ſi in illa realiter non recipitur, cũ illa realiter identificatur. Antecedens autem probatur. Exiſtentia non poteſt realiter recipi in eſſentia mere poſſibili, nec in eſſentia, extra ſtatum mere poſſibilitatis educta. Ergo nullatenus poteſt exiſtentia realiter recipi in eſſentia. Antecedens quoad primam partem patet. Tum quia eſſen-

eſſentia in ſtatu poſſibilitatis nihil eſt realiter extra Deum: ergo non poteſt vt ſic realiter aliquid recipere. Tum etiam quia id quod realiter reciperet exiſtētiam, faceret realem compoſitionem cum illa. Sed eſſentia in ſtatu poſſibilitatis non poteſt facere compoſitionem cum exiſtentia, cum potius per ipſam exiſtentiam ſtatus poſſibilitatis excludatur. Ergo eſſentia in ſtatu poſſibilitatis non poteſt realiter recipere exiſtentiam. Sēcunda autem pars antecedentis, quod videlicet eſſentia extra ſtatum poſſibilitatis educta non poſſit realiter recipere exiſtentiam, probatur. Quia per ipſam exiſtentiam eſſentia extra cauſas & ab ſtatu poſſibilitatis educitur. Ergo ipſa eſſentia vt potentia receptiua exiſtentiæ non poteſt eſſe extra cauſas & extra ſtatum poſſibilitatis educta: aliàs haberet ex ſe & antecedenter ad exiſtentiam, quod per ipſam exiſtentiam habere debet.

Confirmatur. Quia ſi exiſtentia realiter diſtingueretur ab eſſentia, cum non ſit aliquid productum per diſtinctam actionem, ſed per eandem qua producitur forma, dimanaret ab illa per realem reſultantiam & emanationem tanquam terminus ſecundarius à primario. Sed ſic dimanare non poteſt. Ergo non diſtinguitur realiter exiſtentia à forma, ſed ipſa per ſuam entitatem exiſtit. Minor probatur. Quia non poteſt dimanare exiſtentia à forma vt in ſtatu mere poſſibilitatis,

nec à forma iam extra cauſas educta. Ergo nullatenus poteſt à forma realiter di. manare. Antecedens quoad primam partem patet. Tum quia forma in ſtatu poſſibilitatis nihil eſt extra Deum. Ergo non poteſt eſſe principium realis emanationis. Tum etiam, quia cum emanatio ſit naturalis, cum ab æterno intelligatur forma quælibet in ſtatu poſſibilitatis, ſi ſic eſſet principium ſufficiens emanationis exiſtentię, ab æterno ab illa exiſtentia emanaret. Secunda autem pars antecedentis probatur. Quia forma iam educta extra cauſas iam habet exiſtentiam, cum per exiſtentiam extra cauſas educatur. Ergo ab illa extra cauſas iam educta non poteſt emanare exiſtentiam.

16 Reſpondetur ad argumentum negando antecedens. Et ad probationem dicimus, quod eſſentia recipit quidem realiter exiſtentiam, non tamen vt mere poſſibilis, neque vt complete & perfecte extra cauſas educta, ſed vt habens quandam actualitatem incompletam vialem & imperfectam, vt videlicet tendit ad exiſtentiam; quia actio productiua alicuius quamuis non compleatur vſque dum illud ponat ſub exiſtentia, eo tamen ipſo quod ad illud terminetur, ſicut ipſa actio tendit ad ponendum illud ſub exiſtentia, ſic etiam terminus talis actionis tendit & eſt in via ad acquiſitionem exiſtentiæ; qualiter non erat in via, dum erat ſub ſtatu merę poſſibilitatis, & ita per actionem in-

fieri,

fieri, vt præintelligitur ad actionem completam et vltimo terminatam, accipit terminus talis actionis aliquam actualitatem incompletam, non vltimo perfectam: ſed vltimo actuabilem, & determinabilem per exiſtentiam. Et ita ad probationem diſtinguenda eſt ſecunda illius pars, ſcilicet eſſentia non recipit exiſtentiam vt extra cauſas & ſtatum poſſibilitatis educta: vt educta perfecte extra cauſas, concedo antecedens: ad id enim iam requiritur exiſtentia: vt eſt in actuali educi, & in via ad acquirendam exiſtentiam, nego antecedens. Hæc doctrina magis explicabitur in actione productiua alicuius, quæ per ſe ipſam non poteſt illud complere extra cauſas educere & ponere ſub exiſtentia, vt ſi Deus ad productionem vermis in ſpeciebus ſacramentalibus creet de nouo aliquam portionem materia: cùm enim talis actio creatiua ſolum terminetur ad materiam incapacem immediatè exiſtentiæ, talis actio non ponit materiam ſub exiſtentia, ac perinde non eſt actio completa, vſque dum per actionem productiuam vermis, per quam toti compoſito & ipſi materiæ communicetur exiſtentia, compleatur. Tamen negari non poteſt quod prius quam talis actio creatiua per alteram actionem compleri intelligatur, intelligitur aliquid facere, & aliquam actualitatem tribuere materiæ, per quam non intelligatur tunc

omnino vt pure poſſibilis & intra cauſas, & hæc actualitas cum non poſſit intelligi perfecta, vſque dum materiæ intelligatur communicari exiſtentiam, eſt actualitas imperfecta & vialis, tendens videlicet ad habendam exiſtentiam, quod autem ſic contingit, cum per vnam actionem aliquid producitur, & per alteram actionem talis actio completur, & illius termino communicatur exiſtentia: contingit etiam ſi per vnicam actionem aliquid cõplete producatur: ipſa enim actio vt in fieri tribuit ſuo termino actualitatem imperfectam & tendentem ad exiſtentiam, vt completa tamen & in facto eſſe, ponit eumdem terminum ſub exiſtentia.

Ad confirmationem reſpondetur negando minorem, & ad probationem diſtinguitur ſecunda pars antecedentis, iuxta dicta ad ſolutionem argumenti: non poteſt manere exiſtentia a forma educta extra cauſas, educta quidem perfecte & complete extra cauſas, concedo antecedens: ſic enim iam intelligitur cum exiſtentia, vt probat argumentum à forma vt eſt in ipſo educi extra cauſas, & vt in via ad exiſtendum, nego antecedens: vt ſic enim ab ipſa forma dimanat exiſtentia, quæ in compoſito recipitur, & per quam ipſum compoſitum & illius partes exiſtunt. Et ita exiſtentia non ſe habet omnino vt propria paſſio reſpectu eſſentiæ (alias reſultaret ſolum ex connexione eſſentiarum prædicatorum.) ſed habat ſe

admodum paſſionis, & ſolum ſequitur ab eſſentia vt aliqualiter actuali & vt ſubiecta agenti & ab illo dependenti, & vt in fieri terminante actionem agentis. Et ita etiam de re exiſtenti non prædicatur exiſtentia per ſe perſeitate logica, vt prædicatum videlicet eſſentiale, vel propria paſſio, ſed accidentaliter prædicabiliter, licet cum aliqua perſeitate phiſica, quia omne quod eſt extra cauſas eductum, eo ipſo quod ſic eſt, neceſſe eſt quod exiſtat.

17 Secundo principaliter obijcies, quod quælibet res creata ſine aliquo ſibi realiter ſuperaddito poteſt extra cauſas educta realiter exiſtere. Non igitur habet exiſtentiam realiter à ſe ipſa diſtinctam: conſequentia patet. Quia ad id ſolum poteſt requiri exiſtentia realiter à rebus creatis diſtincta, vt illæ extra ſuas cauſas eductæ realiter exiſtant. Antecedens autem probatur: Quia per id ſolum quod aliqua res terminet actionem agentis, nullo ei realiter ſuperaddito, vere educitur extra cauſas. Sed ſolum per ſuam entitatem productam per actionem agentis, quælibet res poteſt actionem productiuam agentis terminare. Ergo per ſuammet entitatem nullo alio ſuperaddito, quælibet res poteſt educi extra cauſas, & extra illas educta realiter exiſtere.

18 Reſpondetur negando minorem, & ad probationem dico, quod cum actio productiua agentis eo complete tendat

vt ſuum terminum conſtituat ſub exiſtentia, implicat aliquam rem creatam actionem productiuam agentis complete terminare, & quod ei per talem actionem exiſtentia realiter ab ipſa diſtincta non communicetur.

19. Obijcies tertio, quod quid quid realiter ab alio diſtinguitur, poteſt à Deo corrumpi, & deſinere eſſe, alio realiter permanente: ſed exiſtentia rei createç nõ poteſt deſinere eſſe permanente realiter re, cuius erat exiſtentia, quia eo ipſo talis res deſinit eſſe realiter, & deſinit eſſe extra cauſas. Ergo exiſtentia nõ diſtinguitur realiter in creatis ab eo quód per illã exiſtit. Maior probatur. Nam in his quæ realiter non identificantur, non videtur quare ſit tanta dependentia, vt vno ſublato alterum non poſſit realiter permanere.

20. Reſpondetur negando abſolute maiorem. Aliqua enim ſunt, quæ etiam ſi realiter entitatiue diſtinguantur propter mutuam dependentiam vnius ab alio, vnum non poteſt ſine altero, nec alterum ſine altero permanere; vt quamuis diſtinguantur realiter materia & forma materialis in illa recepta, nec talis forma poteſt realiter permanere, deſtructa materia, nec materia poteſt realiter permanere deſtructa forma, & alia illius loco non ſuccedente. Et relatio quamuis diſtinguatur à ſuo termino, non poteſt deſtructo termino realiter permanere propter

pter intrinſecam dependentiam quam habet à termino. Sic ergo licet in creatis eſſentia & exiſtentia realiter diſtinguantur: quia exiſtentia eſt modus eſſentiæ & entitas incompleta, non poteſt exiſtentia creata realiter permanere ſeparata à natura ſeu eſſentia. Et quia natura & eſſentia dependet in exiſtendo extra cauſas ab exiſtentia, non poteſt extra cauſas realiter exiſtens permanere, deſtructa eius exiſtentia, & nulla alia exiſtentia loco illius talem naturam terminante: ſi enim loco exiſtentiæ creatæ deſtructæ ſuccederet exiſtentia Diuina talem naturam terminans, per talem exiſtentiam Diuinam natura creata terminata poſſet realiter exiſtere & realiter permanere. Nam ſicut de facto in ſeutentia Diu. Thomæ natura humana Chriſti propria carens ſubſiſtentia & exiſtentia creata, aſſumpta eſt ad ſubſiſtentiam & exiſtentiam Verbi, poſſet etiam natura propriam præhabens ſubſiſtentiam & exiſtentiam creatam, tali eius ſubſiſtentia & exiſtentia creata deſtructa, non deſtrui, ſi ſtatim ad exiſtentiam & ſubſiſtentiam increatam aſſumatur.

QVÆSTIO VII.

Vtrum materia prima ex ſe habeat propriam exiſtentiam?

ETiam ſuppoſita reſolutione quæſtionis præcedentis, quod exiſtentia diſtinguitur realiter à forma, natura, vel eſſentia: quæ per illam exiſtit, adhuc huic difficultati eſt locus: an videlicet materia prima habeat exiſtentiam partialem licet ſecum realiter nō identificatam, diſtinctam tamen ab exiſtentia formæ & exiſtentiæ totius compoſiti. Partem enim affirmatiuam præter illos, qui exiſtimantes quamlibet rem creatam identificari realiter cum ſuà exiſtentia, & conſequenter aſſerunt materiam primam habere exiſtentiam propriam ſecum realiter identificatam, alij etiam tenent, conſtituentes tot exiſtentias partiales quot dantur entitates, licet ab ipſis entitatibus realiter diſtinctas, ac proinde aſſerunt materiam ſuam habere exiſtentiam partialem diſtinctam ab exiſtentia formæ & exiſtentia formæ & exiſtentia totius compoſiti.

2 Dicendum tamen eſt materiam primam non habere ex ſe independenter & antecedenter ad formam ſubſtantialem aliquam exiſtentiam partialem, ſed exiſtere per exiſtentiam totius compoſiti ab

ipſa

ipſa forma dimanantem, & mediante ipſa forma ſubſtantiali materiæ communicatam; concluſionem cum ſuo Angelico Præceptore tenent communiter omnes Thomiſtæ & colligitur ex Philoſopho 5. metaphiſ. cap. 15. dicente, animam eſſe cauſam exiſtentiæ materiæ. Ergo in ſententia Philoſophi materia ex ſe non habet exiſtentiam, ſed illam habet per formam, ac perinde prius debet habere formam quam exiſtentiam. D. Thomas perpetuus eſt in hac ſententia. Nam 1. par. quæſt. 7. art. 2. ad 3. ait. *Materia non exiſtit in rerum natura per ſe ipſam, cum non ſit ens in actu, ſed potentia tantum. Vnde magis eſt aliquid concreatum quam creatum*. Et q. 4. de potentia, art. 1. aſſerit, *quidquid in rerum natura inuenitur actu exiſtit, quod quidem non habet materia niſi per formam, quæ eſt actus eius*.

3 Nec valet dicere quod Diuus Thomas non intendit quod materia nō habeat ſuam exiſtentiam partialem, ſed quod vt exiſtat in toto & per exiſtentiam totius dependet à forma. Non (inquam) id valet. Tum quia eadem ratione forma materialis in eo quod eſt exiſtere, dependeret à materia, ſiquidem non poteſt eſſe in toto ſeparata à materia. Tum vel maxime, quia D. Tho. 1. 2. q. 4 art. 5. ad 2. ait. *Idem eſt eſſe formæ & naturæ, & hoc idem eſt eſſe compoſiti*.

4 Et ſæpius S. Doctor docet quod ſi-

cut fieri, ita & eſſe primo & per ſe conuenit compoſito & mediate illius partibus, licet cum differentia, quod forma; quia eſt ratio vt eſſe ſeu exiſtentia competat compoſito, non ſolum exiſtit mediate per exiſtentiam compoſiti; ſicut etiam mediate per exiſtentiam compoſiti exiſtit materia, ſed etiam dicitur exiſtere, vt quo, quia eſt ratio vt exiſtentia compoſito cōpetat. Ita inter plurima teſtimonia quæ D. Thomæ poſſemus adducere, aſſerit S. Doctor 2. contra gentes, cap. 43. *Sicut vnicuique creato conuenit fieri, ſic ſibi conuenit eſſe, eſſe autem non conuenit formæ tantum, nec materia tantum, ſed compoſito: materia enim non eſt niſi in potentia; forma vero eſt, qua aliquid eſt: eſt enim actus. Vnde reſtat quod compoſitum proprie ſit.*

5 Nec poteſt dici, D. Thomam accipere eſſe pro ſubſiſtētia. Tum quia authores oppoſiti non ſolum multiplicant in quolibet compoſito exiſtentiam, ſed ſubſiſtentiam: ac perinde cum D. Thomas in compoſito vnicum tantum concedit eſſe, ſiue intelligatur de eſſe exiſtentiæ, ſiue ſubſiſtentia, illorum ſententiæ contradicit. Tum etiam, quia cum D. Thomas aſſerat quod eſſe pertinet ad naturam vt *quo*; ad ſuppoſitum autem ſeu ſubſiſtens vt *quod*; non poteſt accipere eſſe pro ſubſiſtentia: alias eſſet idem ac dicere quod ad ſubſiſtens pertinet ſubſiſtentia, quod eſſet negatio & inutilis repetitio. Tum denique

quia

quia 3.par. q.17. art.2.ad 3. ait S.Doctor, quod *in Deo tres perſonæ non habent niſi vnum eſſe*, haberent autem triplex eſſe, ſi in eis eſſet aliud eſſe perſonæ,& aliud eſſe naturæ. Non igitur accipit D. Thomas eſſe pro ſubſiſtentia: alias cum tres perſonæ Diuinæ tres habeant ſubſiſtentias, falſo aſſereret illas non habere triplex, ſed vnum tantum eſſe.

6 Rationibus autem probatur concluſio. Primo, nam ſi materia ex ſe & antecedenter ad formam haberet propriã exiſtentiam, per illam eſſet ens in actu: proprius enim effectus exiſtentiæ eſt id quod afficit facere ens in actu. Ergo cum aduenit forma ſubſtantialis materiæ, non faceret cum illa vnum ens per ſe. Conſequentia patet. Nam vt docet Ariſtoteles, 8.metaphiſ. tex.15. ideo ex ſubiecto & accidente non fit vnum per ſe, quia accidens aduenit ſubiecto iam in actu exiſtenti, ex materia autem & forma ſubſtantiali fit vnum ens per ſe, quia forma ſubſtantialis non aduenit materia actu exiſtenti, ſed puræ potentiæ. Ergo ſi materia ex ſe habet exiſtentiam & non eſt ens in actu, non magis ex illa & forma ſubſtantiali, quam ex ſubiecto & accidenti fieret vnum ens per ſe.

Confirmatur. Quia ex duobus entibus in actu non poteſt fieri vnum ens per ſe. Sed ſi materia ſuam propriam habeat exiſtentiã & forma ſubſtantialis ſimiliter ſuã habeat exiſtentiam, materia & forma

vt ad compoſitionem compoſiti ſubſtantialis præintelliguntur, eſſent duo entia in actu. Ergo ex illis non poſſet reſultare vnum ens per ſe. Minor patet. Quia cum effectus exiſtentiæ ſit facere ens in actu, ſi tam materia quam forma propriam haberent exiſtentiam, vtraque eſſet ens in actu. Maior autem præterquam quod eſt commune Philoſophorum proloquium, probatur, & explicatur. Quia vt ex duobus fiat vnum ens per ſe, omnia quæ ſunt in illis, debent habere rationem actus vel potentiæ; alias quæ ſic adinuicem non compareentur, ſolum habebunt vnitatem, per id quod ſunt in eodem ſubiecto, quæ eſt vnitas per accidens & non per ſe; ſicut albedo & calor in eodem ſubiecto, quia vna talis forma reſpectu alterius non ſe habet vt actus neq; vt potentia, ſed ſolum conueniunt in eodem ſubiecto, non faciunt vnum ens per ſe. Sed ex duobus entibus actu per diuerſas exiſtentias exiſtentibus, illorum exiſtentiæ non poſſunt ſe habere adinuicem, vt actus neque vt potentia. Ergo ex duobus entibus in actu non poteſt fieri vnum ens per ſe. Minor probatur. Quia exiſtentia cum ſit vltima actualitas, poteſt quidem eſſe actus, non tamen poteſt per aliquid actuari, neque reſpectu alicuius habere rationem potentiæ. Ergo exiſtentia vnius entis per exiſtétiam alterius nullatenus poteſt actuari, nec reſpectu alicuius habere rationem potentiæ.

7 Si ad hanc rationem cum authoribus contrarijs reſpondeas, quod exiſtentia materiæ primæ & exiſtentia formæ nō ſunt exiſtentiæ totales, ſed partiales & potentiales reſpectu exiſtētiæ totius compoſiti, & ita ex materia & forma ſic exiſtentibus & earum exiſtentijs fit vnum ens per ſe, quia ſicut entitas materiæ eſt potentialis reſpectu formæ ſubſtantialis. ita etiam exiſtentia materiæ eſt potentialis reſpectu exiſtentiæ formæ, & vtraque exiſtentia eſt potentialis reſpectu exiſtentiæ totius. Cum autem dicitur quod ex duobus entibus in actu non fit vnum ens per ſe, & quod ex eo quod aduenit enti conſtituto in actu & ipſo ente non fit vnū ens per ſe, debet intelligi de entibus in actu completo & totali, & per exiſtentiam completam & totalem, quæ non poteſt eſſe potentialis reſpectu alterius.

8 Contra hoc tamen eſt primo. Quod nulla exiſtentia poteſt eſſe potentialis & per exiſtentiam vel aliquid aliud actuari & determinari. Ergo omnis exiſtentia ſolum poteſt habere rationem actus, & reſpectu nullius poteſt habere rationem potentiæ. Antecedens eſt expreſſum D. Thomæ q. vnica de anima, art.6. ad 2. vbi definiens eſſe ſeu exiſtentiam, ait, *quod eſt vltimus actus, qui participabilis eſt ab omnibus, ipſum tamen non participat*, id eſt exiſtentia nō participat aliquid per quod actuetur aut determinetur. Et quæſt. 7.

de potentia, artic. 2. ad 9. ait S. Doctor: *Neque intelligendum eſt quod eis quod dico eſſe, aliquid addatur quod ſit eo formalius ipſumque terminet ſicut actus potentiam*. Et poſt pauca ſubdit: *Vnde non ſic determinatur eſſe per aliud, ſicut potentia per actũ*. Ergo ſecundũ mentem D. Tho. exiſtentia ſecundum proprium conceptum exiſtentiæ ita eſt actus, quod reſpectu nullius alterius actus poſſit habere rationem potentialitatis, idque ex proprio conceptu exiſtentiæ, quod eſt eſſe vltimam rei actualitatem, deducitur. Ergo nulla exiſtentia poteſt per alteram exiſtentiam actuari aut determinari.

9 Secundo aduerſus eandem ſolutionem inſtatur. Nam licet eadem res in diuerſo genere poſſit eſſe actus & potentia, vt forma ſubſtantialis reſpectum materiæ eſt actus, & eſt in potentia ad ſubſiſtendum & exiſtendum; tamen in eodem genere impoſſibile eſt quod eadem res ſit ſimul actus & potentia: ergo exiſtentia, quæ ad exiſtendũ eſt actus, non poteſt eſſe in potentia etiam ad exiſtendum: ac perinde non poteſt eſſe in potentia ad aliam exiſtentiam; illa enim ſolum poſſet ei præbere actum exiſtendi.

10 Tertio aduerſus eandem ſolutionem inſtatur. Nam ſi præter exiſtentias partiales materiæ & formæ, quas prædicta ſolutio adſtruit, ponitur exiſtentia totius, quæ in eadem ſolutione conceditur, vel per illam exiſtentiam totalem exiſtunt

par-

partes, vel non: hoc ſecundum non poteſt dici: implicat enim quod talis exiſtentia totalis actuet partes & earũ exiſtentias quin illas faciat exiſtere. Si autem dicatur primum, omnino ſuperflue ponuntur exiſtentiæ partiales, ſiquidem per exiſtentiam totalem exiſtit non ſolum totum, ſed mediate eius exiſtunt partes, quæ cum non debeant exiſtere niſi in toto, nullam aliam exiſtentiam, quam illam quam habent in toto per exiſtentiam totius requirunt.

11 Secundo principaliter probatur concluſio. Quia ſi materia ex ſe haberet exiſtentiam quantumuis partialem, vere per illam exiſteret: alias talis exiſtentia nõ haberet rationem exiſtentiæ, cum non haberet effectum formalem exiſtentiæ, ſcilicet facere exiſtere. Sed re vera non habet materia prima ex ſe antecedenter & independenter à forma aliquid, per quod realiter exiſtat. Ergo non habet ex ſe aliquam exiſtentiam nec partialem. Minor probatur. Quia alias deſtructa forma quæ eſt in materia, & alia loco illius in materia non introducta, ſine nouo miraculo materia ſeparata ab omni forma poſſet realiter permanere, niſi miraculoſe à tali materia ſua propria partialis auferatur exiſtentia. Conſequens autem nec authores oppoſiti admittunt, qui non ſolum exiſtimant connaturale eſſe materiam non priuari omni forma, ſed concedunt illam omni forma priuatã naturaliter non

poſſe

poſſe permanere. Sequela probatur, quia dum ea vel partialis exiſtentia à materia non tollitur, materia exiſtit: ergo non redigeretur in nihil, nec deſideret eſſe.

Confirmatur, quia ſi non ſolum materia, ſed & quælibet forma ſubſtantialis etiam materialis ſuam haberet partialem exiſtentiam, forma quælibet ſubſtantialis etiam materialis eſſet natura ſua non minus incorruptibilis quam anima rationalis. Conſequens non ſolum eſt falſum, ſed parum conſonum fidei, ſecundum quam ſingulariter animam rationalem concedimus immortalem & incoruptibilem: ergo non omnis forma aut materia habet propriam exiſtentiam. Sequela probatur. Nam ideo anima rationalis ſeparata à materia non corrumpitur, aut deſinit eſſe, quia quamuis exiſtens in compoſito ſubſtantiali per exiſtentiam & ſubſiſtentiam ipſius compoſiti ſubſtantialis ſubſiſtat & exiſtat; quia tamen illa eſt ſemiſuppoſitum, ſtatim ac ſeparatur à materia, profluit ab illa ſua propria exiſtentia, per quam exiſtit & à materia ſeparata realiter permanet. Ergo ſi quælibet forma ſubſtantialis, etiam dum eſt in compoſito habet ſuam propriam partialem exiſtentiam, quamuis realiter ſeparetur à materia, realiter exiſtet, & realiter permanebit: ac perinde non minus incorruptibilis erit ac anima rationalis.

12 Tertio principaliter probatur concluſio. Quia exiſtentia eſt vltimus actus

&

& vltimum complementum eſſendi in genere ſubſtantiali. Ergo materia prima non poteſt illius effectum recipere prius quam per receptionem formæ ſubſtantialis recipiat eſſe ſimpliciter ſubſtantiale. Probatur conſequentia, quia vltimum complementum eſſendi in quolibet genere debet ſupponere eſſe ſimpliciter in tali genere. Ergo vltimum complementum eſſendi in genere ſubſtantiali, quale eſt eſſe exiſtentiæ, debet ſupponere eſſe ſimpliciter ſubſtantiale, quale eſt illud, quod ex ſe habet forma ſubſtantialis & per ſui receptionem in materia ipſi materiæ præbet.

Confirmatur, nam ſi materia antecedenter ad formam haberet aliquam exiſtentiam, poſſet immediate antecedenter ad formam recipere aliqua accidentia. Conſequens eſt falſum: ergo & quod materia ex ſe habeat aliquam exiſtentiam. Sequela probatur. Nam ſi materia ex ſe & antecedenter ad formam ſubſtantialem habet exiſtentiam, eſſet ens in actu. Sed vt aliquid ſit immediatum ſuſceptiuum accidentium, ſolum requiritur quod ſit ens in actu: ergo materia poſſet eſſe ſuſceptiuum immediatum accidentium. Falſitatem autem minoris præterquam quod late oſtendam libris de generatione, nunc breuiter probo, quia non poteſt aliquid habere prius eſſe ſecundum quid, quam eſſe ſimpliciter. Sed ſi materia prius quam reciperet eſſe ſubſtantiale, immediate reci-

cipe-

ciperet accidentia, prius haberet eſſe ſecundum quid, accidentale videlicet, quam eſſe ſimpliciter, quod eſt eſſe ſubſtantiale: & quod ſolum per receptionem formæ ſubſtantialis materia poteſt habere: ergo materia prius quam recipiat eſſe ſubſtantiali, nullatenus poteſt eſſe ſubiectum immediatum accidentium.

13 Aduerſus præcedentem concluſionem poterunt obijci omnia quæ præcedenti quæſtione propoſuimus ad probandum exiſtentiam etiam in creatis non diſtingui realiter ab eſſentia, ſed quamlibet entitatem per ſemetipſam exiſtere, ac perinde cum materia prima ſit entitas realiter diſtincta à forma; exiſtentia cum ipſa entitate materiæ primæ identificata erit propria ipſius materiæ & diſtincta ab exiſtentia formæ. Sed ijs argumentis ſufficienter occurrimus quæſtione præcedenti, & oſtendimus exiſtentiam in rebus creatis realiter, ab illis diſtingui: vnde illa nunc ſunt aduerſus concluſionem obijcienda.

14 Obijcies ergo primo, quod materia prima, diſtinctam terminat actionem productiuam, ac forma & totum compoſitum, ſiquidem materia prima fit per creationem, forma autem ſaltim materialis & compoſitum fiunt per generationem. Sed omnis actio productiua terminatur ad exiſtentiã, & ad illã communicãdam termino talis productionis. Ergo materia prima ſuam propriam habet exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ &

com-

compoſiti communicatam illi per actionem, per quam producitur. Si dicas quod materia prima non per ſe producitur aut creatur, ſed comproducitur & concreatur per actionem productiuam, non ad ipſam materiam, ſed ad totũ compoſitum per ſe terminatam; & per talem actionem toti compoſito communicatur exiſtentia, per quam ipſum compoſitum & eius partes exiſtant. §. Contra hoc eſt quod eſto verum ſit quod á principio materia prima non fuerit creata, ſed concreata; poteſt tamen Deus de nouo aliquam creare materiam non creando compoſitũ, ſed per generationem producendo formã, vt de facto contigit, cum ex ſpeciebus ſacramentalibus generatur vermis. Tunc enim cum ad formam vermis non perſupponatur materia producta, oportet quod Deus vel materiam de nouo creet, vel quantitatem miraculoſe conuertat in materiam, in qua forma vermis virtute agentis naturalis introducatur. Tunc ergo de tali actione productiua vel conuerſiua materiæ, cum ad ipſam ſolam materiam, & non ad totum compoſitum terminetur, propoſitum procedit argumentum, quod per talem actionem debet materiæ communicari exiſtentia; cum omnis actio productiua termino per illam producto communicet exiſtentiam.

15 Reſpondetur, ſolutionem argumento aſſignatam eſſe optimam, & ad replicam dico, quod licet Deus poſſit ſolam ma-

materiam creare vel aliquid in illam conuertere, talis actio productiua materiæ non erit completa vſque per alteram actionem productiuam formæ & compoſiti compleatur, & ipſi materiæ communicetur exiſtentia, & hoc non ex defectu virtutis agentis, ſed ex incapacitate ipſius materię, quæ cum independenter à forma non poſſit terminari exiſtentia, actio ipſius materiæ productiua non poteſt compleri, & quaſi pendula & incompleta manet vſque dum per actionem productiuam compoſiti immediate ipſi, & mediate illius partibus communicetur exiſtentia. Vnde cum dicitur quod omnis actio productiua terminatur ad exiſtentiam rei productæ, id debet intelligi de actione productiua per ſemetipſam, ſi ſit completa & independens ab alia actione, vel ſi ſit incompleta, per aliam actionem, quam ipſa exigit, & per quam completur & conſumatur. Et ſimile huic contingit, quoties Deus creat animam rationalem; quia licet illa ſeparata à materia poſſit habere ſuam ſubſiſtentiam, qua dicitur ſemiſuppoſitum, & ſuam propriam exiſtentiam, ex ſuppoſitione tamen quod Deus vellit illam creare, vt de facto illam creat non ſeparatam à materia, ſed vt in eodem inſtanti vniatur materiæ, per talem actionem creatiuam non communicatur illi exiſtentia: ac perinde nec talis actio creatiua intelligitur completa, vſque dum per generationem totius compoſiti ipſi immediate,

te, & mediate eius partibus: ac perinde & animæ rationali communicetur exiſtentia, & per id actio creatiua animæ rationalis compleatur.

16 Obiicies ſecundo, quod ſi materia prima non haberet propriam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ & compoſiti, ipſa materia generaretur, quoties aliquod generatur compoſitum, & corrumperetur, quoties aliquod corrumpitur compoſitum. Conſequens non debet admitti, cum materia prima iuxta ſententiam Philoſophi ſit ingenerabilis & incorruptibilis. Dicendum ergo eſt vt id vitetur inconueniens, materiam primam propriam habere exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ & compoſiti. Sequela probatur. Quia tunc aliquid generatur, quando ponitur ſub exiſtentia, & tunc aliquid corrumpitur, quando amitti exiſtentiam. Sed ſi materia non per propriam exiſtentiam, ſed per exiſtentiam totius compoſiti exiſteret, quando aliquod compoſitum de nouo generatur, de nouo ipſa materia acquireret exiſtentiam, & quando aliquod compoſitum corrumpitur, materia amitteret eam, per quam exiſtebat, exiſtentiam. Ergo cum aliquod compoſitum de nouo generatur, generabitur & materia, & cum aliquod compoſitum corrumpitur, ſimul etiam corrumpetur materia.

17 Reſpondetur negando ſequelam, quoad vtramque illius partem. Ad cuius probationem dico, quod generatio ali-

cu-

cuius non eſt quælibet noua acquiſitio exiſtentiæ, ſed tranſitus de non eſſe ad eſſe. Vnde ad id requiritur, quod antecedenter non habeat aliam exiſtentiam, aliàs non erit tranſitus de non eſſe ad eſſe, ſed de vno eſſe ad aliud eſſe. Et ſic cum materia, licet quando generatur nouum compoſitum, nouam acquirat exiſtentiam, antecedenter ad id aliam habeat ſub altera forma, tunc ipſa materia non generatur, nec de nouo producitur. Similiter quia ad corruptionem, cum ſit tranſitus de eſſe ad non eſſe, requiritur, quod id quod corrumpitur amittat eſſe, & alterum eſſe ſtatim non acquirat, & materia quamuis exiſtens per ſolam exiſtentiam formæ & compoſiti, illam amittat, cum ipſum corrumpitur compoſitum, ſtatim ſub altera forma exiſtens nouum acquirat eſſe & exiſtentiam, ita vt ſicut nullum eſt inſtans in quo materia non ſit ſub forma ſubſtantiali, ita nullum ſit inſtans in quo non habeat exiſtentiam ab hac vel illa forma & compoſito ſubſtantiali emendicatam, ideo materia nunquam corrumpitur, nec tranſit de eſſe ad non eſſe, ſed de vno eſſe ad aliud eſſe.

18 Obijcies tertio. Quod in homine materia prima non poteſt exiſtere per exiſtentiam formæ, aut totius compoſiti. Ergo cum vere exiſtat, debet exiſtere per ſuã propriam exiſtentiam. Antecedens probatur. Quia exiſtentia hominis, vtpotè pro-

prouenięns à forma ſpirituali eſt ſpiritualis; aliàs etiam non poſſet per illam exiſtere anima rationalis. Ergo per illam non poteſt exiſtere materia hominis. Conſequentia probatur. Nam cum exiſtentia ſit actus eius, quod per illam exiſtit, debet illi proportionari. Ergo cum materiæ non poſſit proportionari exiſtentia ſpiritualis, per exiſtentiam hominis, quæ ſpiritualis eſt, materia hominis exiſtere nequit.

19 Præter quam quod hoc argumentum ſicut etiam aliqua alia, quæ aduerſus noſtram ſententiam fiunt, ſoluere tenentur authores oppoſiti, qui quamuis propriam exiſtentiam partialem concedant materiæ primæ, ſimul aſſerunt illam exiſtere per exiſtentiam totius compoſiti: quidquid ſit de hoc reſpondetur ad argumentum negando antecedens. Et ad illius probationem dico, quod quamuis exiſtentia hominis formaliter ſit ſpiritualis & immaterialis, ſicut anima rationalis, à qua dimanat, tamen ſicut ipſa anima rationalis, cum ſit actus corporis, virtualiter eſt corporea, & id ſufficit, vt poſſit informare materiam, ita etiam exiſtentia hominis eſt virtealiter materialis, & id ſufficit, vt per illam poſſit exiſtere materia.

20 Obijcies quarto. Quod materia, cum ex illa educatur forma ſubſtantialis materialis, & in illa omnis forma ſubſtantialis recipiatur, in aliquo priori naturæ intelligitur exiſtens ante ipſam formam

Ergo

Ergo cum tunc non poſſit exiſtere per exiſtentiam à forma ei communicatam, oportet quod ipſa materia ſuam propriam habeat exiſtentiam. Antecedens probatur. Quia in illo priori materia intelligitur cauſa realis materialis formæ. Ergo intelligitur exiſtens. Probatur conſequentia. Tum quia nulla cauſa poteſt intelligi ſuã cauſalitatem exercere, quin præ intelligatur exiſtens: cum enim cauſalitas actualis ſit actus accidentaliter ipſi cauſæ competens, videtur ad illum neceſſario præſupponi debere ipſam entitatem cauſæ cum omni complemento ſubſtantialiter eſſendi; ac perinde cum exiſtentia. Tum etiam, quia in illo priori, in quo materia intelligitur erga formam ſuam exercere cauſalitatem materialem; non intelligitur materia intra cauſas: vt ſic enim hæc ex illa poteſt educi forma, nec in illa recipi. Ergo intelligitur materia prima iam extra cauſas educta. Ergo cum extra cauſas educatur per exiſtentiam, intelligitur tunc cum exiſtentia.

21 Reſpondetur negando antecedens. Et ad primam illius probationem dico; quod licet cauſalitas cauſæ efficientis, quia eſt cauſalitas competens rei vt actuali; vnum quodque enim agit in quantum eſt in actu, & non ordinatur vt ipſa cauſa efficiens acquirat eſſe, ſed vt illud communicet alteri, prærequirat in cauſa exiſtentiam: cauſalitas tamen cauſæ materialis, quia eſt cauſalitas rei potentialis vt po-

potentialis, & tendentis ad actum acquirendum, non præſupponit in cauſa materiali exiſtentiam, ſed potius ad acquirendam formam ſubſtantialem, & media illa exiſtentiam, ordinatur. Nec cauſalitas materialis eſt proprie actus diſtinctus à materia, ſicut actio eſt diſtincta ab agente, ſed ipſa materia vt recipiens formam; & ita talis cauſalitas non eſt proprie accidens materiæ, nec prærequirit illam complete in genere ſubſtantiali exiſtentem.

§. Ad ſecundam probationem dico. Quod licet cum materia intelligitur ſuam erga formam exercere cauſalitatem, non intelligatur omnino extra cauſas (vt recte probat argumentum) neque etiam intelligitur complete extra omnes cauſas educta (ad id enim requiritur etiam forma recepta in materia, & in genere cauſæ formalis ad completam eius productionem extra cauſas concurrens, vt media illa ipſi materiæ communicetur exiſtentia, per quam complete extra cauſas educatur) intelligitur tamen in illo priori materia vt in ipſo educi extra cauſas, & vt tendens ad receptionem formæ, & media illa ad acquiſitionem exiſtentiæ: cum enim (vt in ſolutione ad primam huius dubij obiectionem, & etiam quæſtione præcedenti dicebamus) præintelligatur ad productionem formæ & compoſiti actio productiua materiæ, incompleta tamen vſque dum per actionem productiuam compoſiti ipſi compoſito, & mediate illius partibus cõ-

municetur exiſtentia, in illo priori priuſquam talis actio productiua materiæ per per aliam actionem productiuam compoſiti compleri intelligatur, intelligitur aliquam actualitatem communicari materiæ, per quam licet non omnino complete intelligatur materia educta extra cauſas, intelligitur tamen in ipſo extra cauſas educi, & vt tendens ad completam eductionem extra cauſas in facto eſſe, & ad recipiendam formam ſubſtantialem & mediante illa exiſtentiam.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm de potentia Dei abſoluta materia prima poſsit exiſtere ſine omni forma?

Certum eſt naturaliter materiam non poſſe exiſtere ſine forma. Tum quia cum nullum agens naturale per ſe intendat corruptionem & explusionem formæ à materia, ſed introductionem nouæ formæ, ad quam ſequitur expulſio præcedentis, virtute nullius agentis naturalis expellitur aliqua forma ſubſtantialis à materia, quin ſimul alia in illa introducatur. Et ita naturaliter materia nunquam poteſt eſſe ſine omni forma. Tum quia etiam deſtruentes in materia propriam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ & totius compoſiti, adhuc aſſerunt caleri propriam

priam exiſtentiam materiæ eſſe partialem, & ſaltem connaturaliter dependentem ab exiſtentia totius compoſiti: ac perinde tenentur aſſerere ſaltem connaturaliter materiam non poſſe eſſe ſine forma. Solum igitur difficultas eſt, an ſuper naturaliter & de potentia Dei abſoluta materia omni forma ſubſtantiali deſtituta, poſſit realiter exiſtere & realiter permanere.

2 Partem affirmatiuam conſequenter docent, quotquot materiæ primæ ſuam propriam licet partialem concedunt exiſtentiam, vel ab illa realiter diſtinctam, vel cum illa realiter identificatam; diſtinctam tamen ab exiſtentia totius compoſiti. Partem autem negatiuam defendunt omnes Thomiſtæ conſequenter ad id quod docent materiam primam nullam vel partialem propriam habere exiſtentiam, & ſolum per exiſtentiam totius compoſiti exiſtere.

3 Reſolutorie igitur ad quæſtionem negatiue reſpondetur. Ita communiter, vt dixi, tenent omnes Thomiſtæ, & merito quidē, cū ita expreſſe doceat eorū Angelicus preceptor diuerſis in locis: pluribus enim illorum omiſſis, 2. par. q. 66. art. 1. ait. ***Si materia in formis praceſſit durationem, hac iam erat in actu: hoc enim duratio importat, creationis autem terminus eſt ens actu ipſum autem quod eſt actus eſt forma. Dicere igitur materiam pracedere ſine forma eſt dicere ens actu ſine actu, quod impli-***

cat contradictionem. Et clarius id habet quodlibeto, 3. art. 1. dicens, *Quod aliquid ſimul ſit & non ſit, à Deo fieri non poteſt, neque aliquid contradictionem inuoluens, & huiuſmodi eſt materiam eſſe in actu ſine forma: omne enim quod eſt actu, vel eſt ipſe actus, vel eſt potentia participans actum: eſſe autem actum repugnat rationi materiæ, quæ ſecundum propriam rationem eſt ens in potentia. Relinquitur ergo quod non poteſt eſſe in actu, niſi in quantum participat actum: actus autē participatus à materia nihil aliud eſt quam forma. Vnde idem eſt dictu materiam eſſe in actu & materiam habere formam. Dicere ergo quod materia ſit in actu ſine forma eſt dicere contradictoria eſſe ſimul.*

4 Ex prædictis autem teſtimonijs D. Thomæ ratio deducitur concluſionis ad hanc formam reducta. Si materia exiſteret ſine forma, verificarentur ſimul iſtæ duæ contradictoriæ, videlicet materia eſt in actu, materia non eſt in actu. Sed nec de potentia Dei abſoluta poſſunt duæ cōtradictoriæ ſimul verificari. Ergo nec de potentia Dei abſoluta poteſt materia exiſtere ſine forma. Maior probatur: Quia in primis affirmatiua eſſet vera; ſiquidem omne quod exiſtit eſt in actu: verificaretur etiam negatiua, quod ſcilicet materia non eſſet actu, quia materia eſſet ſine forma, vt ſupponimus. Sed per formam accipit actum formalem, & redditur capax ad actum exiſtentiæ: ergo ſine forma

ſine

ſine omni prorſus eſſet actu. Minor probatur. Nam forma dat eſſe ſimpliciter ſubſtantiale, & exiſtentia eſt vltima actualitas & complementum ſubſtantialiter eſſendi. Sed nihil eſt capax vltimæ actualitatis & complementi eſſendi in aliquo genere, quin in tali genere ſupponatur habens eſſe ſimpliciter: ergo materia per formam accipit capacitatem ad actum exiſtendi, & abſque forma ſubſtantiali incapax eſt talis vltimæ actualitatis.

Confirmatur. Quia materia eſt pura potentia in genere ſubſtantialiter eſſendi: ergo ad vltimam actualitatem & vltimum complementum eſſendi, quod præbet exiſtentia, non eſt immediate capax, ſed redditur capax illius per formam ſubſtantialem: patet conſequentia. Tum propter rationem iam inſinuatam, quod vltimæ actualitatis in aliquo genere redditur aliquid capax per id, quod in eo genere tribuit eſſe ſimpliciter: ergo vltimæ actualitatis eſſendi ſubſtantialiter, qualis eſt actualis exiſtentia, ſolum poteſt aliquid reddi capax per formam ſubſtantialem, quæ tribuit eſſe ſimpliciter ſubſtantiale. Tum etiam, quia intellectus eo quod in genere intelligibili eſt pura potentia, non eſt capax eliciendi & recipiendi intellectionem, quæ in eodem genere intelligibili eſt vltima actualitas, niſi fiat capax media ſpecie intelligibili. Ergo cum materia in genere entis ſit pura po-

tentia, non eſt immediate capax exiſtentiæ, quæ eſt vltima actualitas ſubſtantialiter eſſendi, niſi fiat capax media forma ſubſtantiali, quæ ei tribuit eſſe ſimpliciter ſubſtantiale.

5 Secundo probatur concluſio. Nam (vt quæſtione præcedenti oſtendimus) materia prima ex ſe nullam propriam vel partialem habet exiſtentiam, & ſolum exiſtit per exiſtentiam totius compoſiti. Per exiſtentiam autem compoſiti exiſtere nequit materia ab omni forma ſeparata, quia ſicut abſque omni forma ſubſtantiali non datur compoſitum ſubſtantiale, ita nec datur exiſtentia totius compoſiti. Ergo materia prima abſque omni forma ſubſtantiali nullatenus exiſtere poteſt aut realiter permanere.

6 Aduerſus concluſionem obijci poterant omnia quæ quæſtione præcedenti propoſuimus ad probandum materiam pſimam ex ſe habere propriam licet partialem exiſtentiam: ſi enim illam habeat, etiam ſi miraculoſe deſtruatur omnis forma ſubſtantialis, & nulla in materia introducatur, per ſuam exiſtentiam partialem exiſtere poterit materia & realiter permanere. Sed late in quæſtione præcedenti oſtendimus materiam talem non habere exiſtentiam partialem, & obiectionibus in oppoſitum ſufficienter occurrimus.

7 Obijci etiam poteſt argomentum commune Scoti, quod ea quæ realiter ad-

in-

inuicem diſtinguuntur, realiter etiam poſſunt adinuicem ſeparata permanere; & cum materia prima realiter diſtinguatur ab omni forma ſubſtantiali, poteſt realiter ab omni illa ſeparata permanere. Sed ad hoc iam ſæpius diximus quod licet ſit euidens argumentum, quod quęcumque realiter adinuicem ſeparata permanent, realiter adinuicem diſtinguuntur; non tamen eſt vniuerſaliter verum, quod quęcumque realiter diſtinguuntur, poſſint realiter ſeparari & realiter inter ſe ſeparata realiter permanere. In noſtra enim ſententia & etiam aliquorum, qui aſſerunt materiam poſſe realiter exiſtere ſine forma, exiſtentia in rebus creatis diſtinguitur ab eſſentia, vel à materia, quæ per illam exiſtit. Et tamen in nulla ſententia conceditur poſſe rem aliquam à parte rei exiſtere, & permanere ſeparatam ab omni exiſtentia. Non igitur omnia quæ realiter diſtinguuntur poſſunt realiter ſeparata permanere, ſed illa ſolum, quorum vnum eſſentialiter non dependet ab alio. Et quia materia in eo quod eſt exiſtere, realiter pendet à forma ſubſtantiali, etiam ſi ab omni forma realiter diſtinguatur, non poteſt ab omni illa ſeparata realiter exiſtere & realiter permanere.

8 His ergo argumentis omiſſis aduerſus concluſionem obijcies primo. Quod quidquid medijs cauſis ſecundis poteſt fieri, poteſt Deus facere ſe ſolo. Ergo ſi materia mediante forma poteſt exiſtere, po-

teſt Deus facere, quod etiam ſine forma exiſtat.

9 Reſpondetur quod licet id, quod medijs cauſis ſecūdis mere in genere cauſæ efficientis concurrentibus fit, poſſit à ſolo Deo abſque talibus cauſis fieri, non tamen quod inuoluit genus cauſæ formalis intrinſicæ. Et materia ad exiſtendum dependet in genere cauſæ formalis intrinſecæ à forma, quæ illi dans eſſe ſubſtantiale ſimpliciter, facit eam capacem exiſtentiæ, quæ eſt vltimum complementum ſubſtantialiter eſſendi.

10 Obijcies ſecundo. Quod materia non neceſſario dependet à forma in ſua exiſtentia. Poteſt ergo ſaltem ſupernaturaliter exiſtere ſine forma. Antecedens probatur. Quia poteſt materia exiſtere per exiſtentiam non prouenientem à forma ſubſtantiali, vt per exiſtentium diuinam, ſicut de facto materia humanitatis Chriſti, & tota ipſa illius humanitas, teſte D. Thoma 3. par. quæſt. 17. artic. 2. exiſtit per exiſtentiam increatam Verbi, ac perinde non prouenientem à forma ſubſtantiali.

Confirmatur. Nam ſicut de facto materia vnita animæ Chriſti, ſeu ipſa Chriſti humanitas exiſtit per exiſtentiam Verbi, poſſet per eandem Verbi exiſtentiam exiſtere immediate eadem materia etiam ſeparata ab omni forma ſubſtantiali. Nam in hoc ſolum inuoluitur genus cauſæ formalis extrinſice terminantis ma-

te-

teriam, quod vtique non repugnat exiſtentiæ increatæ. Poteſt igitur materia abſque omni forma ſubſtantiali ſaltem per exiſtentiam increatam realiter exiſtere.

11 Reſpondetur ad argumentum, quod duplex eſt dependentia materiæ à forma, vt materia in rerum natura exiſtat. Altera vt à forma dimanet exiſtentia, per quam totum compoſitum & illius partes exiſtat, ita vt naturaliter ſaltem nulla detur res creata niſi per exiſtentiam à forma dimanentem; ſicut etiam ab illa dimanat ſubſiſtentia per quam quodlibet ens creatum ſubſiſtit. Hæc tamen dependentia ſupplebilis eſt à Deo, & ſubſiſtentia & exiſtentia increata poteſt terminare naturam creatam, & facere illam ſubſiſtentem & exiſtentem; & de facto ſic facit ſubſiſtere humanitatem Chriſti ſubſiſtentia & exiſtentia verbi. Dependet etiam materia à forma ſubſtantiali vt tribuens illi eſſe ſubſtantiale ſimpliciter, faciat illam capacem exiſtentię creatæ vel increatę. Et huiuſmodi dependentia inſupplebilis eſt à Deo, quia cum quælibet exiſtentia creata vel increata tribuat vltimam actualitatem & complementum eſſendi ſubſtantialiter, incapax illius eſt materia, niſi prius per receptionem formæ ſubſtantialis recipiat eſſe ſimpliciter.

Et per hoc patet ad confirmationem: quamuis enim exiſtentiæ diuinæ non repugnet terminare naturam creatam; non tamen poteſt immediate terminare mate-

riam non informatam forma ſubſtantiali, non quidem defectu exiſtentiæ diuinæ, ſed defectu ipſius materię, quæ cum ſit pura potentia in genere entis, non eſt immediate terminabilis per vltimam actualitatem exiſtentiæ, niſi prius ad id diſponatur per formam ſubſtantialem tribuentem illi eſſe ſimpliciter ſubſtantiale.

12 Aduerſus hanc ſolutionem obijcies quod licet intellectus creatus in genere intelligibilis ſit pura potentia, Deus poteſt diſponere illum ad intellectionem, & vicem gerens ſpeciei intelligibilis ei vniri, & illum reddere immediate capacem intellectionis, ſicut illius redderetur capax per ſpeciem creatam ipſi intellectui inhærentem & illum informantem. Ergo Deus etiam poteſt ſe ipſo reddere capacem materiam, quamuis ſecundum ſe ſit in genere entis pura potentia, vt immediate & abſque forma ſubſtantiali actuetur per exiſtentiam.

13 Reſpondetur negando conſequentiam, quia cum indigentia quam formæ habet materia, vt recipiat actum exiſtentiæ, ſit in eo quod prius debet habere eſſe ſimpliciter ſubſtantiale, & hoc non poſſit præſtari materiæ niſi à forma illam intrinſece informante, cum Deus non poſſit habere rationem formæ intrinſece informantis materiam, non poteſt per ſemetipſum & abſq; forma ſubſtantiali reddere materiam exiſtentiæ capacem. Quia tamen intellectus creatus, quamuis ſe-

ſecundum ſe ſit pura potentia in genere intelligibili, vt reddatur capax intellectionis, ſolum indiget ſpecie per modum obiecti ei vnita, ad quod non requiritur neceſſario inhærentia aut informatio intrinſeca ſpeciei in intellectu, ſed ſolum quod ipſi intellectui per modum termini vniatur, ideo non repugnat Deo per ſemetipſum & abſque ſpecie intelligibili creata gerere vicem ſpeciei, & diſponere & reddere capacem intellectum ad intellectionem.

14 Obijcies tertio, quod licet vt materia prima recipiat formam ſubſtantialem, connaturaliter exigat diſpoſitiones præuias ad illam medijs quibus redditur capax determinatæ formæ ſubſtantialis; ſupernaturaliter tamen, & de potentia Dei abſoluta poteſt recipi forma ſubſtantialis in materia abſque talibus præuijs diſpoſitionibus. Ergo licet materia, vt recipiat actum exiſtentiæ, prærequirat cõnaturaliter recipere formam ſubſtantialẽ: ſuper naturaliter tamen de potentia Dei abſoluta poteſt materia prima abſque receptione alicuius formæ ſubſtantialis actũ recipere exiſtentiæ, ſeu aliqua exiſtentia propria ſeu increata terminari.

15 Reſpondetur negando conſequentiam: dependentia enim formæ ſubſtantialis à diſpoſitionibus ſolum eſt connaturalis, ac perinde à Deo ſupernaturaliter ſupplebilis, dependentia autem materiæ ad exiſtendum à forma ſubſtantiali eſt eſ-

ſentialis, quatenus eſſentialis eſt ordo inter eſſe ſimpliciter ſubſtantiale & complementum ſeu vltimam actualitatem eſſendi,& ſic iſta dependentia nec ſupernaturaliter eſt ſupplebilis à Deo.

16 Obijcies quarto, quod prius non dependet à poſteriori. Sed materia eſt prior forma ſubſtantialis. Ergo non dependet ab illa: ac perinde abſque omni forma ſubſtantiali poteſt realiter exiſtere & permanere. Maior probatur & explicatur, nam licet aliquando poſterius ita ſit connexum cum priori, quod priori exiſtente connaturaliter non poſſit non ſequi poſterius, abſolute tamen adhuc priori exiſtente, poteſt à Deo impediri ne ſequatur poſterius, quin per id tollatur permanentia prioris, ſicuti quamuis exiſtente quantitate connaturaliter ſequatur vt effectus illius ſecundarius eius extenſio in ordine ad locum; poteſt hæc à Deo, adhuc permanente quantitate ſupernaturaliter impediri. Ergo ſi materia eſt prior forma ſubſtantiali, ſupernaturaliter poteſt Deus facere, quod realiter permanente materia nulla in illa forma ſubſtantialis ſequatur.

17 Reſpondetur quod id, quod eſt prius per modum potentiæ, & maxime per modum puræ potentiæ, qualiter materia eſt prior forma, bene poteſt dependere in ſui exiſtentia ab illo quod eſt poſterius, imò ipſa forma quamuis ſit prior exiſtentia, non poteſt abſque illa realiter

eſſe,

eſſe, quia etiam in ordine ad illam eſt potentialis & actuabilis, ac determinabilis per ipſam.

18 Vltimo tandem obijcies quod maiorem depēdentiam habet accidens à ſubiecto, quam materia à forma, cum totum eſſe accidentis ſit in ordine ad ſubiectum, & eſſe materiæ, cum ſit ſubſtantialis, non poteſt eſſe in ordine ad formam. Et tamen ſupernaturaliter accidens poteſt realiter exiſtere ab omni accidenti ſeparatū, vt de facto exiſtunt accidentia panis & vini in Euchariſtia. Ergo etiam ſupernaturaliter poteſt exiſtere materia abſque omni forma.

19 Reſpondetur. Quod cum accidēs ſit forma actualis, licet propter ſuam perfectionem cōnaturaliter dependens à ſubiecto, poteſt ei Deus etiam ab omni ſubiecto ſeparato ſupernaturaliter tribuere aliquem modum exiſtendi, cuius, cum ſit actus, eſt capax; materia autem prima, cum ſit pura potentia, non eſt immediate capax exiſtentiæ, niſi ad id fiat capax mediante forma ſubſtantiali, quia vt ſæpius diximus cum exiſtentia ſit vltima actualitas & vltimum complementū eſſendi ſubſtantialiter, nō eſt immediate capax illius, niſi quod habuerit eſſe ſimpliciter ſubſtātiale, quod vtique materia non niſi per formam ſubſtantialem poteſt habere.

QVAESTIO IX.

Vtrum in materia ſit aptitudo, appetitus & potentia ad formam, & formæ ſubſtantialis priuatio?

HÆc quatuor aſſerit noſter author, hic q.6. & 8. reperiri in materia prima inter ſe & ab ipſa materia ſola ratione diſtincta; & quod ſuo ordine in materia intelliguntur: materia enim prima ex ſua natura habet aptitudinem & proportionē cum omni forma ſubſtantiali, & cum negatio formæ in ſubiecto apto habere illam ſit priuatio, inde eſt quod cum materia ſit capax cuiuslibet formæ ſubſtantialis & apta habere illam, habet priuationem formæ ſubſtantialis, qua de facto non informatur: & cum per formam ſubſtantialem perficiatur materia, appetitu naturali in nato (elicitū enim appetitū habere nequit, cum iſte cognitionem ſequatur, & materia ſit cognitionis expers) appetit formam, quam non habet: ac denique quatenus ad aliquas formas ſubſtantiales, quæ in materia poſſunt recipi, ipſa materia eſt principium ex quo educantur, ad omnes concurrit in genere cauſæ materialis receptiuæ, ad illas vt ad ſuos effectus comparatur materia vt potentia.

2 Hæc autem quatuor ſola ratione inter ſe differunt, quatenus ſub diuerſa conſideratione comparantur ad formam ſubſtantialem: aptitudo enim materiæ ad formam comparatur ad ipſam formam vt proportionatam cum materia: & potentia materiæ ad formam comparatur ad ipſam formam vt ad effectum ipſius materiæ. Appetitus autem materiæ ad formam comparatur ad formam vt ad terminũ, finem & perfectionem ipſius materiæ. Ac denique priuatio formæ in materia comparatur ad ipſam formam, ſicut ad poſitiuum quo priuat.

3 Hæc etiam omnia ſola ratione diſtinguuntur ab ipſa materia, quia illa abſque omni realiter ei ſuperaddito ex ſe habet aptitudinẽ ad formam, & formæ, qua nõ informatur, habet priuationem, illamque vt ſui perfectionem appetit: ac denique per ſemetipſam materia habet potentiam, ſeu ipſamet eſt potentia ex qua formæ materiales educãtur, & immaterialis, vt anima rationalis in ea recipiatur: cum enim talis potentia non ſit ad actum accidentalem, ſed ad actum ſubſtantialem, & per quem ipſa materia recipiat eſſe ſubſtantiale, non eſt aliquid ſuperadditum ipſi materiæ. Sed materia per ſuammet entitatem eſt potentia ad formas ſubſtantiales, quæ ex illa poſſunt educi, vel quæ in illa recipi poſſunt.

4 Specialiter autem quoad appetitum materiæ in ordine ad formas eſt aduertendum,

dum, quod materia ex ſe indifferenter appetit omnes formas ſubſtātiales ſub ratione communi formæ amiſſibiliter, vel inamiſſibiliter receptibilis in ipſa materia. Vnde ſi materia recipiat formam inamiſſibiliter vt materia cœli recipit ipſam formam cœli, non appetit aliam formam: materia autem, quæ recipit aliquam formam amiſſibiliter, licet talis forma ſit perfectiſſima, quam poteſt recipere, vt ſi recipiat animam rationalem, adhuc ſub tali forma exiſtens appetit alias formas; quia appetit ſui conſeruationem, quam cum non poſſit conſequi ſub illa forma, quia illam amiſſibiliter recipit, appetit alias formas.

5 Nec ex hoc ſequitur quod appetat per ſe corruptionem compoſiti & formæ quam habet, quia licet non poſſit de facto materia eſſe ſub altera forma, quin forma, quam habet, deſinat ipſam informare, & corrumpatur compoſitum, illius tamen corruptionem materia non appetit per ſe, ſed per ſe ſolum appetit introductionem nouæ formæ, ad quam requiritur corruptio compoſiti præexiſtentis.

6 Nec ex eo quod materia exiſtens ſub forma perfecta, v.gr. ſub anima rationali, appetat aliam formam ſequitur appetere ſuum malum. Tum quia melius eſt materiæ exiſtere ſub alia & alia forma licet imperfectiori, quam eſſe ſub forma perfectiori, quæ cum amiſſibiliter ſit in illa, ſi non appeteret aliam, poſſet illam

non

non informare, ac perinde poſſet relinqui materia ſine omni forma, & ſic ipſa materia deſinere eſſe. Tum etiam quia variatio & ſucceſſio formarum pertinet ad ordinem vniuerſi: ac perinde illam debet appetere materia vt pars vniuerſi, etiam ſi cum amiſſione formæ perfectioris & introductione imperfectioris in ipſa materia contingat.

7 Si autem inquiras an materia appetat formam, quam ſemel amiſſit, dicendū eſt; quod attenta ſolum proportione materiæ ad formam appetit illā ſicut & alias formas. Vnde ſi ſupernaturaliter reuniretur materiæ inueniret in ea eandem proportionem atque in prima ſui introductione in materia. Si tamen loquamur de appetitu abſoluto, & ad executionem ordinato, dicendum eſt materiam non habere talem appetitum ad formā amiſſam, quia talis appetitus abſolutus & ad executionem ordinatus dicit ordinē ad agens naturale, quod poſſet eam formam in materia introducendo talem appetitum implere. Et cum nullum ſit agens naturale quod formam ſemel amiſſam poſſit iterum in materia introducere, non eſt in materia ad talem formam appetitus naturalis abſolutus & ad executionem ordinatus.

QVÆ-

QVÆSTIO X.

Vtrum detur forma ſubſtantialis diſtincta à materia, & quid illa ſit?

POſtquam in ſuperioribus egimus de materia prima, & obiter etiam de priuatione, quæ ſunt duo principia entis naturalis, reſtat vt in ſequentibus agamus de altero principio, ſcilicet de forma ſubſtantiali. Et vt de illa inquiramus quomodo producatur, hanc oportet præmittere quæſtionem. Pro cuius reſolutione eſt aduertendum, quod forma poteſt eſſe duplex, accidentalis videlicet, & ſubſtantialis. Forma accidentalis eſt, quæ ſupponit iam naturam ſubſiſtentem & exiſtentem: ac perinde habentem eſſe ſimpliciter completum & perfectum, & ſolum tribuit illi eſſe ſecundum quid, & de his formis accidentalibus, cum non ſint principia entis naturalis, non ex profeſſo eſt nunc agendum. licet poſtquam de eductione formæ ſubſtantialis egerimus, etiam de eductione formarum accidentalium aliquid ſimus dicturi. Forma autem ſubſtantialis eſt illa, à qua ſumitur eſſe ſimpliciter cuiuslibet rei, vt compræhendamus formas per ſe ſubſiſtentes, & eas quæ ſimul cum materia concur-

cur-

currunt ad compoſitionem totius.

2 Hinc iam inſinuatur diuiſio formæ ſubſtantialis. Altera enim eſt per ſe complete ſubſiſtens, & ordinis & habitudinis ad materiam expers, vt formæ Angelicæ. Altera eſt forma ſubſtantialis, non per ſe complete ſubſiſtens, ſed receptibilis in materia, & ſimul cum ipſa materia ad compoſitionem totius ordinata. Et relicta forma ſubſtantiali per ſe complete ſubſiſtenti, vtpote quæ cum non ſit principium entis mobilis phiſici, ad Philoſophiam non ſpectat,de forma dumtaxat ſuſtantiali receptibili in materia eſt nobis nunc agendum. Et de hac forma in præſenti inquirimus, an ſit & quid ſit.

3 Dico igitur primo. Certum eſt dari formam ſubſtantialem receptibilem in materia, & ab ipſa materia realiter diſtinctam. Concluſio eſt omnium communis, & ex parte manet probata ſupra q. 5. vbi oſtendimus, dari materiam diſtinctam realiter à forma ſubſtantiali, & quæ cum ipſa forma ad compoſitionem totius ſubſtantialis concurrat: Sed probatur. Primo ratione Diu. Thomæ, opuſculo de formis, q. 1. art. 1. quia entia ſubſtantialia, v. g. leo & lapis diſtinguuntur eſſentialiter ſubſtantialiter. Sed hæc diuerſitas ſubſtantialis non pôteſt prouenire ab aliqua forma accidentali: vtpote quæ ſolum facit differre accidentaliter, nec poteſt prouenire a materia,quia illa eiuſdẽ rationis eſt in omnibus ſublunari-

naribus. Pronenit igitur à forma ſubſtantiali, in quolibet illorum à materia, & ab alterius forma ſubſtantiali diſtincta.

4 Secundo probatur concluſio. Nam in homine eſt anima rationalis realiter diſtiucta à materia, vt manifeſte in prællegata, q. 5. huius libri oſtendimus. Et vt definitur in Concilio Lateranenſi, 3. ſub Leone 10. Seſſ. 8. anima rationalis eſt vera forma hominis. Ergo à ſimili, in alijs cōpoſitis ſubſtantialibus datur vera forma ſubſtantialis realiter à materia diſtincta.

5 Tertio probatur concluſio ex generatione ſubſtantiali, ad quam neceſſario debet præſupponi aliquod ſubiectum, alias non diſtingueretur à creatione, quæ eſt productio entis omnino ex nihilo. Sed ipſa forma ad generationem ſubſtantialem nullo modo actu ſupponitur, vel ſaltem non ſupponitur vnita materiæ aut eum illa identificata; alias per generationem ſubſtantialem nihil fieret. Ergo præter materiam, quæ eſt ſubiectum, quod præſupponitur ad generationem, datur forma ſubſtantialis. Si materialis, quæ per generationem producitur in materia, & ipſi materiæ vnitur. Si vero ſit forma ſubſtantialis immaterialis, vt anima rationalis, quæ licet non per generationem, ſed per creationem producatur, per generationem ipſi materiæ vniatur.

6 Dico ſecundo. Forma ſubſtantialis receptibilis in materia eſt *actus primus*

ma-

materia ex quo ſit vnum per ſe , & non ſecundum accidens. Per id quod dicitur formam ſubſtantialem eſſe actum, diſtinguitur à materia, quæ non eſt actus, ſed pura potentia. Per id autem quod dicitur quod ſit actus materiæ, excluditur forma complete ſubſiſtens, vt forma Angelica; quæ non eſt actus materiæ. Per id autem quod dicitur eſſe primum actum materiæ, excluduntur ſubſiſtentia & exiſtentia, quæ non ſunt primi actus, ſed ſupponentes alium priorem, ſcilicet formam ſubſtantialem. Et per eandem particulam poſſunt excludi formæ accidentales, quæ non ſunt actus primi, ſed illæ melius excluduntur per aliam particulam, *ex quo ſit vnum per ſe, & non ſecundum accidens*. Ex forma enim ſubſtantiali & materia, quia aduenit illi forma non in actu exiſtenti fit vnum ens per ſe, ex ſubiecto autem & forma accidentali, quia aduenit ſubiecto actu exiſtenti, non fit vnum per ſe, ſed vnum per accidens.

7 Obijcies primo, quod ſi forma ſubſtantialis eſſet actus materiæ, eſſet in illa, vt in ſubiecto: ac perinde illi inhærens. Quod cum propriam ſit accidentis, non videtur poſſe competere formæ ſubſtantiali. §. Reſpondetur, quod non ex eo quod forma ſubſtantialis recipiatur in materia, & ſit actus ipſius materiæ, inhærere illis quia inhærere propriè eſt adhærere alicui exiſtenti in actu & recipere eſſe ab alio. Forma autem ſubſtantialis licet ſit

actus

actus materiæ & in illa recipiatur, non aduenit illi exiſtenti in actu, nec ab illa recipit eſſe, ſed potius illi tribuit eſſe.

8 Obijcies ſecũdo, quod ſi forma ſubſtantialis eſſet actus materiæ, ipſa materia eſſet magis ſubſtantia quam forma. Conſequens non videtur admittendum: ergo ſequela probatur. Nam vt in prædicamentis, cap. de ſubſtantia dicitur, ſubſtantia dicitur à ſubſtare. Sed ſi forma ſubſtantialis eſt actus materiæ, materia pluribus ſubſtaret quam forma, ſiquidem ſubſtabit omnibus quibus forma, & inſuper ipſi formæ: ergo erit magis ſubſtantia quam forma.

Reſpondetur, quod præter quam quod ſubſtare, à quo dicitur ſubſtantia, forſan eſt ſubſtare per modum ſubiecti completi, qualiter ſubſtat alijs prima ſubſtantia, & ſic ſubſtare, nec conuenit primo & per ſe materiæ, nec formæ, ſed toti compoſito: quidquid tamen ſit de hoc re vera, eſſe vnam ſubſtantiam magis ſubſtantiam, id eſt perfectiorem ſubſtantiam quam aliam, non ſumitur penes magis aut minus ſubſtare, ſed penes id quod ſit magis actualis: & cum forma ſubſtantialis, vtpote naturá ſua actus, ſit magis actualis quam materia, quæ ex ſe eſt pura potentia, perfectior ſubſtantia eſt quam illa.

9 Obijcies tertio, quod forma ſubſtantialis non eſt purus actus, alias eſſet infinita ſicut Deus; ergo eſt compoſita ex actu & potentia: ac perinde non eſt forma ſeu

actus

actus ſimplex, vt aliqui illam definiunt. §. Reſpondetur, quod formæ ſubſtantialis ſimul eſt actus materiæ, & ipſa eſt in potentia ad ſubſtantiam & exiſtentiam, & id ſufficit, vt non ſit actus purus infinitus & illimitatus. Dicitur tamen forma ſubſtantialis actus ſimplex, quatenus non componitur ex aliquo ab ipſa diſtincto. Et ex alia etiam parte habet formæ ſubſtantialis limitationem, quia ipſa ingreditur compoſitionem totius, quod vtique entitati infinitæ & ilimitatæ omnino repugnat. Vnde non ſolum probat. Diuo Thomas, 1. part. quæſtione 3. in Deo non eſſe compoſitionem aliquam, ſed & artic. 8. eiuſdem quæſtionis demonſtrat ex infinitate & ſimplicitate Dei Deum nullius rei compoſitionem ingredi poſſe.

QVÆSTIO XI.

Quid ſit formam educi ex potentia materiæ?

VT in ſequentibus explicemus, quæ formæ educantur ex potentia materiæ, oportet prius in hac quæſtione explicare, quid ſit formam educi ex potentia materiæ. Et vt aſſerit noſter author in præſenti quæſt. 7. art. 1. plures non potentes intelligere productionem formæ & cõ-

poſiti diſtinctam à creatione, & propriã habere rationem generationis, poſuerunt in materia aliquid perpetuum ingenerabile & incorruptibile præter entitatem ipſius materiæ, quod ipſi materiæ præbeat aliquam actiuitatem, media qua eſſet principium eductionis formarum: licet in aſſignando eo, quod ſic in materia præſupponitur, in varias abierint ſententias. Aliqui enim quos refert Durandus in 2. diſtinctione, 18. exiſtimabant in materia latitare quaſdam poſſibilitates omnium formarum, quæ per actionem agentis conuertebantur in actuales formas. §. Beatus Albertus. 1. Phiſicorum tractatu, 3.c.3. aſſerit formas omnes præſupponi in materia ſecundum quandam inchoationem, quam appellat formam ſecundum eſſe eſſentiæ, vt per actionem agentis acquirat eſſe exiſtentiæ. §. Alij autem cum Aureolo in 2. diſt. 18. aſſerunt in materia eſſe omnes formas ſecundum patrem,& poſtea per actionem agentis reducuntur ad ſtatum perfectum. §. Alij vero, teſte D. Thom.in 2. ſententiarum diſt. 18.q.1.art.1. quibus ſubſcribit Scotus in 4. diſt. 11.q.2. art. 2. aſſerunt eſſe ſemper in materia formam corporeitatis illi coæuam, per quam materia redditur corporea & capax vt ex illa educantur reliquæ formæ. §. Ac denique commentator in hoc primo libro tex. 63. & latius in libello de ſubſtantia orbis, cap. 1. & 4. aſſerit in materia eſſe perpetuas dimenſiones interminatas, illi

coæ-

coæuas, per quas materia redditur exten-ſa & diuiſibilis, vt poſſit recipere diuer-ſas portiones formarum. Hic noſter au-thor loco citato refert omnes iſtas ſenten-tias & omnium illarum, quatenus conue-niunt in adſtruendo in materia ad eductio-nem formarum ex illa, aliquid perpetuum actuale ipſi materiæ coæuum & ab illa diſtinctium, aliqua proponit fundamen-ta.

2 Primum igitur fundamentum eſt, quod ſi non ponatur aliquid in materia prima, ex quo educantur formæ, illæ fie-rent omnino ex nihilo: ac perinde non ge-nerarentur ſed crearentur. Sed creatio virtute agentis naturalis non poteſt fieri: ergo cum re vera virtute agentis naturalis plures educantur formæ ex materia, ali-quid in illa debet ſupponi. Maior pro-batur. Quia formæ ſubſtantiales non poſ-ſunt fieri ex forma contraria præexiſtenti in materia, cum ſint repugnantes, nec ex ipſa materia, cum ſecundum ſe non ſit ſi-milis formæ, & nihil poſſit fieri niſi ex ſi-bi ſimili. §. Secundum fundamentum eſt: quia alias materia non appeteret formas: nihil enim aperit niſi ſibi ſimile, & ma-teria ex ſe non eſt ſimilis formæ. §. Ter-tium quia alias generatio in materia eſſet violenta; ſiquidem fieret, materia ad id non conferente vim,& violentum eſt quod fit, paſſo non conferente vim.

3 Pro explicatione tamen veritatis di-cendum eſt primo. Nihil reale diſtinctum

à ma-

à materia perpetuum & illi coæuum poni in materia ad eductionem formarum. Hãc concluſionem late probat noſter author in communi & in particulari prædictas impugnando ſententias. Ex cuius doctrina hęc pro concluſione deducitur ratio. Nihil reale poteſt eſſe in materia perpetuum & illi coæuum, quod ſit aliquid ſubſtantiale, nec accidentale: ergo nihil omnino reale poteſt poni. Antecedens pro prima parte probatur. Nam ſi ponatur aliquid ſubſtantiale, iam illud efficiet vnum per ſe cum materia, & poſtea cum aduenit forma ſubſtantialis, aduenit materiæ conſtitutæ iam in actu, & non poterit facere cum illa vnum per ſe, ſed vnum tantum per accidens. Quod autem nihil accidentale ſit in materia perpetuum & illi coæuũ probatur: Quia omne accidentale vtpote dans eſſe ſecundum quid, præſupponit eſſe ſimpliciter, quod cum non habeat materia niſi per formam ſubſtantialem nihil accidentale poteſt præſupponi in materia antecedenter ad formam ſubſtantialem. §. Confirmatur, quia alias aliquid præter materiam daretur ingenerabile & incorruptibile, ſcilicet id quod diſtinctum à materia ponitur perpetuum & illi coæuum, quid quid illud ſit. Conſequens autem aduerſatur Ariſtoteli nihil ingenerabile & incorruptibile concedenti præter materiam; ergo.

4 Præterea, quia etiam ſi falſo admitteretur aliquid poni in materia realiter ab

illa

illa diſtinctum, perpetuum & illi coæuũ; illud non conduceret ad eductionem formarum ex materia, quia ſi illud ſit accidens, quamuis accidens conducat ad eductionem formæ ſubſtantialis, quatenus ad illam diſponit, non tamen forma ſubſtantialis fit ex aliquo accidenti: & ſi ſit forma corporeitatis, ex illa cum non ſit terminata magis ad vnam formam, quam ad aliam, non magis educitur forma, quam ex materia nude ſumpta.

Confirmatur. Nam vel in materia eſt aliquid actuale, quod ſit principium determinate vnius formæ, vel quod ſit principium omnium formarum, vel denique cuiuſuis formę reperitur in materia aliquid actuale diſtinctũ à principio alterius formæ. Si primum: ſolum poterit ex materia illa determinata forma & non alia educi. Secundum autem eſſe non poteſt, quia cum formæ ſint inter ſe diſtinctæ, non poteſt dari aliquid actuale in materia, quod ſit principium omnium formarum. Tertium denique etiam repugnat, nam ſicut formæ, quia inter ſe ſunt oppoſitæ, non poſſunt plures eſſe ſimul in eadem materia, ita nec poſſunt eſſe ſimul in eadem materia plura principia actualia diuerſarum formarum. Non igitur poteſt poni in materia aliquid actuale ad eductionem formarum ex ipſa materia. Miſſum facio omnes relatas ſententias in particulari impugnare: hæc enim in communi pro earum impugnatione ſufficiunt.

§ Ad fundamenta autem in oppoſitum propoſita facile reſpondetur. Ad primum quidem, quod vt formæ non fiant ex nihilo, nec per creationem ſed per generationem producantur, non requiritur, quod ipſæ formæ, vel aliquid illarum actu præcedat in materia, ſed quod ipſæ formæ contineantur in potentia materiæ, & ex illius potētia per actionem agentis naturalis educantur, qualiter id fieri, ſtatim explicabimus. Nec ad hanc continentiam formarum in materia requiritur materiam eſſe ſimilem formis; ea enim ſimilitudo ſolum requiritur inter continens effectum per modum cauſæ efficientis & ipſum effectum. Cauſa enim efficiens, cum conſtituatur in eſſe talis per formam, debet reddi per ipſam formam aliqualiter ſimilis effectui producendo. Materia autem, quia ſolum continet formas, vt ſubiectum illarum, non requirit ad talem continentiam ſimilitudinem cum illis, ſed capacitatem ſolum paſſiuam, vt ex illa educantur, & in illa recipiantur.

§. Hinc patet ad ſecundum fundamentum: licet enim cauſa efficiens non poſſit appetere productionem alicuius, niſi ſibi ſimilis, materia tamen quia eſt pura potētia & perficitur per quamlibet formam, quamuis ex ſe non ſit ſimilis alicui formæ, poteſt illas naturaliter appetere, vt imperfectum ſuam appetit perfectionem.

§. Ad tertium denique fundamentum ne-

negatur ſequela, quia quamuis materia ad generationem formæ non conferat actiue vim, nullatenus tamen ad id reſiſtit, ſed potius ad id dicit aptitudinem paſſiuam & inclinationem naturalē, quod ſufficit vt generatio formæ non ſit materię violenta, ſed illi naturalis: intelligitur enim in definitione violenti, quod ſit paſſo non ſolum non conferente vim, ſed poſitiue reſiſtenti.

6 Aliqui, quos refert noſter author in prædicta q.7. art.2. propter prædicta non concedentes in materia aliquid ab illa diſtinctum perpetuum & coæuum cum illa, vt explicent quid ſint formam educi ex potentia materiæ; aſſerunt id nihil aliud eſſe quam formam introduci in materia, per diſpoſitiones ad talem formam determinate diſpoſita, & videntes quod etiam ad introductionem animæ rationalis diſponitur materia, cum tamen anima rationalis ex materia non educatur, vt huic difficultati occurrant, aſſerunt quod tales diſpoſitiones re vera naturaliter non diſponunt ad introductionem animæ rationalis in materia, ſed extat Dei pactum, quod quotieſcunqne tales diſpoſitiones ponantur, ipſe introducet animam rationalem in materia.

7 Dicendum tamen eſt ſecundo, quod vt forma aliqua educatur de potentia materiæ, non ſufficit quod recipiatur in ipſa materia, vt naturaliter diſpoſita ad talis formæ introductionem in ipſa.

Concluſio eſt expræſſa noſtri authoris loco citato. Et probatur. Quia materia vere naturaliter diſponitur ad introductionem animæ rationalis in ipſa. Et tamen anima rationalis ex ipſa non educitur (vt illi authores, aduerſus quos hanc cōcluſionem ſtatuimus, concedunt) Ergo educi formam ex materia non eſt, quod introducatur in ipſa naturaliter diſpoſita ad illius introductionem. Maior probatur. Tum quia cum generatio hominis ſit naturalis, non minus quam generatio cuiuſlibet alterius animalis, quamuis reuera anima rationalis, quia immaterialis & in generabilis eſt, à ſolo Deo per creationem producatur; tamen ad introductionem animæ rationalis in materia, naturaliter concurrit homo diſponendo materiam per diſpoſitiones & ſicut eſſet miraculum, quod poſitis diſpoſitionibus ad introductionem formę equi in materia, Deus impediret introductionem illius, ita etiam eſſet miraculum, quod poſitis diſpoſitionibus ad introductionem animæ rationalis in materie, de facto illa non introduceretur. Tales igitur diſpoſitiones ex natura rei diſponunt ad introductionem animæ rationalis in materia. Tū etiam, quia ſi diſpoſitiones non diſponerent naturaliter materiam ad receptionem animæ rationalis, ſed ſolum ex pacto Dei ad poſitionem talium diſpoſitionum, ipſe Deus animam rationalem in materia introduceret, nec tales diſpoſitiones na-

tu-

turaliter conſeruarent animam rationalem in materia ; ſed ſolum ex voluntate Dei conſeruaretur , abſque aliquo naturali ad id concurſu talium diſpoſitionum : Conſequens autem eſt falſum : alias fruſtra adhiberentur : naturalia medicamenta , vt debitæ perſeuerent diſpoſitiones ad conſeruationem animæ rationalis in materia , nec naturaliter homo ex defectu talium diſpoſitionum , ſed mere ex voluntate Dei moreretur , & eius anima ſepararetur à corpore : quod cum non ſit dicendum , nec dici poteſt , quod prædictæ diſpoſitiones non concurrunt naturaliter ad conſeruationẽ animæ rationalis in materia , & quod effectus illarum non eſt naturalis cauſa ſeparationis animæ à corpore : & conſequenter etiam eſt dicendum tales diſpoſitiones naturaliter diſponere materiam , & concurrere ad introductionem animæ rationalis in illa .

Confirmatur concluſio . Nam licet virtute agentis naturalis nulla forma abſque diſpoſitionibus præuijs poſſit introduci in materia , aut ab illa excludi , ſatis tamen probabile eſt , quod ſupernaturaliter abſque omnibus diſpoſitionibus non ſolum poteſt forma introduci in materia , ſed etiam ex illa per veram eductionem produci , vt late oſtendemus cum de productione formæ cælorũ & elementorũ loquamur. Ergo educi aliquã formã ex potẽtia materiæ nõ eſt quod introducatur in illa naturaliter ad illius receptionẽ diſpoſita .

8 His ergo & alijs circa eductionem formæ ex potentia materiæ omiſſis, vt quæſtioni directe reſpondeamus, dicencendum eſt tertio formam educi ex potentia materiæ nihil aliud eſſe, quam quod forma quæ erat in potentia materiæ per actionem agentis fiat actu, & educatur ex potentia materiæ. Ita expreſſe D. Thomas 1. part. quæſt. 90. art. ad 2. his verbis. *Ad ſecundum dicendum quod actum extrahi de potentia materiæ nihil aliud eſt quam aliquid fieri actu quod prius erat in potentia.* Ea autem ſunt in potentia materiæ, quæ dependent in fieri ab illa, quia quilibet effectus, qui ab aliquo dependet in fieri, eſt in potentia illius, eo modo quo ab illo dependet in fieri, vt ſi dependeat in fieri à cauſa efficienti, erit in potentia cauſæ efficientis, & quia materia vtpote pura potentia, nullius eſt actiuitatis, nihil poteſt dependere ab illa tanquam à cauſa efficienti, & ita quidquid dependet in fieri à materia, dependet ab illa, & continetur in illa tam quam in cauſa paſſiua materiali, ex qua illd fit & educitur. § Vt autem cognoſcamus, quæ forma dependet à materia in fieri, cum omnis forma ab eo à quo dependet in eſſe, dependeat etiam in fieri, forma quæ à materia ita in ſuo eſſe dependet, quod abſque illa eſſe non poſſit, etiam dependebit ab illa in fieri. Et cum forma ſit propter ſuam operationem, forma quæ in omni ſua operatione dependet à materia, ſignum eſt quod

etiam

etiam dependet ab illa in ſuo eſſe. Et è contra forma quæ in aliqua ſua operatione non dependet à materia, nec dependet ab illa in ſuo eſſe. Et ita in ſumma illæ formæ poſſunt educi per actionem efficientis de pontentia materiæ, quæ ab ipſa materia in ſuo eſſe & fieri dependet.

9. Quia tamen eductio actualis formæ ex materia debet fieri cum tranſmutatione ipſius materiæ, & talis tranſmutatio materiæ intelligi nequit, cum totum aliquod compoſitum & illius partes vnica & eadem actione producuntur, quamuis forma talis compoſiti, alias ex natura ſua, vtpote dependens à materia, in ſuo eſſe, educibilis eſſet, de potentia materię, de facto tamen non producitur ſi ſimul cum materia eadem actione producatur. His igitur ſic explicatis, ex illis in ſequentibus quæſtionibus explicare conabimur, quæ formæ ſint educibiles **ex potentia materiæ, & quæ de facto ex potentia materiæ educantur.**

QVÆSTIO XII.

Vtrum anima rationalis ſit educibilis ex potentia materiæ?

RESolutorie eſt dicendum animã rationalem nullatenus eſſe educibilem ex potentia materiæ. Concluſio eſt communis, imo ita certa, ſicut & quod anima rationalis non ſit generabilis & corruptibilis, ſed poſſit eſſe per ſe ſubſiſtens, & in ſuo eſſe & conſeruari independens à materia. Et manifeſte probatur concluſio, nam vt q. præcedenti diximus illa ſolum forma eſt educibilis ex potentia materiæ, quæ in potentia materiæ continetur. Sed anima rationalis non continetur in potentia materiæ; ergo non educitur ex illa. Minor patet, quia anima rationalis in eſſe & fieri non dependet à materia: ergo non continetur in potentia illius. Antecedens probatur. Tum quia anima rationalis habet aliquam operationem, ſcilicet intelligere independenter à materia: ergo ipſa anima non dependet in ſuo eſſe à materia. Tum etiam, quia de fide certum eſt animã rationalem eſſe immortalem & incorruptibilem & ſeparatam à materia, vt ſeparatur per mortem hominis, realiter permanere & perſeuerare: ergo in ſuo eſſe non dependet à materia:

alias

alias ſtatim ac ſeparatur ab illa; deſineret eſſe.

2 Aduerſus hanc rationem obijcies, quod etiam in aliquibus ſuis operationis, vt in vegetare & ſentire, dependet anima rationalis à materia. Id igitur ſufficit vt ipſa anima rationalis in ſuo eſſe depēdeat à materia. §. Confirmatur, nam in ipſo intelligere anima rationalis cum non intelligat niſi per conuerſionem ad phantaſmata, à materia dependet: ergo dependet anima rationalis in ſuo eſſe à materia.

3 Reſpondetur ad argumentum negando conſequentiam. Tum quia cum anima non ſit adæquatum principium vegetandi ſolum & ſentiendi, ſed etiam intelligendi, ſi in ſuo eſſe dependeret à materia, quoad omnem ſuam operationem depēderet ab illa: & ita ſufficit, quod anima rationalis quoad aliquam operationē à materia non dependat, vt dicatur in ſuo eſſe a materia non dependere. Tum etiam, quia cum intelligere ſit operatio propria animæ rationalis, vt ab alijs formis ſubſtantialibus diſtinctæ ex independentia talis operationis à materia, præcipue eius independentia in ſuo eſſe à materia colligitur. § Ad confirmationem reſpondetur, quod præter quam quod anima rationalis ſeparata à corpore elicit operationē omnino independenter à materia, quod ſufficit vt deducamus ipſam in ſuo eſſe à materia non dependere, etiam dum eſt in corpore, licet in accipiendo ſpecies depē-

deat à phantaſmatibus, in ipſo tamen formaliter intelligere, à materia tanquam ab organo corporeo non dependet. Sed intellectio eſt actio pure ſpiritualis & à materia independens.

4 Aduerſus ipſam autem concluſionem obijcies primo, quod omnis forma ſubſtantialis vel educitur ex materia, vel per creationem producitur. Sed anima rationalis nō producitur per creationem: ergo educitur ex potentia materiæ. Minor probatur. Quia creatio eſt productio omnino ex nihilo, ita vt ad illam nō præſupponatur ſubiectum. Sed ad productionem animæ rationalis præſupponitur ſubiectum, ſcilicet ipſa materia: ergo talis productio non eſt creatio.

Confirmatur, quia in materia eſt potētia paſſiua naturalis reſpectu animæ rationalis: ergo debet correſpondere potentia naturalis actiua, quæ animam rationalem in materia poſſit producere. Sed agens naturale ſeu potentia naturalis actiua non poteſt producere animam rationalem per creationem, quia creatio eſt actio propria ſolius Dei: ergo datur agens naturale potens producere animam rationalem per eductionem illius ex potentia materiæ.

5 Reſpondetur ad argumentum negando minorem. Et ad probationem dico, quod licet ad productionem animæ rationalis præſupponatur materia, non tamen præſupponatur vt ſubiectum ex

quo,

quo, ſed vt ſubiectum in quo poſſit recipi. Quia cum Deus non creet animam rationalem niſi ex intentione, quod illa vniatur materiæ iam diſpoſitæ, nunquam de facto creat animam rationalem, niſi prius ſupponatur materia ad illam iam diſpoſita. Tamen quia ipſa anima rationalis ſicut non dependet in ſuo eſſe à materia, cum poſſit ab illa ſeparata exiſtere, nec dependet in ſuo fieri à materia, & ita ſicut Deus conſeruat animam rationalem à materia ſeparatam, potuiſſet etiam illã creare antecedenter ad omnem materiam, etiam ex intentione quod poſtea producta materia, talis anima rationalis ipſi vniretur materiæ; Vnde cum de facto Deus producit animam rationalem præſuppoſita iãm materia & diſpoſita ad illam recipiendam, talis materia non præſupponitur ad productionem animæ, vt ſubiectum, ex quo educatur; ſed duntaxat vt ſubiectum in quo anima à Deo per creationem producta poſſit per actionem agẽtis naturalis ipſi materiæ vniri.

Ad confirmationem reſpondetur, quod potentia paſſiua materiæ ad animam rationalem, præciſe eſt ad illam recipiendam; non autem vt ex illa anima rationalis educatur. Quia tamen talis potentia naturalis paſſiua materiæ ad recipiendam animam rationalem compleri non poteſt, niſi ſit potentia naturalis actiua productiua animæ rationalis, & potens illam vniri ipſi materiæ, tali potentiæ

paſſiuæ materiæ ad recipiendam animam rationalem duplex potentia actiua naturalis correſpondet: Altera præſuppoſitiue ad producendam videlicet ipſam animam rationalem, & hæc licet ſit potentia actiua naturalis, eſt tamen ſolius Dei. Altera tali potentiæ paſſiuæ materiæ formaliter & proxime correſpondet potentia naturalis actiua, ad vniendã videlicet materiæ animam rationalem. Et licet ad hanc vnionem vt cauſa vniuerſalis concurrat Deus, vt cauſa tamen particularis concurrit ipſe homo, & in tali vnione conſiſtit formaliter generatio hominis.

6 Obijcies ſecundo, quod homo per actum generationis non ſolum vnit animam rationalem materiæ, ſed ipſam animam rationalem producit. Sed (vt iam diximus) agens naturale creatum, qualis eſt homo, non poteſt formam aliquam producere niſi educendo illam ex potentia materiæ. Ergo homo producit animam rationalem educendo illam ex potentia materiæ. Maior probatur. Nam homo vere cauſat & producit diſpoſitiones ad animam rationalem: ergo ipſam animam vere producit & cauſat: cauſans enim & producens diſpoſitiones ad aliquam formam, ipſam etiam formam producit.

Confirmatur. Nam ſi anima rationalis à ſolo Deo produceretur, per eandem Dei actionem vniretur materiæ: & ſimul per creationem vnita animæ rationali materia, non eſſet locus vt homo per actio-

actionem generatiuam vniret illam materiæ. Ergo cum certum ſit hominem per generationem vnire animam rationalem materiæ, dicendum eſt, quod anima rationalis non à ſolo Deo creatur, ſed ab homine per eductionem illius ex materia producitur, & per eandem productionem ipſi materiæ vnitur. Maior probatur: Quia Deus non producit animam rationalem ſeparatam à materia, nec in aliquo inſtāti ſuppoſitus anima rationalis à Deo producta, & poſtea materiæ vnitur. Ergo ſi à ſolo Deo producitur, producitur à Deo in materia, ac perinde per eandem actionem, qua à Deo producitur, ipſi materiæ vnitur.

7 Reſpondetur ad argumentum negando maiorem. Et ad probationem dico, quod homo cauſat quidem diſpoſitiones, vt anima rationalis ſit in materia, quia ad id requirit anima rationalis diſpoſitiones, non tamen cauſat aliquas diſpoſitiones, vt anima abſolute ſit aut fiat: quia nec ad ſuum abſolute eſſe aut fieri requirit anima rationalis aliquas diſpoſitiones, cum abſque illis à materia omnino ſeparata conſeruetur. Et ita argumentum ſolum probat, quod ſicut homo cauſat diſpoſitiones requiſitas vt anima introducatur & ſit in materia, ita etiam eſt cauſa vnionis animæ cum materia; non autem eſt cauſa ipſius fieri animæ rationalis.

Ad confirmationem reſpondetur negando maiorem; quamuis enim Deus, vt

de

de facto creat animam rationalem, non creat illam ſeparatam à materia (licet re vera illam poſſet ſic creare) nec in aliquo inſtanti temporis ſit anima rationalis à Deo producta & materiæ non vnita; non tamen per eandem actionem qua anima rationalis à ſolo Deo producitur, materiæ vnitur, ſed vnitur per actionem generatiuam hominis in eodem inſtanti temporis, licet poſterius natura ad actionem Dei productiuam animæ rationalis ſuccedentem, imò (vt dicemus in ſolutione ſequentis obiectionis) complentem actionem creatiuam Dei, quatenus per generationem fit compoſitum, & immediate illi, mediate autem materiæ, & animæ rationali communicatur ſubſiſtentia & exiſtentia.

8 Vltimo tandem obijcies & ex doctrina proxime inſinuata deducitur argumentum, quod anima rationalis in ſuo eſſe & exiſtere dependet à materia. Ergo dependet ab illam fieri, ac conſequenter educitur ex potentia materiæ. Antecedens probatur. Nam anima rationalis vt de facto producitur non ſeparata à materia ſubſiſtit & exiſtit per ſubſiſtentiam & exiſtentiam totius compoſiti. Sed in eo quod eſt eſſe compoſitum humanum eſt dependentia eſſentialis à materia, ſicut quodlibet compoſitum eſſentialiter dependet à ſuis partibus. Ergo & vt anima rationalis ſubſiſtat & exiſtat, ac perinde in ſuo eſſe dependet à materia.

9 Re-

9 Reſpondetur, quod licet anima rationalis vt componens hominem, ſicut neceſſariò vt ſic dicit eſſe in materia (id enim eſt componere hominem) ſic etiam vt ſic ſubſiſtit & exiſtit per ſubſiſtentiam & exiſtentiam totius, licet illa dicatur ſubſiſtere & exiſtere vt quo, quatenus ab illa dimanat ſubſiſtentia & exiſtentia totius compoſiti; & eſt ratio vt totum ipſum compoſitum immediate, & mediate illius partes ſubſiſtant & exiſtant. Et quidem in hoc modo ſubſiſtendi & exiſtendi anima rationalis dependet à materia, quod ſolum eſt animam rationalem dependere à materia, vt actualiter componit hominem: non tamen in ſuo eſſe abſolute dependet à materia, ſiquidem eadem anima rationalis ſeparata à materia, vel per eandem ſubſiſtentiam & exiſtentiam, quam habebat in toto (vt aliqui autumant) vel, vt verius exiſtimo, per aliam ſubſiſtentiam & exiſtentiam, quæ ſtatim quod anima à corpore ſeparatur, ab illa profluit & dimanat, ſubſiſtit, & exiſtit. Et ſicut in ſuo eſſe abſolute anima rationalis non dependet à materia, ita neque in ſuo fieri: aliàs niſi de nouo aliter quam producta eſt produceretur, non poſſet ſeparata à materia ſubſiſtere & exiſtere.

QVÆ-

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm formæ cœlorum & elementorum de facto in ſua prima productione fuerint eductæ ex potentia materiæ.

POſt reſolutionem præcedentis quæſtionis, quod anima rationalis non educatur ex potentia materiæ, reſtat id inquirere de alijs formis ſubſtantialibus. Et quidem de omnibus illis præter formas cœlorum & elementorum in ſua prima productione nulla eſt difficultas, quod educantur ex potentia materiæ, quia cum tales formæ dependeant in ſuo eſſe, & fieri à materia, & de facto non per eandem, ſed per diuerſam actionem illarum materia præſupponatur non ſolum prius natura, ſed prius tempore producta, & ſub alijs formis exiſtens, quibus à materia ſeparatis, & ſi ſint formæ materiales, omnino deſinentibus eſſe, tales aliæ formæ in materia ſuccedunt, non eſt cur ex illius potentia non educantur. Hoc igitur vt certo ſuppoſito, ſolum reſtat difficultas de formis cœlorum & formis elementorum in prima ſui productione.

2 Circa quod duplex inuoluitur difficultas. Altera in præſenti quæſtione diſputanda, an videlicet de facto tales for-

mæ

mæ in ſua prima productione fuerint ex potentia materiæ eductæ. Altera vero & & maior difficultas quæſtione ſequenti diſcutienda eſt, an tales formæ cœlorum & elementorum etiam in ſua prima productione, & non ſuppoſita prius tempore illarum materia, potuerint ex ipſius materiæ potentialitate educi.

3. Ad primam igitur difficultatem reſolutorie reſpondetur, quod de facto formæ cœlorum & elementorum non fuerunt ex potentia materiæ eductæ, ſed à Deo per creationem productæ in prima ſui productione. Oppoſitum tenent aliqui extra ſcholam D. Thomæ. Sed concluſio eſt communis Thomiſtarum, & expræſſa Diui Thomæ, 1. part. quæſt. 65. artic. 4. dicentis, quod *in prima corporalis creaturæ productione non conſideratur aliqua tranſmutatio de potentia in actum. Et ideo formæ corporales, quas in prima productione corpora habuerunt, ſunt immediate à Deo producta*. Cum enim non poſſit eſſe eductio de potentia materiæ, niſi cum tranſmutatione materiæ de potentia ad actum, aſſerens D. Thomas quod in prima corporalis creaturæ productione non fuit tranſmutatio de potentia ad actum, conſequenter ſentit formas corporales, in prima ſui productione non fuiſſe eductas ex potentia materiæ. Concluſio autem manifeſte deducitur ex illo, 1. Geneſis. *In principio creauit Deus cœlum & terram*. Cum enim verba ſacræ Scripturæ, vbi nullum ex eo ſe-

ſequitur inconueniens, cum omni proprietate & rigore ſint intelligenda, intelligendum eſt de vera creatione, vt diſtinguitur à qualibet alia productione, quod Deus creauit cælum & terram. Et cum eadem ſit ratio de reliquis elementis, dicendum eſt quod illa in ſua prima productione fuerint proprie à Deo creata, & non per eductionem illorum formæ ex materia productæ.

4 Ratio autem concluſionis ſic poteſt formari, quia etiam ſi formæ cœlorum & elementorum ſecundum ſuam naturam, vtpotè non minus in ſuo eſſe dependentes à materia quam aliæ formæ materiales, ſint educibiles ex potentia materiæ. Imò etiam ſi non præſuppoſita in aliquo priori temporis materia ad productionem prædictarum formarum, potuerit in aliquo priori naturæ creari à Deo materia & per aliam diſtinctam actionem prędictę formę ex illius potentia educi (vt oſtendemus quęſtione ſequenti) tamen non poſſunt tales formę educi ex potentia materię, ſi vnica & eadem actione totum compoſitum & illius partes, materia videlicet & forma producantur: cum hoc enim incompoſſibile erit formam fieri cum tranſmutatione materię, vt requiritur neceſſariò ad hoc quod forma educatur ex potentia materię, ſed de facto Deus vnica & eadem actione produxit totum compoſitum cuiuslibet cœli, & ſimiliter in prima illorum productione

quod-

quodlibet elementum, & eadem vnica actione primo & per ſe terminata ad talia compoſita produxit etiam illorum partes, materiam & formam. Ergo de facto formę cœlorum & formę elementorum in prima ſui productione non ſunt eductę ex potentia materię, ſed à Deo per creationem totius, compoſiti concreatę. Maior huius diſcurſus ſatis manet explicata. Conſequentia eſt nota. Et minor probatur. Quia cum tunc non ſupponeretur materia cœlorum & elementorum producta & ſub alia forma exiſtens, ſed neceſſarium eſſet tunc de nouo producere talem materiam, & alias tunc nullum eſſet agens naturale, quod ex materia prędictas educeret formas, ſolus Deus debuit tunc tales formas & illarum materiam producere, & cum poſſet tunc ipſum compoſitum creare, & ſimul eadem actione illius partes, materiam ſcilicet & formam concreare, ſuperfluum eſſet ad ad id actiones multiplicare & vna actione producere materiam, & altera actione formam ex illius potentia educere: ergo de facto non ſic Deus actiones ſuperſiue multiplicauit, ſed vnica & eadem actione totum quodlibet prędictum compoſitum & illius partes per creationem videlicet produxit.

5 Obijcies primo. Quod vt hic ſupponimus, & quęſtione ſequenti oſtendemus, formę cœlorum & elementorum etiam in prima ſui productione, & non

prę-

prǽſuppoſita prius tempore materia ad illarum productionem, potuerunt produci ex potentia ipſis materię, per alteram actionem in eodem inſtanti temporis eductę. Sed id eſſet magis connaturale prędictis formis, vtpotè materialibus, & in ſuo eſſe à materia dependentibus. Ergo eſto quod Deus potuerit vnica actione totum compoſitum & illius partes, materiam videlicet & formam producere, & talis actio eſſet creatio compoſiti & concreatio illius partium, de facto tamen vt conformaretur ipſis rebus producendis, dicendum eſt quod prius natura produxit materiam & ex illa per aliam actionem prędictas formas eduxit. Probatur conſequentia. Quia licet Deus quodlibet aliud compoſitum materiale modo poſſet vnica actione creare & concreare eius partes; tamen vt conformetur naturę ipſarum rerum, non ſic facit, ſed etiam ſi non prǽſupponatur prius tempore materia, vt non prǽſupponitur ad productionem vermis ex ſpeciebus ſacramentalibus, illam prius natura produxit, vt per alteram actionem ex illius potentia educatur forma. Ergo eodem modo: dicendum eſt, quod de facto Deus vt conformaretur ipſis naturis rerum producendarum, non vnica actione creauit cœlum & elementa & concreauit illorum partes, ſed prius natura produxit materiam, & poſtea per aliam actionem ex illius potentiis tales formas eduxit.

6 Re-

6 Reſpondetur negando conſequentiam. Et ad probationem dico, quod cum eſt aliquod agens naturale creatum, quod poſſit formam ex potentia materiæ educere, ad ſuauem Dei prouidentiam pertinet non eam producere ſe ſolo, etiam ſi poſſit, ſed admittere ad productionem illius, quantum ad illam concurrere potuerit, tale agens naturale creatum. Et ita cum ad productionem vermis ex ſpeciebus ſacramentalibus poſſit concurrere agens naturale creatum, educendo formam ex materia, Deus non vult totum tale compoſitum creare, ſed materiam ad cuius productionem non poteſt concurrere agens creatum, ſe ſolo producere: vt ex illa ſimul cum cauſa creata ſecunda educat formam. Ad productionem autem cœlorum & primam productionem elementorum, cum nullum eſſet agens naturale creatum, quod educendo tales formas ex materia poſſet concurrere, oportebat quod Deus tam materiam quam formas tunc ſe ſolo produceret. In productione autem illius quod Deus ſe ſolo producit, præcipue attenditur ad potentiam ipſius Dei producentis, & ſuperfluum eſſet quod cum Deus totum quodlibet tale compoſitum vnica actione poſſet creare & concreare illius partes, multiplicaret actiones, & vna actione produceret materiam & altera actione educeret formas. Imò ex ſuppoſitione quod modo Deus, quamuis minus connaturaliter, vellet abſ-

que cauſa ſecunda creata producere aliquod compoſitum materiale, murem v.g. vel lapidem, credendum eſt quod illud vnica actione produceret & crearet concreando illius partes, ne ſuperflue Deus actiones multiplicaret, altera actione producens materiam, & altera educens ex illa formam.

7 Obijcies ſecundo, quod formæ coelorum & elementorum dependent in fieri à materia, ſiquidem ab illa, vtpotè formæ materiales, dependent in eſſe. Ergo non potuerunt produci niſi dependenter à materia & educendo illas ex materiæ potentialitate. Probatur conſequentia, quia forma dependens à materia in fieri continetur vtique in potentia materiæ: nihil enim in fieri dependet ab alio, in cuius potentia aliqualiter non continetur. Ergo ſi formæ coelorum & elementorum dependent in fieri à materia, continebantur in potentia illius. Ergo non potuerunt vllatenus produci, niſi educendo illas ex tali potentia materiæ, ac perinde ſic de facto fuerunt productæ. Conſequentia hæc vltima patet, Quia nihil poteſt produci, niſi illud educendo extra potentiam omnium cauſarum, in qua continetur: ac perinde ſi formæ cælorum & elementorum continebantur in potentia materiæ, non potuerunt produci niſi per eductionem illarum ex tali potentia materiæ.

8 Reſpondetur hoc argumento ſolum ad multum conuinci, formas cælorum & ele-

elementorum eſſe natura ſua educibiles ex potentia materiæ, non tamen quod de facto fuerint ſic à Deo eductæ, quia cum Deus ſit agens infinitæ virtutis, poteſt aliquid ſe ſolo producere non vtens concurſu cauſæ creatæ efficientis, vel materialis in quarum potentia illud continebatur. Imò conueniens fuit Deum ſic illud producere, vt abſque neceſſitate non multiplicaret actiones, ſed vnica & eadem actione totum crearet, & concrearet illius partes. Et ita negatur, quod id quod in potentia cauſæ creatæ efficientis, vel materialis continetur, non poſſit a ſolo Deo produci, vel comproduci illud non educendo ex tali poteſtate cauſarum. Nec poſſumus negare quod adhuc ſic creando Deus aliquod compoſitum ex materia & forma materiali, forma maneat dependens in ſuo eſſe à materia, ita vt ſi ab illa ſeparetur talis forma, deſinat eſſe, ſed ſolum dicimus quod ex ſuppoſitione, quod vnica & eadem actione producatur illud totum & comproducantur illius partes, productio totius & illius formæ non potuit eſſe cum tranſmutatione materiæ: nec potuit ſic ex potentia materiæ educi forma.

9 Obijcies tertio, quod totum ipſum compoſitum cæli (& idem eſt de toto quolibet compoſito elementali) non potuit fieri à Deo per creationem, ac perinde nec illius partes, materia ſcilicet & forma fuerunt à Deo creatæ. Corruit er-

go fundamentum noſtræ ſententiæ, quod vnica videlicet actione Deus cælum & quodlibet elementum in prima illius productione creauit, & illius partes comproduxit & creauit. Antecedens probatur. Quia creatio eſt productio entis ex nullo alio præſuppoſito, ſed productio alicuius totius cōpoſiti materialis neceſſariò tamquam quid prius præſupponit ipſam materiam & formam, ex quibus tamquam ex partibus componitur. Ergo productio nullius totius compoſiti materialis poteſt eſſe creatio.

10 Hoc argumentum, quia nimis probat, videlicet Deum nullum compoſitum materiale poſſe creare, re vera nihil probat. Vnde ad illud reſpondetur quod compoſitum dependet quidem ex partibus, vt illud conſtituentibus & componentibus; non tamen vt ex ſubiectis ex quibus fiat, aut in quorum potentia contineatur, vel tamquam ab his quæ ad ipſius compoſiti productionem debeant præſupponi in aliquo priori naturæ producta, cum poſſint per actionem productiuam ipſius compoſiti comproduci. Et ad creationem alicuius ſolum obſtat dependentia illius ab aliquo tamquam à ſubiecto ex quo fiat, & in cuius potentia contineatur.

11 Vltimo denique obijcies ſpecialiter ad probandum quod elementa non fuerint à Deo producta per creationem primo & per ſe ad totum elementum & ſecundario ad illius partes terminatam,

ſed

ſed quod diuerſa actione producta eſt à Deo materia elementorum, ac illorum forma: ac perinde cum deficiat in elementis præcipua ratio noſtræ concluſionis, illorum ſaltē formę etiā in prima ſui productione fuerunt ex potentia materiæ aductę. Aſſumptum propoſitum probatur. Nam eadem actione aliquid producitur ac conſeruatur, cum conſeruatio cuiuslibet nihil ſit aliud quam continuata ipſius productio. Sed materia elementorum, quæ nunc permanet, non conſeruatur per actionem productiuam totius compoſiti. Ergo nec per illam fuit producta, ſed per actionem ſolum ad talem materiam terminatam, & diſtinctam ab actione productiua formæ. Minor probatur. Quia actio productiua totius talis compoſiti nunc nō perſeuerat, cum ad corruptionem formæ deſinerit eſſe ipſum compoſitum. Ergo per actionem productiuam totius compoſiti & productiuam formæ non conſeruatur modo materia elementorum prima.

12 Reſpondetur ad argumentum negando illius aſſumptum. Et ad illius probationem reſpondetur negando minorem. Per eandem enim actionem productiuam totius compoſiti elementalis, ignis v.g. in prima ſui productione & comproductiuam illius partium conſeruatur modo eius materia. Quia licet talis actio non conſeruet modo totum compoſitum & formam ad quam terminabatur; manet tamen conſeruans ipſam materiam, licet quia

nunc ſolum terminatur ad materiam, quæ incapax eſt immediate ſubſiſtentiæ & exiſtentiæ, per quam quælibet actio productiua & cõſeruatiua completur, talis actio ſit complebilis & de facto compleatur per actiones productiuas vel vnitiuas diuerſarum formarum ſuccedentium in eadem materia, per quas fiunt diuerſa compoſita, & primo & per ſe illis, & mediate ſuis partibus communicatur ſubſiſtentia & exiſtentia. Quamuis enim talis productio à principio, vtpotè actio totalis non requiſierit aliam actionem, per quam compleretur, modo tamen quia deſtructo compoſito & forma, ſolum perſeuerat talis actio terminata ad materiam, manet in ratione actionis particularis & incompletæ, ſicut ſi fuiſſet productio ſolius materiæ, ac perinde manet vt exigens aliam actionem productiuam compoſiti, per quam compleatur, & ipſi materiæ communicetur ſubſiſtentia & exiſtentia. Dicere enim quod tunc materia ſolum conſeruatur per generationem, vel generationes productiuas compoſitorum, quæ ex tali materia componuntur, non videtur verum; quia ſicut materia non eſt producibilis niſi per creationem, ita non eſt conſeruabilis niſi per creationem, licet productio vel conſeruatio materiæ, cum ad illam ſolum terminatur, ſemper exigat aliam actionem, per quam compleatur, & ipſi materiæ ſubſiſtentia & exiſtentia communicetur.

QVÆ-

QVAESTIO XIV.

Vtrùm formæ cælorum & elementorum in prima ſui productione potuerint educi ex potentia materiæ?

PVnctus difficultatis in eo conſiſtit, an ſuppoſito quod ad primam productionem formæ cælorum & elementorum non præceſſerit earum materia prius tempore in aliquo priori ſaltem inſtanti temporis producta, potuerit in eodem temporis inſtanti talis materia produci, & ex illa in aliquo poſteriori naturæ, per aliam actionem potuerint educi formæ cælorum & elementorum. Partem enim negatiuam aliqui Thomiſtæ defendunt exiſtimantes, quod nulla forma poteſt produci cum transſmutatione materiæ (vt re vera cum materiæ tranſmutatione debet produci, vt ex illius potentia educatur) niſi materia non ſolum prioritate naturæ, ſed in aliquo ſaltem priori inſtāti temporis præcedat producta, antequam forma ex illa educatur.

2 Nihilominus cum alijs pluribus Thomiſtis affirmatiue ad quæſtionem reſpondetur. Probatur concluſio hac ratione efficaci. Quia potuit Deus in eodem temporis inſtanti per vnam actionem li-

cet partialem & incompletam producere materiam cælorum ſeu elementorum, & in poſteriori naturæ per aliam actionem educere ex tali materia formam cælorum vel elementorum. Ergo tales formæ etiam in ſui prima productione, & non ſuppoſita ad illam prius tempore producta materia potuerunt educi à Deo ex potentia materiæ. Antecedens probatur, & ratione, & exemplis. Ratione quidem. Quia licet in illo priori materia non intelligatur exiſtens, ac perinde nec complete producta; intelligitur tamen terminare partialem ſui productionem creatiuam, & per id aliquam accipere actualitatem, & tendere ad exiſtentiam, & non vt omnino intra cauſas (vt late in ſuperioribus explicuimus) ergo in tali priori naturæ intelligitur materia cum ſufficienti entitate, vt ex ipſa per aliam diſtinctam actionem poſterius natura licet in eodem inſtāti temporis educatur forma cælorum aut elementorum. Conſequentia probatur. Quia ad cauſalitatem materialem, quam erga formam ſubſtantialem, vt ex illius potentia educatur, exercet materia (vt ſæpius diximus) non requiritur quod pro illo ſigno intelligatur materia exiſtens, nec complete producta, ſed ſufficit quod pro tunc intelligatur terminans actionem ſui, licet incomplete productiuam & intelligatur vt in fieri &, vt tendens ad exiſtentiam. Ergo ex materia, vt in aliquo priori naturæ terminat productionem ſui,

po-

poteſt in eodem inſtanti temporis; poſterius tamen natura educi forma per aliam diſtinctam actionem.

3 Duplici autem exemplo id etiam manifeſte probatur. Primum eſt in eductione formæ accidentalis, quæ etiam (vt videbimus quæſtione ſequenti) educitur ex potentia ſubiecti cum ipſius tranſmutatione. Et tamen in eodem inſtanti temporis quo aliquod ſubiectum producitur, poteſt ex illius potentia per aliam actionem forma accidentalis educi. Ergo ſimiliter ex potentia materiæ in aliquo temporis inſtanti productæ poteſt in eodē inſtāti temporis per aliam diſtinctam actionem forma ſubſtantialis educi, ac perinde nulla erit repugnantia, quod Deus in eodem temporis inſtanti materiam cælorum produxiſſet, & in alio poſteriori naturæ ex potentia talis materiæ per aliam diſtinctam actionem formas cælorum aut elementorum eduxiſſet. Conſequentia patet à paritate rationis. Et antecedens probatur. Nam in ſententia D. Thomæ gratia habitualis Angelorum, ſicut & noſtra gratia non creatur, ſed ex potentia obedientiali illius ſubiecti educitur: ſed in primo inſtanti conditionis Angelorum ipſi gratiam habuerunt, vt teſtatur idem ſanctus Doctor 1. par. quæſt. 62. art. 3. cum D. Auguſtino dicente: Erat Deus in illis condens naturam & largiens gratiam. Ergo forma accidentalis poteſt in aliquo temporis inſtanti educi ex potentia ſubie-

cti, quod in eodem inſtanti temporis incipit eſſe.

4 Secundum exemplum eſt in productione vermis in ſpeciebus ſacramentalibus Euchariſtiæ, quæ, cum fiat virtute agentis naturalis, non poteſt eſſe creatio, ſed vera generatio & vera eductio formæ vermis ex potentia materiæ. Et tamen, ipſa materia non præcedit ipſam eductionem formæ vermis prius tempore producta, ſed in eodem inſtanti temporis producitur à ſolo Deo per creationem materiæ, vel per conuerſionem quantitatis in illam & in eodem temporis inſtanti per aliam actionem virtute agentis naturalis educitur ex potentia talis materiæ forma vermis: ergo vt ex potentia materiæ cum ipſius materiæ träſmutatione educatur aliqua forma ſubſtantialis, non requiritur neceſſario, quod ad talis formæ eductionem ipſa materia præſupponatur prius tempore producta.

5 Nec valet dicere quod licet in tali caſu ad eductionem formæ vermis ex materia non præſupponatur prius tempore ipſa materia producta; præſupponitur tamen prius tempore quantitas panis, quæ cum recipiat diſpoſitiones antecedentes diſponentes ad productionem formæ vermis, vices gerit materiæ: ac perinde ipſa materia eſt diſpoſita, vt ex illa educatur forma vermis. In noſtro autem caſu cum nec prius tempore ad productionem formæ cœlorum & elementorum præſupponatur

natur

natur materia, nec aliquid aliud vicem gerens materiæ, non potuit ex tali materia educi forma cœlorum & elementorum.

6 Non (inquam) hoc obſtat. Quia id ſolum facit quod niſi prius tempore ad ductionem alicuius formæ præcedat materia, vel aliquid vicem gerens materiæ, in quo ad productionem talis formæ recipiantur diſpoſitiones, non poſſit virtute agentis naturalis educi ex tali materia forma, quia agens naturale creatum ſolum poteſt educere formam ex materia ad id diſpoſita; id tamen non tollit quod agens in creatum, quod ad productionem alicuius non indiget diſpoſitionibus, non poſſit formã materialẽ ex potentia materię prioritate ſolum naturę præcedentis educere.

Confirmatur, quia etiam ſi in caſu productionis vermis pręcedat quantitas panis recipiens diſpoſitiones ad formam vermis, & ad id vicem gerens materiæ, tamen cum poſtea ex ipſa materia & non ex quantitate panis forma educitur vermis, ipſa materia ſubſtantialis tranſmutatur. Ergo etiam ſi materia formæ cœlorum vel aliquid vicem eius gerens non præcedat tempore, ſed ſolum prioritate naturæ productionem formæ cœlorum; poteſt ad illius productionem ipſa tranſmutari materia, & ex illius potentia forma cœlorum educi.

7 Aduerſus concluſionem tamen obijcies primo. Quod vt ex potentia materiæ aliqua educatur forma, debet ipſa mate-

ria tranſmutari, & ad tranſmutationem materiæ requiritur quod præcedat in illa priuatio talis formæ: ſed ſi in eodem temporis inſtanti producatur materia, & forma in illa introducatur, non poteſt ad productionem talis formæ priuatio illius prȩcedere in materia, quia com priuatio formæ ſit negatio illius, in eodem inſtanti temporis materia eſſet cum tali forma & cum negatione illius, quod eſt impoſſibile: alias enim pro eodem inſtanti temporis verificarentur iſtæ duæ contradictoriȩ, materia eſt ſub tali forma, materia non eſt ſub tali forma. Ergo niſi materia prȩcedat prius tempore productionem formæ, non poteſt ad illius productionem tranſmutari.

Confirmatur, nam ad quodlibet compoſitum naturale, quod ſit per generationem, concurrunt ad illius fieri tria principia: materia videlicet & forma, & priuatio formȩ producendȩ: ergo ſi ad compoſitum, cuius materia non præcedit prioritate temporis productionem formȩ vel vnionem illius cum ipſa materia non concurrit priuatio talis formȩ, quia illa non poteſt eſſe in tali materia, tale compoſitum, ea ſacta ſuppoſitione, non ſit per generationem, ſed per creationem.

8 Reſpondetur ad argumentum, quod licet proprie non poſſit eſſe in materia priuatio illius formȩ, quam ipſa materia, vel aliquid vicem illus gerens tempore non prȩcedit, quia (vt recte probat argumentum) non poteſt in eodem inſtanti tempo-

ris

ris eſſe in materia aliqua forma & illius proprie priuatio; tamen ſi materia per diſtinctam actionem ac forma producatur, poteſt in aliquo priori naturę materia precedere formam; & intelligi abſque forma, quod eſt illam intelligi cum priuatione minus propria, & late ſumpta formę: & id ſufficit, vt in altero poſteriori naturę, & per alteram diſtinctam actionem forma cum tranſmutatione materię ex illius potentia educatur.

Ad confirmationem reſpondetur quod licet ad generationem cuiuſcunque entis naturalis, quod virtute naturali agentis creati generatur, prerequiratur in materia vt principium in fieri & vt terminus à quo talis generationis, propria priuatio formę producendę: ac perinde requiratur quod materia vel aliquid vicem eius gerens, in quo recipiantur diſpoſitiones, precedat prius tempore productionem formę; tamen ad generationem ſeu productionem alicuius compoſiti per eductionem illius formę ex materia, virtute agentis increati non requiritur in materia proprie priuatio formę producendę, ſed ſolum quod materia fiat per diuerſam actionem ac forma, & quod in aliquo priori naturę materię productio licet incompleta precedat productionem formę.

9 Obijcies ſecundo, quod ſola materia non poteſt terminare aliquam actionem productiuam, ſed ſolum poteſt comproduci ad productionem alicuius formę

vel totius compoſiti: ergo cum ad primam productionem cœlorum & elementorum, illorum materia non ſupponatur prius tempore producta & ſub altera forma exiſtens, ſed oportuerit tunc illam produci, non potuit tunc tunc ſe ſola terminare aliquam actionem productiuam, ſed ſolum per eandem actionem, qua producitur forma & totum compoſitum, ipſa materia potuit tunc comproduci. Sed (vt ſæpius diximus) ſi materia per eandem actionem ac forma producatur, non poteſt talis forma ex ipſius materiæ potentia educi, aut cum illius tranſmutatione produci: ergo formæ cœlorum & elementorum in prima ſui productione non potuerunt educi ex potentia materiæ. Primum antecedens probatur. Quia cum omnis actio productiua tendat ad ponendum ſuum terminum ſub exiſtentia, & materia non niſi vnita formæ ſit capax exiſtentiæ, materia ſe ſola non poteſt terminare aliquam actionem productiuam, nec eſt creabilis aut producibilis, ſed ſolum concreabilis aut comproducibilis ad creationem vel productionem formæ & totius compoſiti.

10 Reſpondetur negando antecedens: in exemplo enim ſæpius adducto in productione vermis in ſpeciebus ſacramentalibus, per diſtinctam actionem ad ſolam materiam terminatam producitur materia, ac producitur forma & totum compoſitum, cum forma & compoſitum producatur per generationem virtute agentis natu-

turalis, materia autem à ſolo Deo per creationem, licet, quia materia vſque dum creatur formæ incapax eſt exiſtencię, actio eius productiua non compleatur vſque per aliam actionem productiuam formę & compoſiti ei communicetur exiſtentia, & ſic talis actio productiua materiæ, licet ad ſolam materiam terminata, quatenus tamen vt compleatur, exigit aliam actionem, poteſt dici non ſimpliciter productio, ſed comproductio, & materia dicitur non ſimpliciter creabilis aut producibilis, ſed concreabilis & comproducibilis, quia non eſt producibilis niſi vel per ipſam productionem compoſiti, vel dependenter ſaltem à productione compoſiti, & ita materia cœlorum & elementorum in ſua prima prima productione potuit vel per ipſam productionem totius compoſiti comproduci (vt de facto eſt comproducta) vel per diſtinctam actionem ad ipſam ſolam materiam terminatam; dependentem tamen & exigentem ad ſui completionem alteram actionem productiuam formæ & totius compoſiti, per quam immediate primo & per ſe ipſi compoſito & mediate illius partibus, materiæ videlicet & formę communicetur ſubſiſtentia & exiſtentia.

11 Obijcies tertio, quod cælum non eſt producibile niſi per creationem: ergo non ſolũ de facto per creationem eſt productum, ſed nec aliter produci potuit: ac perinde non potuit produci per eductionem illius formæ ex materia. Antecedens

probatur. Quia cælum eſt incorruptibile: ergo eſt ingenerabile: ac perinde non niſi per creationem producibile.

12 Reſpondetur, quod cælum eſt incorruptibile, non quidem quia forma cæli eſt ſubſiſtens & à materia in ſuo eſſe non dependens; ſi enim vel miraculoſe forma cæli ab illius materia ſeparetur, eo ipſo talis forma deſinet eſſe. Sed ipſum cęlum eſt incorruptibile, quatenus illius materia ſatiata forma cęli non appetit aliam formam, & hoc modo cęlum eſſe incorruptibile non tollit: quin ſit generabile & per eductionem illius formę ex materia producibile.

QVÆSTIO XV.

Vtrùm formæ accidentales educantur ex potentia ſubiecti?

VT eductionem omnium formarum explicemus, hanc proponimus difficultatem, in qua eſt aduertendum quod formę accidentales alię ſunt per modum proprietatis & proprię paſſionis in eodem inſtanti, & per eandem productionem alicuius, vt termini ſecundarij talis productionis conſequentes, vt riſibilitas ad productionem animę rationalis, & calor ad productionem ignis. Alię vero ſunt formę accidentales non ſic naturaliter debi-

debitæ & per diſtinctam actionem producantur: & iſtæ aliæ ſunt naturales, vt calor reſpectu ignis, aliæ artificiales, vt forma imaginis reſpectu lapidis, aliæ violentæ, vt motus ſurſum reſpectu grauis, & aliæ deniquæ ſupernaturales, & quæ ſolum virtute diuina poſſunt produci, vt gratias & virtutes ſupernaturales. Et de omnibus his breuiter eſt dicendum; quia aliqua illorum pertinent ad Theologiam vbi plenius tractantur, & aliorum reſolutio facile deducitur ex dictis.

2 Dico igitur primo, formæ accidentales quę per modum paſſionis & proprietatis conſequuntur & dimanant ab aliqua natura ſeu forma ſubſtantiali, ſi talis forma ſubſtantialis non educatur ex potentia materiæ, ſed creetur, etiam illæ creantur, ſeu (vt melius dicam) concreantur; ſi autem talis forma ſubſtantialis educatur ex potentia materiæ, ex eiuſdem potentia materiæ educuntur, ſeu (vt melius dicam) coeducuntur ipſæ formæ accidentales, quę per modum proprietatis ab ipſa forma ſubſtantiali dimanant. Concluſio eſt manifeſta. Nam cum per eandem actionem ac forma ſubſtantialis eius proprietates vt termini ſecundarij producantur, illæ concreantur, ſi vero ſubſtantialis educatur ex potentia materiæ, ex illa coeducuntur.

3 Dices quod cum immediatum ſubiectum prædictarum formarum accidentalium ſit ipſa forma ſubſtantialis, cuius ſunt proprietates, & ſiue forma ſubſtan-

tia-

cat D. Thomas q. de virtutibus, art. 10. ad 13. his verbis. *Quod quia potentia paſſiua correſpondet, actiua ſecundum differentiam, & ordinem potentiarum actiuarum, eſt etiam ordo & differentia paſſiuarum. Et ſic aqua vel terra ſecundum aliquam potentiam nata eſt moueri ab igne, & ſecundum aliam à corpore cæleſti: poteſt enim aliquid fieri virtute corporis cæleſtis, quod non virtute ignis, & aliquid vlterius ſecundum virtutem Dei, quod non poteſt fieri ſecundum virtutem cæli: & ſecundum hoc dicimus, quod in tota creatura eſt quædam potentia obedientialis, prout tota creatura obedit Deo ad ſuſcipiendum in ſe quidquid voluerit.* Quam etiam potentiam obedientialem; Deo dante, explicabimus in commentarijs ad tertiam partem D. Thomæ circa quæſtionem 13. illius.

6 Secundo probatur concluſio. Quia prædictæ formæ ſupernaturales dependent in ſuo eſſe & fieri à ſubiecto, & ab illo ſeparatæ nequeunt ſaltem naturaliter conſeruari: & alias per diſtinctam actionem ac illarum ſubiectum producuntur. Ergo verè educuntur ex potentia illius.

7 Aduerſus ſecundam tamen & tertiam concluſionem obiicies. Aduerſus ſecundam quidem. Quia ſubiectum non habet inclinationem naturalem ad formas artificiales, & multo minus ad motum vel formam illi violentam, cum potius illis poſitiue reſiſtat. Ergo non educuntur tales formæ ex potentia illius. §. Aduerſus tertiam verò, quod ad gratiam & alias

for-

formas ſupernaturales ſubiectum non ſolum non habet inclinationem naturalem, ſed nec proportionem aliquam, & quod gratia vere creatur iuxta illud Pſalmi 50. *Cor mundum crea in me Deus*, & à Deo infunditur, vt definitur in Concilio Tridentino ſeſſione 6. cap. 7. Ergo non educitur ex potentia ſubiecti.

8 Ad hæc tamen facile reſpondetur, quod licet ad formam artificialem non habeat ſubiectum appetitum naturalem, habet tamen capacitatem, vt ex illius potentia per artificem educatur. Et ita talis potentia poteſt dici obedentialis, quatenus eſt capacitas in ligno vel lapide vt ex illo fiat artificiatum, imago vel figura, quam artifex voluerit. Et id ſufficit, vt ex potentia talis ſubiecti educatur forma artificialis. §. Et licet ad formam vel motum illi violentum reſiſtat ſubiectum; habet tamen capacitatem, vt agens vincens eius reſiſtentiam, talem formam vel motum ex illius potentia educat. §. Improportio autem quæ cuiuſlibet formæ ſupernaturalis eſt cum quolibet ſubiecto naturali, ſolum facit quod ex illius potentia naturali non poſſit educi: non tamen quod virtute diuina non poſſit educi ex illius potentia obedentiali. §. Dicitur denique gratia creari, & à Deo infundi, non quod vere per creationem producatur, ſed quia non inuenitur aliquod principium naturale illius in creaturis, & quia virtute nullius agentis creati, ſed ſolum virtute diuina poteſt produci.

QVÆ-

QVÆSTIO XVI.

Vtrum ad vnionem materiæ cum forma aliquis modus ab vtraque realiter diſtinctus interueniat?

POſtquam in præcedentibus egimus de materia & forma, quæ ſunt partes eſſentiales phiſicæ compoſiti ſubſtantialis, opere prætium eſt, vt de illarum vnione & de ipſo toto ſubſtantiali quod ex illarũ vnione reſultat,& in ipſis ſimul vnitis conſulit, in hac & ſequenti quæſtione tractemus. Cum enim certum ſit tales partes compoſiti ſubſtantialis inter ſe realiter vniri, & ad vnionem illarum reſultare in illis relationem quandam vnionis, quæ relatio cum ſequatur talem vnionem, non poteſt eſſe id, per quod prædicta extrema inter ſe vniuntur. Difficultas, eſt per quid tales partes inter ſe vniatur, & quod ſit fundamentum talis relationis vnionis. Per quid, inquam, formaliter vniantur, quia cauſaliter & effectiue certum eſt, quod per actionem agentis vniuntur.

2 Aliqui recentiores etiam ex Thomiſtis exiſtimant materiam & formam ſeipſis immediate non vniri, ſed medio aliquo modo ſubſtantiali ab vtroque extremo realiter diſtincto,qui velut nexus quidam illas vniat. Et aliqui vnum tantum

mo-

modum ad hoc munus conſtituunt; alij autem vnum modum cōcedunt ex parte materiæ, per quem vniatur formæ, & alterum ex parte formæ, per quem vniatur materiæ, eamque doctrinam extendunt, vt etiam ad vnionem cuiuſlibet naturæ creatæ cum ſua propria ſubſiſtentia, & humanitatis Christi cum ſubſiſtentia Verbi modum aliquem ſubſtantialem interuenire contendant.

3 Dicendum tamen eſt materiam & formam ſubſtantialem ſeipſis immediate, abſque aliqua entitate aut modo ſubſtanſtantiali ab ipſis realiter diſtincto ſubſtantialiter vniri. Ita plures recentiores Thomiſtæ. Antiqui autem omnes videntur id ſupponere, cum nullus talis meminerit modi. Nec D. Thomas præter actionem vnitiuam efficientem cauſantem vnionem & relationem vnionis conſecutam ad ipſam vnionem, aliquid ab extremis vnitis diſtinctum in vnione materiæ cum forma, vel naturæ cum propria vel aliena ſubſiſtentia vnquam cognouit. Et ſpecialiter in 3. ad Anibaldum, d. 5. q. vnica, art. 3. ita ait. *Vnio tripliciter accipi poteſt. Vno modo prout vnio eſt idem quod vnitio. Alio modo prout vnio eſt paſſio, & ſic eſt quadam natura aſſumpta dependentia ad aſſumentem.* Tertio *modo & proprie vnio eſt relatio conſequens huiuſmodi actionem & paſſionem, & ſic eſt quedam comparatio vel habitudo vnitorum.* Hæc Diu. Thomas, vbi ex profeſſo numerans omnia quæ ad vnionem concurrunt, nullum

lum medium numerat inter extrema vnita. Sed in vnione humanitatis aſſumptæ cum Verbo præter actionem vnitiuam, & relationem, quæ ipſam vnionem conſequitur, ſolum aſſignat dependentiam naturæ aſſumptæ ab aſſumente. Ergo eodem modo in vnione materiæ cum forma præter actionem vnitiuam & relationem, quæ ipſam vnionem conſequitur, ſolum reperitur dependentia materiæ a forma. Alia duo efficaciſſima teſtimonia D. Thomæ in rationibus pro noſtra concluſione proponemus.

4 Probatur ergo primo cõcluſio. Materia ſeipſa eſt potentia in ordine ad formam ſubſtantialem. Ergo ſecluſa omni entitate & modo ab ipſa & à forma ſubſtantiali diſtincto, ſeipſa immediate recipit formam, & ſeipſa forma actuat materiam & in illa recipitur. Sed vnio formæ ſubſtantialis cum materia in receptione formæ in materia conſiſtit. Ergo ad hanc vnionem omnis entitas vel modus ab extremis diſtinctus, vt omnino ſuperfluus eſt relegandus.

Confirmatur primo, & explicatur hæc ratio. Nam ſi materia & forma ſubſtantialis medio aliquo modo ab ipſis realiter diſtincto vnirentur, re vera materia non exerceret potentialitatem reſpectu formæ, nec forma exerceret rationem actus reſpectu materiæ, ſed vtraque entitas actuaretur per talem modum, ſicuti duæ partes lineæ, quæ realiter vniuntur medio puncto

cto ab ipſis diſtincto, actuatur vtraque per talem punctum, non autem ipſæ partes ſe habent adinuicem vt actus & potentia. Ergo cum certum ſit materiam erga formam exercere rationem potentię, & formam erga materiam rationem actus, non aliquo medio inter ſe vniuntur, ſed immediate materia recipit formam & forma actuat materiam.

Confirmatur ſecundo ex D. Thoma, 8. metaph. lectione vltima, circa finem ſic dicente. *Quod aliqui antiqui errabat inquirendo, quid faciat vnum potentiam & actum: quaſi oporteret eas colligari per aliquod vnum medium, ſicut ea quæ ſunt diuerſa ſecundum actum.* Et ſubdit. *Quod non oportet ea vniri per aliquod vinculum ſicut ea quæ ſunt penitus diuerſa. Vnde nulla eſt cauſa faciens vnum ea, quæ ſunt compoſita ex materia & forma, niſi quod mouet potentiam in actum.*

5 Secundo principaliter probatur cõcluſio, quia ad vnionem naturæ cum ſubſiſtentia non requiritur aliquis modus realiter à talibus extremis diſtinctus, medio quo illa vniantur. Ergo nec ad vnionem materiæ cum forma requiritur aliquis modus ab ipſis extremis deſtinctus. Conſequentia patet, quia eo ad primam vnionem non requiritur modus medians inter extrema, quia ſubſiſtentia comparatur ad naturum vt actus ad potentiam. Ergo cũ etiam forma ſubſtantialis comparetur ad materiam vt actus ad potentiam, vt vnia-

tur

tur cum illa , non requiritur aliquis modus medians inter talia extrema , & ab ipſis extremis diſtinctus. Antecedens autem probatur. Quia ad vnionem ſubſiſtentiæ diuinæ cum humanitate non interuenit aliquis modus : ergo neque ad vnionem ſubſiſtentiæ cum ſua propria natura, cum hæc non minus immediate cum illa quam ſubſiſtentia verbi cũ humanitate Chriſti vniatur Antecens late, Deo dante, oſtendã in cõmentarijs ad 3. par. ſuper art. 7. quæſtionis ſecundæ: idque ſimul cum paritate vnionis materiæ cũ forma videtur expræſſe docere D. Thomas in 3. d. 2 q. 2. art. 1. his verbis. *In vnione humanæ naturæ ad diuinam nihil poteſt cadere medium formaliter vnionem cauſans : cui per prius humana natura coniungatur, quam diuina : ſicut inter materiam & formam nihil cadit mediũ in eſſe, quod per prius ſit in materia quam forma ſubſtantialis*. Idque denique pro nunc probatur, quia talis modus non poteſt eſſe naturalis, cum vnio ipſa inter humanitatem & ſubſiſtentiam diuinam ſit ſupernaturalis; nec poteſt eſſe modus ſupernaturalis, quia debet eſſe ſubſtantialis, vtpote ad ſubſtantialem & non accidentalem vnionem terminatus: & ſecundum probabiliorem ſententiam non poteſt dari ſubſtantia creata etiam modalis & incompleta ſupernaturalis, quia omne ens creatum ſupernaturale ſpecificatur ab extrinſeco, & id omni ſubſtantiæ tam modali & incompletæ quam completæ repugnat.

Nec

Nec valet dicere quod cum ſubſiſtentia ſit entitas modalis & incompleta, quamuis ad vnionem illius cum materia non requiratur alius modus, ſicut & ad vnionem ipſius modi vnionis cum extremis non requiritur aliquis alius modus, alias daretur proceſsus in infinitũ; requiritur tamen aliquis modus ſubſtantialis ad vnionem materiæ cum forma, quæ non eſt modus, ſed quædam licet partialis entitas. §. Non (inquam) id valet, quia licet ſubſiſtentia ſit modus eſſendi, non eſt modus vnionis, ſed extremum ipſius vnionis cum natura; ergo ſi vt ſubſiſtentia vniatur naturæ, non requiritur modus, id re vera eſt, quia ſubſiſtentia comparatur ad naturam, vt actus ad potentiam: ac deinde cum etiam forma ſubſtantialis comparetur ad materiam, vt actus ad potentiam, non requiritur ad vnionem cum illa aliquis modus medians inter extrema ab ipſis extremis realiter diſtinctus.

6 Tertio probatur couclusio, quia ad vnionem materiæ cum forma non poteſt vnus tantum, nec duplex modus interuenire. Nullus igitur interuenit modus, ſed ſemetipſis immediate, & abſque aliquo medio materia & forma ſubſtantialiter vniuntur. Antecedens pro prima parte probatur. Tum quia cum modus vnionis, ſi ponitur, ſit fundamentum relationis vnionis materiæ ad formam, & formæ ad materiam, & vt ſit relatio realis ex parte vtriuſque extremi debeat ipſum fundamẽ-

tum ſeu ratio fundandi realiter in vtroque extremo multiplicari (vt in logica capite de relatione oſtendimus) non vnicus dũtaxat ad fundandam in materia & in forma relationem realem vnionis ſufficit modus Tum etiam , quia modus vnionis cum vt vniat extrema , debeat in ipſis recipi , & nullus vnicus modus poſſit recipi in extremis realiter diſtinctis , qualia ſunt materia & forma, non poteſt vnicus duntaxat dari modus vniens materiam cum forma. §. Tum denique , quia in homine cuius forma eſt ſpiritualis , & materia corporea modus vnionis nec poteſt eſſe corporeus , alias non poſſet facere vnionem materiæ cum anima rationali , nec in ipſa anima poſſet recipi : nec poteſt eſſe modus ſpiritualis & immaterialis : alias enim non poſſet facere vnionem cum materia , nec in ipſa materia recipi. Non igitur poteſt dari vnicus modus vnionis vniens formaliter materiam cum forma. §. Secunda autem pars antecedentis, videlicet quod non detur (vt aliqui volunt) duplex modus vnionis , alter videlicet in materia , vt vniatur formæ , & alter in forma , vt vniatur materiæ , probatur. Quia vel modus , v, g. qui eſt in materia , vnit illam cum forma vel non : ſi non vnit illam , non erit modus vnionis, & eadem ratione nec modus vnionis , qui eſt in forma, vniet illam cum materia , & ſic etiam cum tali vtroque modo non manebunt forma & materia vnitæ. Si vero di-

ca-

catur quod modus, qui eſt in materia, vnit illam cum forma, omnino ad talem vnionem ſuperfluus erit alter modus. Implicat enim quod materia ſit vnita formæ, quin & forma ſit vnita materiæ.

7 Obijcies primo, quod vt partes lineæ, v. g. inter ſe vniantur, indigent pũctis, & vt diuerſæ ſuperficies vniantur inter ſe, indigent lineis; quæ vel vt medium & nexus talia vniant extrema. Ergo vt materia & forma vniantur: indigent aliquo medio ab illis diſtincto, quod vt nexus & vinculum illas vniat.

8 Reſpondetur negando conſequentiam: partes enim lineæ (& idem dico de ſuperficiebus) cum ad inuicem non comparentur vt actus & potentia, quia cum ſint eiuſdem rationis non eſt maior ratio, vt vna ſit actus aut potentia reſpectu alterius, quam è contra, non poſſunt ſe ipſis immediate vniri, & ita vt vniantur, indigent aliquo termino communi, qui vtramque talem partem actuet & actuando illas vniant. Materia autem & forma, & quæcumque ad inuicem comparantur vt actus & potentia, poſſunt ſine aliquo medio vniri, quia id quod ſe habet vt potentia, immediate poteſt recipere id quod reſpectu illius ſe habet vt vt actus, & hoc immediate illud actuare.

9 Obijcies ſecundo, quod per vnionem materiæ cum forma ipſa materia, imò & forma realiter mutantur: ergo aliquid reale in ſe recipiunt, non aliud niſi

ſi modum, quo realiter vniuntur. Datur igitur modus aliquis vniens materiam cum forma realiter ab illis diſtinctus & realiter in illis receptus. Primum antecedens probatur. Quia aliter realiter ſe habent materia & forma per vnionem ac ante illam: ergo realiter mutantur. Prima autem conſequentia probatur, quia implicat aliquid realiter mutari quin aliquid de nouo realiter recipiat.

Confirmatur, quia per vnionem reſultat de nouo in materia realis relatio vnionis ad formam, & ſimiliter in forma realis relatio vnionis ad materiam. Sed nouæ relationis realis nouum debet eſſe fundamentum: ergo aliquid reale de nouo aduenit materiæ, vt fundet talem relationem ad formam, & aliquid reale de nouo aduenit formæ, vt fundet talem relationem ad materiam: & cum id reale de nouo non poſſit eſſe niſi modus vnionis, ille aduenit materiæ & formæ.

10 Reſpondetur ad argumentum, quod vt materia & forma realiter mutentur, ſufficit quod materia realiter recipiat formam, & per illam realiter perficiatur, & forma realiter recipiatur in materia, & per id limitetur & determinetur. §. Ad confirmationem autem dico, quod licet in materia & forma ſecundum ſe non ſit reale fundamentum talis relationis vnionis, in forma tamen vt actuante materiam & illi vnita, & in materia, vt recipiente formam & illi per talem receptionem

vnita, eſt fundamentum talis relationis.

11 Obijcies tertiò, quod materia realem cauſalitatem materialem exercet erga formam, & forma realem cauſalitatem formalem exercet erga materiam, & vtraque erga compoſitum illud conſtituens. Sed cauſalitas realis cuiuſcunque cauſæ, vtpotè quæ non ſemper & eſſentialiter conuenit illi, aliquid reale ſupra ipſam cauſam addit: ergo talis cauſalitas materiæ & formæ aliquid addit ſupra ipſam formam & materiam. Id autem nequit eſſe aliud, niſi modus vnionis, medio quo materia recipiens formam, illi vnitùr, & erga illam ſuam exercet cauſalitatem materialem, & forma actuans materiam, illi ſimiliter vnitur, & ſuam erga illam exercet cauſalitatem formalem, & vtraque ſic conſtituit compoſitum. Ergo neceſſario talis debet concedi modus vnionis de nouo adueniens materiæ & formæ, & ab ipſis realiter diſtinctus.

Confirmatur, nam modo anima rationalis, v. g. D. Petri ſeparata à materia, ſuam erga illam cauſalitatem formalem non exercet, & poſtea cum per reſurrectionem re vniatur materiæ, ſuam erga illam cauſalitatem exercebit: ergo aliquid reale habebit tunc quod modo non habet, quod vtique eſſe non poteſt niſi modus vnionis cum materia, quem tunc de nouo habebit.

12 Reſpondetur ad argumentum, quod cauſalitas materiæ & formæ non eſt

aliquid realiter ei ſuper additum & ab illis realiter diſtinctum, ſed materia ſuam exercet cauſalitatem erga formam, illam realiter in ſe recipiendo, & forma ſuam exercet cauſalitatem formalem erga materiam, ſe ipſam materiæ communicando, & ipſam materiam realiter actuando: quãuis hæc cauſalitas non ſemper competat formæ & materiæ, quia non ſemper materia hanc recipit formam, nec iſta forma ſemper actuat materiam.

Per hoc patet ad confirmationem. Anima enim rationalis D. Petri, nunc ſeparata à materia non ideo nunc non exercet ſuam cauſalitatem in materiam, quia non habet aliquid realiter à ſe diſtinctum, quod poſtea cum reuniatur materiæ, ei ſit ſuperaddendum, ſed quia modo realiter non actuat materiam, & tunc realiter illam actuabit, nec hoc erit per hoc quod tunc fiat ſimul cum materia & illi indiſtans, ſed per id quod in illa realiter intrinſece recipietur.

13 **Obijcies quarto, quod omnis actio, quæ vere habet rationem actionis & actio præcipue formaliter tranſiens debet habere aliquem terminum de nouo per illam productum: ergo & generatio hominis, cum vera ſit actio formaliter tranſiens. Sed nihil de nouo productum poteſt tali generationi correſpondere, niſi modus vnionis inter materiam & formam, cum per illam nec ipſa materia nec forma producatur: ergo inter materiam & formam**

 ho-

hominis aliquis interuenit modus vnionis realiter ab illis diſtinctus & realiter de nouo per generationem productus,& cum eadem ſit ratio de vnione materiæ cum qualibet alia forma ſubſtantiali, omnis illa fit medio aliquo modo vnionis.

Confirmatur, quia per corruptionem realiter aliquid deſinit eſſe. Sed per corruptionem, quæ eſt in morte hominis non deſinit eſſe realiter materia nec forma: ergo cum ſeparatur materia à forma, deſinit eſſe modus vnionis, qui eſt aliquid reale realiter à talibus extremis diſtinctum.

14 Reſpondetur ad argumentum negando antecedens. Non enim de ratione non ſolum actionis vt ſic eſt aliquid producere, vt patet in actione ſenſuum exteriorum, quæ iuxta probabiliorem ſententiam nihil producit, ſed vnit obiectum cum potentia, & in viſione beatorum, per quam, iuxta probabiliorem ſententiam, nec verbum nec aliquid aliud producitur, ſed vnitur obiectum intellectui beati. Imò nec de ratione actionis formaliter vel virtualiter tranſeuntis eſt aliquid proprie producere, ſed de ratione illius, & vt diſtinguitur ab actione omnino immanente ſolum eſt, quod aliquo modo habeat aliquem effectum extra ipſum agens, ſiue talis effectus ſit aliquid productum, ſiue ſolum aliquid vnitum. Generatio igitur eſſentialiter non dicit eſſe productionem alicuius, ſed ſaluatur in eo quod ſit vnitio

ma-

materiæ cum forma, cui non neceſſario correſpondet aliquid productum, ſed materia & forma immediate ſe ipſis ad inuicem vnitæ, licet generatio quæ terminatur ad formam materialem; ſimul ſit productio ipſius formæ & vnitio illius cum materia, non tamen productio alicuius modi vnionis. §. Ad confirmationem reſpondetur, quod ſicut per generationem hominis nihil producitur, ſed vnitur anima rationalis materiæ, ita per corruptionem & mortem hominis nihil reale deſinit eſſe, ſed ſolum ſeparatur forma à materia, licet per corruptionem cuiuſcunque alterius compoſiti ſubſtantialis, deſinat realiter eſſe illius forma. Corrùptio autem eſſentialiter ſaluatur in ſeparatione formæ à materia, etiam ſi nec materia nec forma, neque aliquid aliud realiter deſinat eſſe.

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm totum diſtinguatur realiter ab eius partibus ſimul ſumptis?

MVltiplex eſt totum, (ait noſter author quæſt.3. huius primi libri Phiſicorum.) Aliud enim eſt totum vniuerſale, vt anima reſpectu hominis & equi, & homo reſpectu Petri & Pauli, & de hoc certum eſt non diſtingui realiter à ſuis in-

ferioribus, ſed animal quod conuenit homini, idem eſt realiter cum ipſo. Aliud eſt totum pótentiale, vt ſubiectum reſpectu ſuarum paſſionum & proprietatum; & de hoc in libris de anima diſputabimus, an à talibus proprietatibus diſtinguatur realiter. Aliud eſt totum eſſentiale, & hoc duplex, vnum videlicet metaphiſicum compoſitum ex genere & differentia, de quo in logica, cap. de genere quæſt. 3. reſoluimus non diſtingui realiter à ſuis partibus, imò nec realiter illius partes inter ſe diſtingui. Aliud vero eſt totum eſſentiale phiſicum compoſitum videlicet ex materia & forma. Aliud eſt totum integrale, & hoc duplex, homo geneum videlicet, & ætereogeneum, homo geneum quod conſtat ex partibus eiuſdem rationis, vt aqua ex pluribus partibus aquæ, quarum quælibet eſt aqua, & eiuſdem rationis cum altera parte: eterogeneum autem, quod conſtat ex partibus diuerſæ rationis, vt homo conſtans carne & oſſibus, capite, manibus, & pedibus, & nulla talium partium ſubdit denominationem totius, vt caro non eſt homo, nec manus aut pes eſt homo. Aliud denique eſt totum accidentale, ſeu totum per accidens, & hoc triplex, primum videlicet quod conſtat ſubiecto & forma accidentali quæ ipſum ſubiectum actuat, vt album conſtans ex corpore & albedine. Secundum quod conſtat ex pluribus partibus, quarum vna non ſe habet ad alteram vt actus neque vt poten-

tia, ſed omnes actuantur aliqua forma artificiali. Tertium denique quod conſtat ex pluribus partibus ſine aliquo ordine aut forma, vt cumulus tritici vel acerbus lapidum, quod proprie vocatur agregatũ per accidens. Quæſtio igitur præſens procedit de toto phiſico eſſentiali, de toto integrali, & quolibet toto per accidens, an diſtinguatur à ſuis partibus ſimul ſumptis.

2 Inquirimus autem, an quodlibet tale totum diſtinguatur à ſuis partibus ſimul ſumptis & vnitis, ſiue per modum vnionis (vt aliqui volunt) ſiue abſque illo (vt reſoluimus quæſtioni præcedenti) nam à qualibet ſua parte non eſt dubium quodlibet tale totum realiter diſtingui penes realiter includens & incluſum, quia cum quodlibet tale totum non ſolum aliquam determinatam partem, ſed aliam vel aliàs includat, quas talis pars determinata nõ claudit, ab illa ſaltim ſeorſum ſumpta realiter totum diſtinguitur penes aliã vel alias partes, quas realiter ab illo diſtinctas includit, & ita quæſtio ſolum eſt, an quodlibet tale totum diſtinguatur realiter ab omnibus ſuis partibus ſimul ſumptis & vnitis.

3 Scotus in 3.metaphiſicæ quæſt.4. & in 3.ſenten.diſt.2.quæſt.2. art 1. cum alijs aſſerit totum per accidens non diſtingui realiter à ſuis partibus; bene tamen totum integrale & totum eſſentiale phiſicum. Ferrarienſis vero quæſt.5. huius libri cum aliquibus etiam ex Thomiſtis negat diſtin-

ctionem realem totius per accidens & totius integralis à ſuis partibus; aſſerit tamen totum eſſentiale phiſicum vt humanitatem, diſtingui realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis a materia videlicet & formâ ſimul ſumptis & vnitis. Noſter tamen author loco citato cum communiori ſententia docet nullum prædictum tale totum diſtingui realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis.

4 Dico primo. Tertia relata ſententia vt probabilior eſt tenenda. Ita deducitur ex Ariſtotele & D.Tho. Ariſt.enim, 4.phiſicorum cap.3.ait. *Alio modo eſt aliquid in alio, vt totum eſt in partibus: neque enim aliquid eſt totum quam partes*. Et D. Thomas, 4.contragentes, cap.81. aſſerit. *De humanitate vero non eſt intelligendum, quod ſit quædam forma conſurgens ex coniunctione formæ ad materiam, quaſi realiter ſit alia ab vtraque. Quia cum per formã materia ſiat hoc aliquid actu, vt dicetur, 2 de anima, textu, 9. illa tertia forma conſurgens non eſſet ſubſtantialis, ſed accidentalis*. Hæc D. Thomas, & cum vt authores oppoſiti concedunt, ſi totum eſſentiale phiſicum non diſtinguitur realiter à ſuis partibus, à fortiori nec totum integrale, nec totum per accidens realiter à ſuis partibus diſtingui, aſſerens expræſe S. Doctor humanitatem, quæ eſt totum eſſentiale phiſicum, non eſſe realiter diſtinctam à ſuis partibus, conſequenter idem ſentit de toto integrali & toto per accidens. Præter quam quod de

to-

toto in generali, 1.par. quæſt.77. artic.1. videtur concedere quod vere & identice, licet non formaliter & proprie prædicatur de ſuis partibus ſimul ſumptis, quod fieri non poſſet, ſi ab illis ſimul ſumptis realiter diſtingueretur.

5 Rationibus autem probatur concluſio, & quidem aduerſus Scotum probari poſſet, quia in eius ſententia omnia quæ realiter diſtinguuntur, poſſunt adinuicem ſeparari, & cum ſeparari nequeat totum à ſuis partibus, in conſequenter ad ſuam ſententiam aſſerit illud à ſuis partibus realiter diſtingui. §. Poſſet etiam aduerſus eundem Scotum concluſio probari, quia totum per accidens in eius ſententia non diſtinguitur realiter à ſuis partibus: ergo nec totum integrale aut eſſentiale phiſicum, ſiquidem quod partes totius per accidens non vniantur interſe, & partes totius integralis & totius eſſentialis phiſici ſint inter ſe vnitæ, id potius arguit, quod à fortiori totum eſſentiale phiſicum non diſtinguatur à ſuis partibus, ſiquidem (vt ſtatim videbimus) in partibus inter ſe vnitis ſine alia ſuperaddita entitate conſiſtit totum.

6 Poſſet etiam concluſio probari aduerſus Ferrarienſem, quia totum integrale in ſua ſententia non diſtinguitur à ſuis partibus ſimul ſumptis: ergo nec totum eſſentiale phiſicum, ſiquidem ſicut totum eſſentiale phiſicum coſtituitur ex ſuis partibus, ita & totum integrale ex ſuis parti-

bus conſtituitur : ergo ſi ratio conſtituentis & conſtituti non conuincit diſtinctionem realem totius integralis à ſuis partibus ſimul ſumptis, ita nec ratio conſtituentis aut conſtituti debuit conuincere Ferrarienſem, vt concederet diſtinctionem realem totius eſſentialis phiſici à ſuis partibus ſimul ſumptis.

7 Sed quidquid ſit de probationibus concluſionis, aduerſus prædictos authores, abſolute & efficaciter concluſio hæc ratione probatur. Totum eſſentiale phiſicum, humanitas, v.g. (& idem dico de toto integrali & toto per accidens) nullam addit entitatem realiter diſtinctam ab entitate ſuarum partium : ergo non diſtinguitur realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis & vnitis. Conſequentia patet. Nam quæcumque diſtinguuntur realiter, vel diſtinguuntur, ita vt vnum non includat aliud, neque e conuerſo, vt duo lapides, qualiter certum eſt totum non poſſe diſtingui à ſuis partibus, ſiquidem illas includit. Vel diſtinguuntur per id, quod vnum includat realiter aliquid quod alterum non includit, qualiter diximus totum à qualibet parte ſeorſum realiter diſtingui, quia includit aliquid, quod talis pars non includit. Ergo ſi totum non includit aliquam entitatem realiter diſtinctam ab entitate ſuarum partium, non diſtinguitur realiter ab illis ſimul ſumptis. Antecedens in quo eſt difficultas probatur. Primo. Quia materia et forma vnitæ, ma-

teria videlicet recipiens formam, et forma recepta in materia, ſine aliqua alia entitate ſuperaddita, conſtituunt totum et compoſitum ſubſtantiale phiſicum. Ergo illud nullam addit entitatem realiter diſtinctam à ſuis partibus ſimul ſumptis. Antecedens probatur. Quia tales partes ſic vnitæ, nulla alia ſuperaddita entitate, ſunt aliquid per ſe vnum ſubſtantiale, et non vnitate ſimplicitatis, cum ad id concurrat duplex entitas, entitas videlicet vtriuſque partis. Ergo vnitate compoſitionis ſubſtantialis. Ergo tales partes ſic vnitæ nulla alia ſuperaddita entitate, conſtituunt totum et compoſitum ſubſtantiale, ac perinde ſuperflua erit ad illud conſtituendum quælibet alia entitas à talibus partibus ſimul ſumptis realiter diſtincta.

8 Secundo probatur idem antecedens. Quia cum totum phiſicum phiſica eſſentiali definitione definitur, ſolum definitur per ſuam materiam et formam, et nullatenus in illius definitione ponitur illa entitas tertia, à tali materia et forma ſimul ſumptis realiter diſtincta. Ergo nullatenus ad illud conſtituendum talis tertia forma concurrit aut entitas. Patet conſequentia. Nam definitione phiſica eſſentiali quodlibet definitum debet definiri per ea quibus phiſice eſſentialiter componitur, ſicuti definitione eſſentiali metaphiſica quodlibet debet definiri per omnia quæ ad conſtitutionem eius eſſentiæ concurrunt. Ergo ſi quodlibet compoſitum

eſſentiale phiſicum ſolum definitur per ſuam materiām et formam, ſignum eſt, quod ſolum per tales partes phiſice conſtituitur, & nulla alia entitas realiter à prædictis partibus ſimul ſumptis diſtincta, illius phiſicam compoſitionem & conſtitutionem ingreditur.

9 Tertio probatur idem antecedens ratione inſinuata à D.Thoma in teſtimonio adducto ex 4.contra gentes, quia talis entitas ſuperaddita realiter à partibus alicuius totius eſſentialis phiſici diſtincta, nec poteſt eſſe accidentalis nec ſubſtantialis. Nulla ergo talis entitas poteſt dari. Antecedens quoad primam partem patet. Quia cum talis entitas detur ad conſtitutionem totius ſubſtantialis, non poteſt eſſe accidentalis. Quod vero non poſſit eſſe ſubſtantialis probatur. Quia adueniret enti conſtituto in actu, materiæ videlicet conſtitutæ in actu per formam ſubſtantialem, & non adueniret per modum ſubſiſtentię aut exiſtentiæ, quæ ſunt modi quidam ſubſtantialiter eſſendi. Ergo non poſſet eſſe forma aut entitas ſubſtantialis, quia quidquid aduenit enti conſtituto in actu, vel aduenit vt eius modus & complementum ſubſtantialiter eſſendi, vt ſubſiſtentia & exiſtentia, vel vt aliquid accidentale, & dans ſolum eſſe ſecundum quid; alias idem met compoſitum duplex haberet eſſe ſubſtantiale ſimpliciter.

10 Vltimo denique probatur antecedens.

dens. Nam ſi daretur talis entitas realiter à partibus ſimul ſumptis diſtincta, vel vnitur cum illis, vel non. Neutrum poteſt dici: ergo non poteſt dari talis entitas à partibus vnitis realiter diſtincta. Minor probatur. Quia in primis non poteſt dari talis entitas non vnita cum partibus: alias illa ſola conſtitueret totum, & illud non eſſet vnum vnitate compoſitionis, ſed vnitate ſimplicitatis; nec illius conſtitutionem aut compoſitionem ingrederentur tales partes. Quod autem talis entitas realiter à partibus diſtincta non poſſit eſſe cum illis vnita, probatur. Quia alias ex illa & ex illis reſultaret alia entitas realiter ab illis diſtincta: non enim eſt ratio quare ex materia & forma ſimul vnitis reſultet tertia entitas ab illis realiter diſtincta, & ex illa tertia entitate vnita materiæ & formæ non reſultet alia entitas, & cum hæc etiam præexiſtentibus debeat vniri, ex illa & ex illis reſultabit alia entitas, & ſic in infinitum: quod cum non debeat admitti. Dicendum eſt ex materia & forma vnitis nullam reſultare entitatem ab illis diſtinctam: ac perinde quod totum non diſtinguitur realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis.

11 Dico ſecundo. Totum diſtinguitur ratione à ſuis partibus ſimul ſumptis. Cõcluſionem videtur indicare D. Thomas, 1. part. q. 77. art. 1. dum ait non propriè prædicari totum de ſuis partibus ſimul ſumptis, quod vtique non eſſet, niſi inter

ter totum & partes interueniat ſaltem diſtinctio rationis. Ea autem diſtinctio eſt penes explicitum & implicitum, quia totum implicite dicit, quod explicite dicunt partes, ſicut & eadem ratione diſtinguitur ratione penes explicitum & implicitum definitum & definitio, & ob hanc diſtinctionem rationis (vt in ſolutionibus videbimus) aliqua verificantur de toto, quæ proprie non verificantur de partibus.

12 Aduerſus primam concluſionem obijcies aliqua teſtimonia Ariſtotelis, & Diu. Thomæ. Ariſtoteles enim 5. metaphiſicæ, text. 19. ait. *Quod bis tria non ſunt ſex*. Vnde videtur ſentire quod totum diſtinguitur realiter à ſuis partibus. Et 7. metaph. text. 60. videtur ſentire quod totum non eſt ſuæ partes, cum aſſerat *quod ſyllaba non eſt elementa*: id eſt, non eſt litteræ quibus conſtat. Et Diu. Thomas in 2. diſtinct. 2. in expoſitione litteræ explicans Magiſtrum aſſerentem nomine humanitatis intelligi animam & corpus, ait. *Non eſſe intelligendum humanitatem eſſe animam & corpus, quaſi propria dici poſſit, humanitas eſt anima & corpus*. Et ſuper eandem diſtinctionem, quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncula 1. ait. *Quod in Chriſto fuit corpus & anima, & vlterius forma totius reſultans.* Vbi præter corpus & animam quæ ſunt partes componentes hominem, aliam formam diſtinctam ab illis & ex illis reſultantem, in qua humanitas conſiſtat, vi-

de-

detur concedere ſanctus Doctor.

13 Reſpondetur cum noſtro authore in prædicta quæſtione 3. ſolutione ad 1. ſolum intendere Ariſtotelem, quod formaliter bis tria, & vt conſtituunt ſpeciem ternarij, non ſunt ſex. Quia vna ſpecies numeri formaliter non eſt pars alterius, ſed ſolum materialiter, quatenus claudit vnitates, ex quibus, quilibet numerus vt ex partibus componitur, & ita non bis tria, ſed ſex vnitates ſunt ſex. §. In ſecundo autem teſtimonio non dicit abſolute Philoſophus quod littera non eſt elementa, ſed quod non eſt elementa ſicut cumulus, quod vtique verum eſt, quia cumulus ſolum dicit partes ſimul in eodem loco, abſque aliquo tamen ordine: ſyllaba vero dicit elementa ſeu litteras ordinate ſe habentes. §. Et Diu. Thomas in primo adducto teſtimonio, ſolum intendit quod non omnino propriæ corpus & anima ſit humanitas, aut adinuicem omnino proprie prædicentur, ad quod ſufficit diſtinctio rationis inter totum & partes ſimul ſumptas, quam explicuimus concluſion. 2. non tamen negat S. Doctor prædicationem identicam, ſed potius illam concederet, ſicut illam concedit, 1. part. quæſtion. 77. articul. 1. inter totum integrale & eius partes ſimul ſumptas. §. In ſecundo autem teſtimonio loquebatur Angelicus Præceptor aduerſus quoſdam hæreticos, qui dicebant Chriſtum corpus & animam

ſior-

ſeorſum aſſumpſiſſe, non tamen ita quod anima informaſſet corpus. Et ideo ait ſecundum fidem quod non ſolum partes aſſumpſit, ſed partes coniunctas facientes humanitatem, ſicuti eſt in nobis; non autem intendit quod ipſa humanitas ſit forma conſequens realiter diſtincta à corpore & anima, cum oppoſitum duceat, c. 81. ex 4. contra gentes ſupra à nobis adducto.

14 Obijcies ſecundo, quod partes ſimul ſumptæ realiter cauſant totum illud componentes & conſtituentes. Ergo etiam ſimul ſumptæ realiter diſtinguuntur à toto. Conſequentia patet. Quia inter cauſam realem, & effectum neceſſario debet eſſe diſtinctio realis. Tum, quia debet eſſe dependentia realis, et nihil poteſt à ſemetipſo realiter dependere. Tum etiam, quia inter cauſam realem, & effectum reſultat relatio realis prædicamentalis: & hæc (vt in Logica cap. de relatione explicuimus) interuenire nequit niſi inter extrema realia realiter diſtincta. Antecedens autem probatur. Quia totum realiter dependet à ſuis partibus: ergo cum nihil realiter dependeat ab aliquo, niſi à quo in aliquo genere cauſalitatis realiter cauſatur, totum cauſatur realiter à ſuis partibus. Sed non cauſatur ab illis ſeorſum ſumptis (vt ſic enim nec conſtituunt, nec componunt totum) ergo cauſatur ab illis ſimul ſumptis: ac perinde partes ſimul ſumptæ vnitæ ſunt cauſa realis totius.

15 Ad

15 Ad hoc argumentum, quod præcipuum eſt in hac difficultate, triplex ſatis probabilis aſſignatur ſolutio, Prima, quod proprie partes non cauſant totum, ſed vna pars diſtincta realiter ab altera, comparte eſt cauſa illius, & è contra. Materia enim realiter in genere cauſæ materialis cauſat formam, illam recipiendo. & forma realiter ſuam exerceret cauſalitatem formalem erga materiam, illam actuando, & ex hac cauſalitate reali adinuicem inter materiam, & formam ſine aliqua alia cauſalitate ipſarum partium erga compoſitum, reſultat ipſum compoſitum, quod non eſt aliud, quam ipſæ partes ſimul ſumptæ, & vnitæ.

16 Secundo, & forſam melius reſpondetur, quod etiam ſi partes proprie cauſent ipſum totum, & compoſitum, quatenus illud componunt & conſtituunt;cum tamen ſint cauſæ intrinſicæ illius,illud cōſtituentes, non oportet, quod ab illo realiter diſtinguantur, qualiter realiter debediſtingui à ſuo effectu cauſa realis extrinſeca, quæ per emanationem illius extra ſe cauſat: cauſæ enim intrinſicæ cum cauſent per vnionem inter ſe, et communicationem ſui non debent ab illo, quod ſic cauſant, realiter diſtingui, ſed illud nihil aliud eſt, quam tales cauſæ inter ſe vnitæ, illud conſtituentes.

17 Tertio denique reſpondetur quod partes cauſant realiter totum:non quidem vt ſeorſum ſumpta et realiter ab inuicem ſe-

ſeparatæ: neque vt in facto eſſe vnitæ, & coniunctæ, quia vt ſic iam ſunt ipſum totum, ſed vt ſunt in ipſo vniri, & coniungi: quia ipſum vniri & coniungi partium eſt ipſum fieri totius. Et ita ac multum probabit argumentum, quod partes in vniri: & coniungi diſtinguuntur realiter ab ipſo toto, quod nihil aliud eſt, quam partes ſimul ſumptæ vnitæ, & coniunctæ.

18 Tertiò obijcies, quod homo diſtinguitur realiter à ſuis partibus etiam ſimul ſumptis. Ergo & quodlibet aliud totum. Antecedens probatur. Quia homo vere generatur, & vere per mortem corrumpitur, & deſinit eſſe. Sed eius partes non generantur, ſed vtraque per creationem producitur, & neutra per mortem corrumpitur, aut deſinit eſſe. Ergo homo diſtinguitur realiter à ſuis partibus.

19 Reſpondetur, quod ex eo, quod homo generetur, & per mortem corrumpatur, non ſequitur eſſe aliquid diſtinctum à ſuis partibus ſimul ſumptis, quia (vt dicebamus quæſtione præcedenti) nec generatio eſt ſemper productio alicuius nouæ entitatis, nec corruptio eſt deſitio alicuius entitatis, ſed ſaluatur ratio generationis in vnione præciſſe materiæ ad formam; & corruptio in ſeparatione materiæ a forma, licet per omnem generationem prȩter generationem hominis producatur forma, & per corruptionem deſinat eſſe forma.

20 Obijcies quarto, quod aliqua veri-

rificantur de toto, quæ non verificantur de partibus etiam ſimul ſumptis, & è contra aliqua vereficantur de partibus, quæ de toto non vereficantur. Dicitur enim quod homo operatur, non tamen dicitur, quod materia, & forma hominis operantur, & dicitur quod partes hominis, imò & partes humanitatis componunt ipſam humanitatem; non tamen dicitur, quod humanitas componit ſe ipſam: ergo totum diſtinguitur realiter à ſuis partibus, alias eadem verificarentur de illis ac de toto.

21 Reſpondetur, ad id ſufficere diſtinctionem rationis, quam inter totum, & eius partes concedimus. Sicut ob multum minorem diſtinctionem rationis aliqua verificantur de perſonis, & perſonalitatibus diuinis, quæ non verificantur de diuinitate. Verificatur enim, quod Pater communicat Filio ſuam naturam diuinam, & non ſuam paternitatem. Et verificatur, quod Pater generat; non autem quod eſſentia diuina generat.

QVÆSTIO XVIII.

Quid ſint termini magnitudinis, & paruitatis, & quæ certa in hac materia ſupponantur.

OCcaſione aliquorum, quæ de terminis magnitudinis, & paruitatis entis

tis naturalis aduerſus aliquos Philoſophus antiquos in hoc 1. libro aſſerit Ariſtoteles, noſter Auth. in hoc eodē primo libro quæſtion. 4. de eiſdem terminis magnitudinis, & paruitatis diſputat. Ad ea autem, quæ in ſequentibus quæſtionibus eius doctrinam explicantes ſumus dicturi, oportet prius in hac quæſtione terminos diſputationis explicare, & aliqua certa ſupponere.

2 Duplex igitur diſtinguitur terminus magnitudinis. Alter quidem intrinſecus; alter vero extrinſecus. Terminus magnitudinis intrinſecus, qui dicitur *maximum quod ſit*, ideſt maxima quantitas, & magnitudo, ad quam res aliqua poteſt peruenire, eſt *illa magnitudo ſub qua res aliqua conſeruari poteſt, & ſub maiori non poteſt*. Terminus extrinſecus magnitudinis, qui dicitur *minimum quod non*, ideſt minor quantitas ſub qua aliqua res conſeruari nequit eſt *illa quantitas, & magnitudo, ſub qua res aliqua non poteſt conſeruari & ſub quacunque minori* (dummodo non ſit minor minimo naturali) *poteſt conſeruari*.

3 Duplex etiam diſtinguitur terminus paruitatis. Alter videlicet intrinſecus, & alter extrinſecus. Terminus paruitatis intrinſecus, qui dicitur *minimum quod ſic*, ideſt, minor quantitas ſub qua aliqua res poteſt conſeruari, eſt illa quantitas, ſeu magnitudo ſub qua res poteſt conſeruari, & ſub quacunque minori non poteſt. Terminus vero extrinſecus paruitatis, qui dicitur

citur *maximum quod non* ideſt maior quantas, in qua aliquid non poteſt conſeruari eſt *quantitas illa ſeu magnitudo, in qua aliquid non poteſt conſeruari, & ſubquacunque maiori* (dummodò non ſit maior maxima) *conſeruari poteſt*.

4 Et eodem modo quo explicuimus terminos magnitudinis, & paruitatis rerum, explicari debent termini intenſionis, & remiſſionis accidentium, & termini ſpheræ alicuius potentiæ. Terminus enim intenſionis accidentium, qui eſt terminus magnitudinis illorum, alter eſt intrinſecus; ideſt illa intenſio ad quam accidens poteſt peruenire, & ad maiorem peruenire non poteſt: alter vero extrinſecus, ſcilicet illa intenſio ad quam accidens non poteſt peruenire, & ad quācumque minorem peruenire poteſt. Terminus vero remiſſionis accidentiū, qui eſt terminus paruitatis illorum, alter eſt intrinſecus ſcilicet ille gradus, ſeu intenſio, ſub qua accidens poteſt conſeruari, & ſub minori nō poteſt; alter vero extrinſecus, ſcilicet ille gradus, ſeu intenſio, ſub qua accidens non poteſt conſeruari, & ſub maiori poteſt. Similiter in ſphera cuiuslibet potentiæ, v.g. potentiæ viſiuæ, alter eſt terminus magnitudinis intrinſecus: ſcilicet illa diſtantia, ad quam talis potentia poteſt extendi, & ad maiorem non poteſt, alter vero eſt terminus magnitudinis extrinſecus, ſcilicet illa diſtantia ad quam talis potentia extendi non poteſt, & ad quacumque mi-

minorem poteſt. Et duplex etiam ad terminus paruitatis, alter intrinſecus illa videlicet diſtantia ad quam, talis potentia extendi poteſt, & ad minorem non poteſt, & alter extrinſecus, illa videlicet diſtantia, ad quam talis potentia extendi non poteſt, & ad maiorem poteſt.

5 Quia ad aſſignandos terminos magnitudinis, & paruitatis cuiuſcumque rei, neceſſe eſt aliqualiter etiam agnoſcere terminos inceptionis, & deſitionis rerum, aliqualiter oportet, nunc tradere illorum notitiam; quamuis plenius de illis in 6. lib. Phiſicorum ſit agendum. Dupiiciter ergo res aliqua incipere poteſt, intrinſice videlicet ſeu per primum ſui eſſe, & extrinſice ſeu per vltimum ſui non eſſe. Incipit aliquid intrinſice, & per primum ſui eſſe, quando eſt verum dicere de illo, nunc eſt, & immediate ante hac non erat. Incipit vero aliquid extrinſice, & per vltimum ſui non eſſe, cum verificatur de illo, quod nunc non eſt, & immediate poſt hoc erit. Dupliciter etiam res aliqua deſinere, poteſt intrinſice videlicet, ſeu per vltimum ſui eſſe, & extrinſice, ſeu per primum ſui non eſſe. Definit aliquid intrinſice, ſeu per vltimum ſui eſſe, cum de illo verificatur, nũc eſt, & immediatè poſt hoc non erit. Definit vero aliquid extrinſece, ſeu per primum ſui non eſſe, cum de illo verificatur, nunc non eſt, & immediate ante hoc fuit.

6 His ergo ſuppoſitis circa terminum ma-

magnitudinis, & paruitatis ſecundum ſe, vt certa ab in certis in hac materia ſeparemus, ſupponendum eſt primo, quod loquendo de facto intra latitudinem entis naturalis prout compræhendit corruptibilia, & incorruptibilia, datur maximum, & minimum corpus; maximum quidem cœlum ſupræmum, quod ſuo ambitu cætera compræhendit corpora; minimum etiam ſaltem negatiue, ideſt corpus, quo non ſit aliud minimum, certum eſt dari licet quod ſit illud non ſciamus. Immo in qualibet ſpecie entis naturalis de facto datur maximum, & minimum, v. g. in ſpecie hominis datur maximus homo, vel poſitiue, ideſt qui in quantitate, et magnitudine omnes alios ſuperet homines, vel negatiue, ideſt qui in quantitate, et magnitudine a nullo alio homine ſuperetur. Et ſimiliter minimus homo eadem ratione, vel poſitiue, id eſt quem omnes alij homines excedant in magnitudine, vel negatiue, ideſt, qui nullum alterum hominem in magnitudine excedat,

7 Secundo eſt ſupponendum, quod nullum corpus naturale habet ita determinatum terminum magnitudinis, aut paruitatis, quin de potentia Dei abſoluta poſſit fieri maius aut minus: ita vt de potentia Dei abſoluta poſſit fieri homo in magnitudine montis, et in paruitate formicæ: licet enim in ea magnitudine, aut paruitate non poſſet exercere omnes operationes homini connaturales, poſſet

ta-

tamen exercere operationes, ſibi eſſentiales, vt intelligere, et velle, et ſaluabitur eſſentia hominis.

8 Difficultas ergo circa terminum magnitudinis, et paruitatis rerum naturalium ſolum procedit de terminis magnitudinis, et paruitatis, quos naturaliter tranſgredi nequeant, et vltra quos naturaliter non poſſint conſeruari. Et quidem ſi loquamur de corporibus cœleſtibus, et alijs incorruptilibus, cum naturaliter augeri nequeāt, aut minui, terminos, quos de facto ſuæ magnitudinis, & paruitatis habent, naturaliter tranſgredi nequeunt. Vnde ſolū difficultas erit de entibus corruptibilibus, quæ naturaliter augeri poſſunt, aut minui, an videlicet ita præfixum, et determinatum habeant terminum magnitudinis, aut paruitatis, vt naturaliter illum tranſgredi nequeant. Et quia huiuſmodi entia alia ſunt ſubſtantia alia accidentia, alia viuentia, alia non viuentia, ſeorſum de illis maioris diſtinctionis cauſa, in ſequentibus eſt agendum.

QVÆSTIO XIX.

Vtrum viuentia habeant terminum intrinſecum ſuæ magnitudinis.

EX dictis q. præcedenti clare conſtat ſenſus tituli huius quæſtionis, an videlicet viuentia talem ſibi vendicent termi-

minum magnitudinis vt in maiori magnitudine naturaliter nõ poſſint conſeruari. Partem negatiuam tenet Paulus venetus in expoſitione 4. capitis huius primi libri phyſicorum, nullum viuentibus terminum magnitudinis intrinſecum, ſed tãtum extrinſecum concedens.

2 Dicendum tamen eſt cum noſtro Authore in præſenti q. 4. & cum communi ſententia omnia viuentia intrinſice verſus magnitudinem terminari, ita vt in qualibet ſpecie viuentium ſit aliqua determinata magnitudo, ad quam poſſint peruenire, & quam naturaliter ex cedere nequeant. Concluſio colligitur ex Ariſtotele 4. lib. de generatione animalium, cap. 4. vbi ſic ait. *Perficiendi cuiuſcumque animalis certa eſt magnitudo, tum ad maius, tum ad minus, quem terminum non ſupergrediuntur, vt vel maiora vel maiora euadant, ſed in medio magnitudinis ſpacio exceſſum, defectum vel inter ſe capiunt*. Idem etiam expræſe docet in hoc 1. lib. c.4. tex. 36, his verbis. *Si autem impoſſibile eſt animal, aut platã quantacumq; eſſe ſecundũ magnitudinẽ, & paruitatem manifeſtum eſt, quod neque partium quantumlibet; erit enim & eorum ſimiliter; caro autem & os, & huiuſcemodi partes sunt animales, & fructus plantarum. Manifeſtum eſt igitur, quod impoſſibile eſt carnem aut os, aut aliquid aliud quantumcumque magnitudine, aut in maius, aut in minus.* Secundo etiam lib. de anima tex. 41. ſic dicit. *Naturæ autẽ conſtatũ omnium*

terminus eſt , & ratio magnitudinis, & augmenti : hac autem animæ ſunt & rationis magis quam materiæ. Eſt etiam concluſion. expraſſa D. Thomas, 2. de anima lect. 8. circa fin. his verbis. *Manifeſtum eſt autē, quod in omnibus , quæ ſunt ſecundum naturam, eſt certus terminus , & determinata ratio magnitudinis & augmenti. Sicut enim cuilibet ſpeciei debētur aliqua accidentia propria ita & propria quantitas, licet cum aliqua latitudine propter diuerſitatem materiæ , & alias cauſas indiuiduales : non enim omnes homines ſunt eiuſdem quantitatis . Sed tamen eſt aliqua quantitas tam magna, vltra quam ſpecies humana non porrigitur & alia quantitas tam parua , vltra quam homo non inuenitur.* Hæc D. Thom.

3 Probatur autem primo concluſio quia omnia viuentia conſtant partibus organanicis , quæ vt ſuas exerceant operationes, exigunt determinatam magnitudinem, & quantitatē, vltra quā illas exercere non valent. Ergo habent terminū intrinſecū ſuæ magnitudinis, quē naturaliter excedere nequeunt. Antecedens experiētia cōſtat, quia in intelligibile eſt hominē, v.g. exxercere poſſe plures ſuas operationes in quauis magnitudine: ac perinde ſignum eſt ad tales operationes magnitudinē exigere determinatam, vltra quam illas exercere non valeat.

4 Secundo probatur cōcluſio, quia augmentū cuiuslibet viuentis fit per virtutem augmentatiuā illi intrinſecā ab eius forma pro-

procedentē.Sed forma cuiuſcūq; viuentis eſt determinata.Ergo & virtus ab illa procedēs:acperinde augmentū,quod ſit media tali virtute, ita debet eſſe determinatū, vt cum ad illius terminum viuens peruenerit, illum naturaliter excedere nequeat.

§ Tertio probatur concluſio.Ratione D.Thomæ 1.par. q.7.art.3. quam licet ad probandum non dari infinitum in actu ſecundum magnitudinem S. Doctor adducat, applicata tamen ad corpora viuentia, probat, illa habere terminum intrinſecum ſuæ magnitudinis, quia viuentia habent formam determinatam. Sed ad formam determinatam ſequuntur accidentia determinata. Ergo viuentia habent accidentia determinata,& cum vnum illorum ſit quātitas, viuentia habent quantitatem determinatam: Talis autem quantitatis determinatio non poteſt eſſe ſecundum ſpeciē, cum quantitas in omnibus corporibus eiuſdem ſit ſpeciei. Ergo ad ſpecialem, formam, & ſpecialiter determinatam, debet ſequi quantitas ſecundum extenſionem determinata, ac perinde quantitas faciens talem magnitudinem, quę maior naturaliter eſſe nequeat.

§ Aduerſus rationem iſtam obijcies, quia ſi hæc ratio aliquid probaret, probaret etiam, quod non viuentia habent terminum intriſecum ſuæ magnitudinis. Oppoſitum autem quæſtioni ſequenti defendemus. Ergo neque in probat de viuentibus. Maior probatur, quia ſicut viuen-

uentia,ita & non viuentia habent formam determinatam ſpecifice: ignis enim ſicut diuerſæ ſpeciei eſt ab aqua, & ab homine: ita etiam diſtinctam ab illis, & determinatam habet ſpecifice formam; & ſicut quodlibet indiuiduum viuens habet formam non ſolum ſpecifice, ſed & indiuidualiter determinatam: ita etiam & quodlibet indiuiduum non viuentium. Ergo cum eodem prorſus modo non viuentia, ac viuentia habeant formam determinatam: ſicut ex determinata forma non viuentium non ſequitur determinata magnitudo, ita nec ex determinata forma viuentium.

7 Ad hoc argumentum, quod eſt difficile, repondent aliqui ex diuerſo modo augmenti viuentium, & non viuentium, quia viuentia augentur per intus ſumptionem,& nō cum noua parte materiæ aduenit noua pars formæ, ſed præexiſtens informat nouam illam materiam, non viuentia autem augentur per iuxta appoſitionem, & cum noua parre materia aduenit noua pars formæ, & ita ſicut cum nouo combuſtibili comburenti aduenit igni noua pars formæ, ita etiam aduenit noua virtus ad comburendum, & quanto maior ſit ignis, poteſt fieri maior, & maior, nullumque habet terminum intrinſecum ſuæ magnitudinis.

8 Et ſi contra hoc inſtetur, quod etiam in viuētibus imperfectis, vt in lacertis,quarum forma iuxta probabiliorē ſen-

ten-

tentiam, eſt diuiſibilis, & extenſa, cum noua pars materiæ aduenit noua pars formæ: ac perinde videtur, quod eadem ratione, ſicut & non viuentia etiam talia viuentia imperfecta non habeant terminum intrinſecum ſuæ magnitudinis. Reſpondent, quod cum omnia viuentia etiam imperfecta ſint, eterogenea, & habebant partes diuerſæ rationis, non indifferenter in qualibet eorum parte reſidet illorum virtus augmentatiua, ſed in determinata parte, vt in animalibus in ſthomaco, & in arboribus, & plantis in radice. Et ita quãuis in aliquibus viuentibus imperfectis, cum noua parte materiæ adueniat noua pars formæ, non aduenit noua virtus, aut noua pars virtutis ſed à principio ſequitur in illis virtus determinata, & commenſurata eorum formæ determinatæ, ac perinde & ad determinatum augmentum ordinata. Non viuentia autem præterquã quod proprie non habent virtutem augmentatiuam, quia non augentur per intus ſumptionem, ſed per iuxta appoſitionem: ſi quæ tamen virtus augmentatiua in illis reperitur, vt in igne calor, qui eſt virtus actiua ad comburendum, poteſt dici virtus augmentatiua ignis, quatenus illa per combuſtionem aliorum, & vnionem cum illis augetur: tamen cum talia non viuentia ſint homo genea & habeant partes eiuſ. dẽ rationis indifferenter in omnibus partibus habent ſuam virtutem augmentatiuam, ac per conſequens, cum noua parte

formæ aduenit etiã noua pars virtutis, & quanto magis augentur, habent maiorem virtutem, vt magis ac magis augeantur.

9 Hæc quidem ſatis probabiliter dicuntur, & certe in illis fundatur differentia inter viuentia, & non viuentia quantum ad terminum eorum magnitudinis. Sed adhuc non ſatis explicatur, quomodo cum non viuentia habeant formam ſpecifice determinatam, & ſi accipiãtur indiuidualiter, habeant formam indiuidualiter determinatam; non ſequitur ad talẽ eorum determinatam formam magnitudo determinata, & illa ſequitur ad determinatam formam viuentium.

10 Vt huic igitur ſatisfaciamus, reſpondeo primo, quod propter modum explicatum augmenti, quod fit in viuentibus, viuens cum augetur, non mutatur indiuidualiter ſed eandẽ formam retinet indiuidualem. Vnde cum illa ſit non ſolum ſpecificè, ſed & indiuidualiter determinatam, virtus augmentatiua, & omnia alia accidentia, quæ ad talem formam ſequuntur, ſunt determinata, & habent determinatum terminum, quem naturaliter excedere nequeunt. Cum autem augetur aliquod non viuens, v. g. ignis vel aqua, cum augeatur (vt augetur aqua) vel per continuationem cum noua parte aquæ, vel per combuſtionem noui combuſtibilis, & continuationem illius cũ præexiſtenti (vt augetur ignis) per tale augmentum fit nouum & diſtinctum indiuiduum à præ-

exi-

exiſtenti; & ita quamuis præexiſtens indiuiduum haberet ſuam formam indiuidualiter determinatam, quia per augmẽtum mutatur forma indiuidualiter, nunquam datur aliqua determinata indiuidua forma, quæ per augmentum non poſſit deperdi, & in aliam formam maiorem & maiorem mutari, & ita non datur determinata forma, cui totũ augmentum non viuentis commenſuretur, ſed ſemper quod fit nouum augmentum, fit nouum indiuiduum & aduenit noua indiuidualis forma, cui tale augmentum commenſuratur. Vnde cum ignis generat alium ignem non continuando ſibi illum, perſeuerat diſtinctus realiter ignis generans, & genitus, cũ vero generat alium ignem, illum ſibi cõtinuando, deperditur indiuiduum ignis præexiſtens, & ex toto illo igne fit nouum indiuiduum ignis, & ſi poſtea ſeparentur & diſcontinuentur, deperditur illud indiuiduum ignis, quod factum fuerat per continuationem, & fiunt duo indiuidua. Sicut ſi duæ gutæ aquæ diſcontinuatæ, quarũ quælibet eſt diſtinctum indiuidum aquæ, ſi continuẽtur deſinunt eſſe illa duo indiuidua aquæ, & fit vnum indiuiduum, & ſi poſtea diſcontinuentur, deſinit eſſe illud indiuiduum, quod factum erat per continuationem, & fiunt duo indiuidua.

11 Aliter etiam, & facilius reſpondetur ad principale argumentum, quod illa propoſitio, in qua fundatur ratio no-

ſtræ concluſionis, videlicet quod ad formam determinatam ſequuntur accidentia determinata, intelligitur de accidentibus, quæ alicui competunt conſecuta ad illius formã: non vero de accidentibus, quæ nullatenus ad illius formam conſecuta alias illi conueniunt. (Hæc enim non eſt cur illius formæ commenſurentur) virtus autem augmentatiua, & omnis quantitas, & magnitudo, quæ viuenti via generationis, & via conſeruationis competunt, ſequitur ad illius, formam, & conſequenter determinationi formæ debet indeterminatione commenſurari. Augmentum autem, & maior magnitudo non viuentis non ſequitur ad illius formam, ſed ex eo quod cum illo continuetur aliud corpus eiuſdem rationis, vt aqua fit maior per id, quod cõtinuatur cum illa alia portio aquæ, & ignis per id quod cõtinuatur cũ illo alias ignis. Et ita tale augmentum, et maior magnitudo non viuentium non commenſuratur illorum formæ; nec habent aliquem terminum ſuæ magnitudinis citra infinitũ. Nec huic obſtat, quod ignis videtur augeri cũburendo alia per virtutem combuſtiuam, quæ eſt calor ſibi intrinſecus, Quia licet vt ignis augeatur, et fiat maior, aliquando præcedat comburere materiam ſi ſibi applicatam, et talis combuſtio ab illius forma procedat, re vera eius augmentum nõ conſiſtit in combuſtione, ſed in eo quod nouus ignis ſiue ab illo per combuſtionem genitus, ſiue ab alio productus, cum ipſo

igne

igne præexiſtere continuetur.

12 Aduerſus concluſionem autem obijcies primo, quod ſi poſtquam aliquod viuens, v.g. homo perueniſſet ad terminum, quem dicimus habere intrinſecum ſuæ maguitudinis, adhibito ſibi alimento facilis decoctionis illud conuerteret in ſui ſubſtantiam, & augebitur, & creſcet. Ergo re vera terminus augmenti, quem prius habebat, non erat intrinſecus terminus ſuæ magnitudinis, & quem naturaliter excedere non poſſet.

13 Reſpondetur, quod cum ad talem ſtatum perueniret animal, ita diſpoſita erit eius virtus augmentatiua cõtinua reactione, quod tantum vel plus deperdat, quã conuerterit de alimento. Immo experientia nobis conſtat in omnibus hominibus, & alijs animalibus, quod poſtquam peruenirent ad ſuum augmentum, ad quod homines communiter vigeſimo tertio ſuæ ætatis anno perueniunt, poſtea licet per continuam conuerſionem alimenti in ſuam ſubſtantiam nutriantur: non tamen augentur, quod fieri nequiret niſi per eandem actionem nutritionis eorum virtus nutritiua deperderetur. Et hæc experientia eſt maximum argumentum noſtræ ſententiæ: & termini magnitudinis augmenti viuentium, ſiquidem experimur animalia, poſt quam ad talem terminum augmenti peruenerint, deinceps non creſcere. Ignis autem per combuſtionem noui combuſtibilis augetur, vel (vt prius

prius loquar) fit nouum indiuiduum maius,quia tantum abeſt,quod per talē combuſtionem eius virtus combuſtiua diminuatur, quod potius augetur., quia cum noua parte materiæ aduenit ei noua pars formæ, & noua pars virtutis.

14 Obijcies ſecundo, quod dato v. g. homine, qui peruenerit ad eum,quem dicimus eſſe terminum intrinſecum ſuæ magnitudinis, adhuc talis homo naturaliter poteſt fieri maior. Ergo re vera talis eius præexiſtens magnitudo non erat terminus intrinſecus, quem naturaliter excedere non poſſet. Antecedens probatur. Nam ſi talis homo poneretur in loco humido, percuteretur pugno in maxilla, vel illum morderet veſpa, re vera ex talibus cauſis extrinſecis inflaretur, & tumeſceret: ac perinde fieret maior, ſiquidem ſic inflatus maiore occuparet locum. Et tamen non ſimul ac inflaretur interiret, & deſineret eſſe. Ergo abſque ſui interitu excederet terminum magnitudinis quem ante inflationem habebat. Minor probatur. Quia ſi talis homo ſimul, atque tumeſceret interiret, deſineret eſſe per *vltimum ſui eſſe*, qualis modus deſinendi (vt lib.6. Phiſicorum videbimus) ſubſtantijs corruptibilibus, & quæ deſinunt ad generationem aliorum, competere nequit Sequela probatur. Nam tumor,cū incipiat per motum; incipit per *vltimum ſui non eſſe*, & eſt verum dicere,nunc non eſt tumor,& immediate poſt hoc erit tumor. Ergo ſi ta-

lis

lis homo ſimul atque tumeſceret, interiret, in eodem inſtanti, in quo eſſet verum dicere, nunc non eſt tumor, eſſet verum dicere, nunc non eſt homo, & immediate poſt hoc non erit homo, quod eſſet illum deſinere per vltimum ſui eſſe.

15 Nec valet dicere cum aliquibus, quod quia in tali caſu homo per tumorem non acquireret nouam aliquam quantitatem (tumefactio enim cum ſit alteratio, non ad quantitatem, ſed ad qualitatem terminatur) non excedit terminum, quem habebat ſui augmenti, quia hunc non excedit, niſi nouam aquirendo quantitatem.

16 Non, inquam, id valet, quia licet tumefactio, vtpote alteratio immediate terminetur ad qualitatem: mediate etiam, & ſecundario terminatur ad maiorem extenſionẽ quantitatis in ordine ad locum. Et cum magnitudo cuiuſcumque corporis conſiſtat in extenſione illius quãtitatis in ordine ad locum, ſi per tumefactionem, etiam ſi non acquiratur noua quantitas, talis corporis præexiſtens tamen magis extenditur in ordine ad locum, re vera tale corpus fit maius, ac tranſgreditur terminum magnitudinis, quem ante tumefactionem habebat.

17 Relicta ergo hac ſolutione reſpõdetur ad argumentum cum noſtro Authore, & alijs communiter; quod licet viuentia via generationis, & debitæ couerſationis. & per augmentum, quo habent ab

intrinſeco per ſuam virtutem augmentatiuam, habeant intrinſecum terminum ſuæ magnitudinis, quem via generationis & debitæ conſeruationis naturaliter non poſſint excedere; poſſunt tamen illũ tranſgredi, & fieri maiora per cauſam extrinſecam; vt in caſu poſito: quæ talis cauſa talia viuentia faciens excedere terminum debitum ſuæ conſeruationis, diſponit ad illorum corruptionem. Et ita viuentia via corruptionis non habent terminum intrinſecum ſuæ magnitudininis, ſed ſolum extrinſecum ad quem peruenire non poſſunt, quia priuſquam ad illum perueniant, interibunt. Nec hoc obſtat rationi concluſionis, quia hæc maior magnitudo, non non prouenit ab ipſa forma viuentis, ſed à cauſa extrinſeca.

18 Ne autem hæc repetere teneamur, eodem etiam modo nulla ſubſtantia corruptibilis via corruptionis, terminum intrinſecum, ſed ſolum extrinſecum ſuæ paruitatis habet. Quia data qualibet ſubſtantia corruptibilis in termino intrinſeco paruitatis, quem via generationis, & debitæ conſeruationis habet illa poteſt per agens extrinſecum condenſari, & per talem cõdenſationem tendere in ſui corruptionem & ſic fiet minor, ſiquidem occupabit minorem locum. Et tamen non ſimul ac condenſabitur, interibit & deſinet eſſe, cũ condẽſatio quæ fit per motum, incipiat per vltimum ſui non eſſe. Ergo nulla ſubſtantia corruptibilis habet via cor-

rup-

ruptionis terminum intriſecum ſuæ paruitatis.

QVAESTIO XX.

Vtrùm non viuentia corruptibilia habeant terminum intrinſecum ſuæ magnitudinis.

NOn viuentia corruptibilia alia ſunt elementa, vt ignis, aer, & aqua. Alia vero mixta, vt lapis, ferrum, & aurum. Et quia eodem modo omnia iſta creſcunt, & augentur, ſcilicet per iuxta appoſitionem, & continuationem vnius cum altero (licet aliqui minus probabiliter exiſtiment mixta, vt lapidem, aurum, & ferrum ad modum vegetabilium per conuerſionem alterius corporis in ſuam ſubſtantiam augeri) eodem modo determino magnitudinis omnium illorum eſt loquendum: ac perinde quod de elementis dixerimus, de prædictis etiam mixtis proportionabiliter eſt dicendum.

2 De omnibus autem his; quantum ad terminum magnitudinis illorum poſſumus loqui, vel connaturaliter, & ſuppoſito ordine totius vniuerſi, vel ſecundum naturas eorum particulares. Et quidem certum eſt, quod ſuppoſito ordine vniuerſi, niſi ille peruertatur, omnia prædicta corpora habent terminum magni-

gnitudinis, quem excedere non valent. Vt enim aſſerit noſter Author in præſenti, quæſtion. 4. Ignis, verbi gratia, non poteſt ità creſcere, vt concauum lunæ trãſcendat, nec aer poteſt eſſe maior, quam qui continetur ſub orbe ignis: & ſic de alijs corporibus, quæ cum omnia ſuum ordinem, & poſitionem habeant in vniuerſo, attento tali ordine, & poſitione, non poſſunt vltra creſcere. Difficultas ergo ſolum eſt de termino magnitudinis horum corporum ſecundum ſe, & ſecundum ſuas naturas particulares: vt ſi ſolum ad naturam ignis attendamus, & ſi ille poneretur extra omnes orbes (& idem dicimus de aqua, & de alijs prædictis corporibus) habeat aliquem terminum ſuæ magnitudinis, an vero nullum habeat terminum, ſed ſi applicentur ei ſemper combuſtibilia, poſſit creſcere, & fieri maior, & maior citra infinitum.

3 Dicendum eſt, cum noſtro Authore loco citato concluſione quinta, & alijs pluribus communiter, ignem & cætera elementa, & corpora non viuentia corruptibilia ſecundum ſuas particulares naturas nullum habere terminum extrinſecum, vel intrinſecum citra infinitum in actu. Ita expræſſe deducitur ex Ariſtotele 2. de anima, text. 41. dicente. *Ignis quidem accretio infinitum progreditur, & eo vſque fit quo vſque ſit combuſtibile.* Et quidem id aſſerit Ariſtoteles, vt refutet ibi opinionem aliquorum aſſerentium quod augmenti vi-

uen-

uentis cauſa totalis eſt ignis, id refutans, quia cum ignis non habeat aliquem terminum ſui augmenti, non poteſt eſſe cauſa determinati augmenti viuentis. Quod & explicans Diuus Thomas ibi lection. 8. ad finem, vt probet ignem non eſſe cauſam totalem determinati augmenti viuentis, ſubdit. *Manifeſtum eſt enim, quod ignis augmentum non eſt vſque ad determinatam quantitatem; ſed in infinitum extenditur, ſi in infinitum materia combuſtilis inueniatur.*

4 Duplici autem ratione efficaci probatur concluſio. Prima, quia dato igne quantumlibet magno, poterit naturaliter ei applicari ſtupa, vel alia materia optime ad combuſtionem diſpoſita, & certum eſt, quod illam comburet, ſibi vniet, & ſecum illam continuabit. Sed ex tali continuatione fiet ignis maior. Ergo nullus poteſt dari ignis, quo naturaliter non poſſit fieri maior, & maior citra infinitum in actu, ad quod quantumcunque creſcat, numquam perueniet.

5 **Huic efficaciſſimæ probationi, quæ & experientia, & ratione innititur naturali, plures aliqui adhibent ſolutiones. Prima, quod ad talem terminum peruenire poteſt ignis, quod ſtupam quantumuis ſibi applicatam non comburat, ne fiat contra eius naturam; ſicuti ad ſeruandam naturam, & ne detur vacuum aqua in clepſydra exiſtens per illius foramina non deſcendit.**

6 Se-

6 Secunda, quod etiamſi in tali caſu ignis comburat ſtupam; illam tamen ſibi non vniet, nec ſecum continuabit, ſed manebit ignis de nouo productus, diſtinctus & diuiſus realiter à præexiſtenti; & ſic per id non fiet maior ignis ex vtroque.

7 Tertia, quod etiam ſi in tali caſu ignis comburat ſtupã, & illam ſibi vniat, ſecumque continuet; deperdetur tamen tantum ignis præexiſtentis, quantum ei per talem continuationem noui ignis accreſcit, & ſic non erit maior ac antea.

8 Quarta, quod quamuis in eo caſu ignis comburat ſtupam, & eam ſibi vniat, & aliquid de igne præexiſtenti non amittat; tamen ipſe ignis præexiſtens in tantum condenſabitur, quod etiam cum noua parte ignis, quæ illi de nouo accreſcit, non ſit maior ac antea.

9 Sed omnes iſtæ ſolutiones inſufficientes ſunt, & omnino voluntariæ; imò & naturis rerum, ipſique experientiæ contrariæ. Et prima quidem deficit, quia ignis quanto maior fuerit maiorem virtutem habet ad comburendum. Ergo ſi ignis minor ſtupam ſibi debite applicatam combureret, multo melius ignis maior. Et dicere, quod de facto non comburet ad ſeruandum ordinem naturæ, ſi ſit ſermo de ordine vniuerſi, & ne ignis comburendo nouam materiam, excedat ordinem, & locum ſibi in vniuerſo præfixum, verum eſt, & nos id in præſuppoſito huius difficultatis conceſſimus. Si vero intendatur,

tur, quod ignis tunc non comburet, ad ſeruandam ſuam ſpecialem naturam, hoc dicimus eſſe falſum, quia ſpecialis natura ignis nullum exigit terminum ſuæ magnitudinis, quem ſecundum ſuam ſpecialem naturam excedere nequeat.

10 Secunda etiam ſolutio defficit. Tum, quia eandem virtutem, quam habet ignis ad comburendum aliquam materiam ſibi approximatam, habet etiam ad vniendam illam ſibi, ſecunque continuandam. Ergo ſicut ignis minor eadem virtute qua comburit materiam ſibi approximatam; illam ſibi vnit ſecunque continuat, etiam ignis ille magnus eadem virtute, qua comburit ſtupam, illam ſibi vniet, ſecunque continuabit. Tum etiam, quia duo corpora homogenea fluida, vt aqua, aut rara, vt ignis, eo ipſo quod approximentur, inter ſe continuantur, & per continuationem ex duobus illis indiuiduis fit vnum indiuiduum aquæ, vel ignis. Ergo data aqua quantumuis magna, vel igne quantumuis magno, ſi illi approximetur alia pars aquæ vel ignis, continuabitur cum præexiſtenti, & fiet per continuationem nouum diſtinctum indiuiduum, & maius quam quodlibet eorum, quæ continuantur.

11 Tertia etiam defficit, quia per id, quod ignis comburat ſtupam, & illam ſibi vniat, nullum eſt agens corrumpens aliquàm partem ignis præexiſtentis, ſed potius quanto maior per continuationem,

cum noua parte magis conſeruatur: magis enim conſeruatur ignis & omnes illius partes, quanto maior fuerit ignis.

12 Quarta denique ſolutio deficit. Tum, quia per id quod ignis comburat ſtupam, & illam ſibi vniat, nulla aduenit cauſa condenſans ignem, ſicut alius minor ignis ſi combureret aliquid, & aliud ſibi vniret, non perinde condenſaretur. Tum etiam, quia demus, quod ignis ille maximus perueuerit iam ad ſummam condenſationem, quam poteſt habere, tunc ſi ſic condenſato applicetur ſtupa illam comburet, & ſibi illam vniet, abſque eo quod ille magis condenſetur: ac perinde fiet maior, quam erat antea.

13 Secundo principaliter probatur concluſio ex differentia appoſita quæſtione præcedenti inter viuentia, & non viuentia, quod viuentia augentur ab intrinſeco, & per virtutem ſibi intrinſecam ad eorum formam conſecutam, & ideò ſicut eorum forma eſt determinata, ita & illorum virtus augmentatiua, magnitudo, & augmentum. Ignis autem, & reliqua non viuentia non proprie augentur, ſed creſcunt, & fiunt maiora per iuxta appoſitionem, & per continuationem cum aliis corporibus eiuſdem rationis cum illis, vt ignis cum nouo igne, & aqua cum noua parte aquæ, & ideò non ſolum non habent terminum intrinſecum magnitudinis, ſed niſi obſtaret ordo, & diſpoſitio vniuerſi, & ſolum attenta natura illorum, poſ-

poſſent illis plura, & plura corpora eiuſdem rationis vniri: vnde & poſſent maiora, & maiora fieri, & nullum citra infinitum in actu haberent terminum intrinſecum ſuæ magnitudinis.

14 Ex dictis in præſenti, & quæſtione præcedenti patet ad præcipuum argumentum, quod ex paritate non viuentium ad viuentia poteſt fieri, in eo quod ſicut hæc, & illa habent formam determinatam, ac perinde ęquæ videntur debere habere augmentum determinatum. Et ſolum concluſioni, obſtat authoritas Ariſtotelis, qui vniuerſaliter tam in hoc primo libro Phiſicorum text. 36. quam 2. de anima text. 41. videtur aſſerere, quod omnium natura conſtantium eſt certus terminus augmenti, & decrementi. Perperam igitur aduerſus Philoſophum negatur certus terminus eorum augmenti.

15 Reſpondetur dupliciter cum noſtro Authore. Primo, quod Ariſtoteles in 2. de anima per natura conſtantia expreſſe intellexit ſolum viuentia, quando quidem ignem non connumerauit inter natura conſtantia, ſed potius diſtinguit, & excepit ab illis. Et in hoc libro idem videtur ſentire, quia exemplum nunquam poſſuit niſi in carne, & reliquis partibus animalium. §. Secundo reſpondetur, quod quamuis de omnibus natura conſtantibus vniuerſaliter loquatur Ariſtoteles, intelligit tamen ſeruato ordine vniuerſi; vt in principio huius difficultatis ſuppoſuimus;

non

non autem attenta ſolum natura particu. lari non viuentium, qualiter de illis non loquimur.

QVÆSTIO XXI.

Vtrùm corpora corruptibilia viuentia, & non viuentia via generationis, & debita conſeruationis habeant terminum intrinſecum paruitatis.

SOlum inquirimus, de termino paruitatis vida generationis, & debitæ conſeruationis prędictorum corporum viuentium, & non viuentium, quia vt in fine quæſtion. 19. oſtendimus, illa via corruptionis non habent terminum intrinſecum paruitatis. Etſi aliquod illorum in termino intrinſeco paruitatis exiſtens per agens extrinſecum condenſetur, fiet minus, ſiquidem minorem occupabit locum: & tamen non ſimul ac incipiat condenſari, interibit & deſinet eſſe (aliàs deſineret eſſe per vltimum ſui eſſe, quod ſubſtantijs corruptibilibus non competit.) Quæſtio igitur ſolum eſt de termino paruitatis via generationis, & debitæ conſeruationis corporum corruptibilium viuentium, & non viuentium.

2 In hac difficultate aliqui ſolum aſſignant tam viuentibus, quam non videntibus

bus terminum extrinſecum paruitatis. Alij autem cum Scoto in 2 diſt.2. quæſt.9. viuentibus concedunt terminum extrinſecum, imò forſan intrinſecum paruitatis, non viuentibus autem nullum terminum paruitatis citra indiuiſibile concedunt, aſſerentes quod non viuentia, quia ſunt homogenea in qualibet parte quantumuis minima poſſunt generari, & conſeruari. Alij denique aſſerunt quod tam viuentia, quam non viuentia habent terminum intrinſecum paruitatis, citra quem nec generari, nec debite conſeruari poſſunt.

3 Dicendum eſt cum noſtro Authore in præſenti, quæſt.4. art.3. hanc vltimam ſententiam eſſe veram, & Ariſtoteli, & D.Thomæ conformem. Ariſtoteles enim in hoc libro text.38. poſtquam id explicuerat, concludit dicens. *Manifeſtum eſt, quod ex minima carne nullum ſegregabitur corpus. Erit enim minus minimo.* Quod expendens D.Thomas ibidem lectione 9. ait. *Cum quantitas carnis ſit determinata ſecundum magnitudinem, & paruitatem, vt ex dictis patet, neceſſe eſt eſſe aliquam minimam carnem. Ergo ab ea non poteſt aliquid ſegregari, quia ſic eſſet aliquid minus minimo.* Et in 4. diſtinction. 12. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncula 3. ſic habet. *Subſtantia panis poteſt corrumpi ex parte qualitatis vt alteratione, & ex parte quantitatis, quia cum vnaquaque res naturalis habeat quantitatem determinatam, in tantum poterit fieri diuiſio, quod non remanebit ſpecies.* Et hac ratione

do-

docet Diu. Thomas ibi & 3. part. quæſt. 77. art. 4. quod quia ſubſtantia corporis Chriſti ſolum conſeruatur ſub accidentibus panis, quandiu, ſi ſub illis eſſet, conſeruaretur ipſa ſubſtantia panis, poſſunt ita diuidi accidentia panis, quod deſinat eſſe ſub illis corpus Chriſti.

4 Concluſio autem ſpecialiter de viuentibus probatur. Quia omnia viuentia exigunt determinatam organizationem in qua ſuas poſſint exercere connaturales operationes. Ergo ad id exigunt determinatam quantitatem, & magnitudinem, in qua poſſint generari, & in qua conſeruari poſſint. De non viuentibus autem ex paritate viuentium ad hominem (vt aiunt) contra Scotum probatur concluſio. Quia licet viuentia ſint eterogenea; aliquæ tamen partes viuentium vt caro, & oſſa ſunt homo genea. Et tamen adhuc tales partes viuentium habent terminum ſuæ paruitatis, vt ipſe Scotus videtur concedere. In conſequenter ergo non viuentibus, quia ſunt homo genea, negat terminum paruitatis.

5 Indifferenter tamen tam de viuentibus, quam de non viuentibus probatur primo concluſio. Quia omnia illa ad introductionem eorum formæ in materia, & conſeruationem in illa, exigunt determinatas diſpoſitiones, vt talem ac tantam ſiccitatem, humiditatem, vel raritatem. Ergo cum ad id vna ex præcipuis diſpoſitionibus ſit quantitas, exigunt etiam deter-

terminatam quantitatem, ita vt in minori talis forma naturaliter in materia nec introduci, nec conſeruari veleat.

Secundo probatur. Quia cum quælibet res ſit propter ſuam operationem, vt ſit, exigit quantitatem determinatam; in qua poſſit operari, vt ignis exigit talem quantitatem, in qua poſſit exercere operationem aliquid comburendi. Illa ergo quantitas erit terminus paruitatis cuiuslibet viuentis aut non viuentis, in qua poſſit ſuam exercere operationem, & in minori illam non poſſit exercere.

7 Sed quia forſam aliquibus videtur his rationibus ſolum probari viuentia habere terminum extrinſecum paruitatis, licet re vera illis probetur etiam terminus intrinſecus, quia intrinſece determinatam exigunt diſpoſitionem, & intrinſece determinatam exigunt ad ſuas operationes quantitatem; tamen adhuc efficacius probare conemur talem terminum paruitatis intrinſecum. Et primo aduerſus eos, qui aſſerunt ſubſtantiam viuentem, aut non viuentem ſolum habere terminum extrinſecum paruitatis, & *maximum quod non*. Quia ex eo ſequeretur ſubſtantiam incipere extrinſece & *per vltimum non eſſe*. Talis autem modus incipiendi ſubſtantijs (vt nunc ex lib.6. Phiſicorum ſuppono, & ibi oſtendam) competere nequit. Non igitur aliqua ſubſtantia corruptibilis poteſt ſolum habere terminum extrinſecum ſuæ paruitatis. Sequela probatur. Quia

ſi daretur quantitas, quæ eſſet terminus extrinſecus paruitatis hominis vel ignis, & *maximum quod non* talis ſubſtantiæ, ſignata tali quantitate, verum eſſet dicere, ſub hac quantitate non ponitur talis ſubſtantia & ſub quacumque maiori poteſt poni (ſic enim explicatur terminus extrinſecus paruitatis.) Tunc ſic, ſi talis quantitas per motum augeatur, fiet maior in tempore immediate ſecuto ad illud ſignatum inſtans, & in eodem tempore introducetur forma talis ſubſtantiæ, ſiquidem tunc habebit quantitatem ſufficientem ad ſui introductionem: ergo talis ſubſtantia incipiet in tempore: ac perinde *per vltimum ſui non eſſe*. Et ſicut eſſet verum dicere, nunc eſt talis quantitas quæ dicitur terminus extrinſecus paruitatis talis ſubſtantiæ, & immediate poſt hoc erit maior quantitas, ita etiam erit verum dicere, nunc non eſt talis ſubſtantia, & immediate poſt hoc erit talis ſubſtantia, quod eſt illam incipere extrinſece *per vltimum ſui non eſſe*.

8 Aduerſus illos autem, qui nullum terminum extrinſecum paruitatis concedunt ſaltem non viuentibus, à fortiori idē ſequitur inconueniens, quod ſubſtantia corruptibilis incipiat extrinſece, *per vltimum ſui non eſſe*. Nam ſi talis ſubſtantia poteſt incipere in minori, & minori quantumlibet quantitate: ergo habet latitudinem & diuiſibilitatem, ſicut quælibet qualitas: ac perinde ſicut in qualitatibus, v.g.

in

in calore, non quia eſt determinatus intenſionis gradus, in quo debeat incipere, ſed in quocumque minori & minori incipere poteſt, color incipit per motum & *vltimum ſui non eſſe*, eadem ratione ſubſtantia, quæ non habet determinatam quantitatem, in qua debeat incipere, ſed in quacumque minori & minori incipere poteſt, incipiet per motum: ac perinde *per vltimum ſui non eſſe*.

9 Obijcies primo, quod non viuentia, vt ignis & aqua, non habent aliquem terminum paruitatis, citra quem non poſſint naturaliter conſeruari: ergo nec intrinſece: nec extrinſece terminantur verſus paruitatem. Antecedens probatur. Quia talia non viuentia ſunt quanta: ergo quantumuis minima deſignentur, poſſunt adhuc in plures partes diuidi, & cum talia non viuentia ſint homogenea, in qualibet parte poſſunt naturaliter conſeruari. Prima conſequentia probatur. Quia de eſſentia quanti eſt quod ſit diuiſibile: ergo quodlibet quantum vis minimum quantum eſt adhuc implures partes diuiſibile.

Hoc argumentum obijcit ſibi Diuus Thomas 1.Phiſicorum, lect.9. aduerſus id quod determino paruitatis cuiuſcumque entis naturalis cum Ariſtotele dixerat. Et reſpondet S.Doctor dicens. *Sed dicendum quod licet corpus mathematice acceptum ſit diuiſibile in infinitum; corpus tamen naturale non eſt diuiſibile in infinitum. In*

corpore enim mathematico non conſideratur niſi quantitas; in qua nihil inuenitur diuiſioni repugnans: ſed in corpora naturali inuenitur forma naturalis, quæ requerit determinatam quantitatem, ſicut & alia accidentia. Vnde non poteſt inueniri quantitas in ſpecie carnis, niſi intra aliquos terminos determinata. Hæc D. Thomas, in quibus non negat corpus aliquod minimum quãtum poſſe realiter diuidi, ſed intendit, quod ſi diuidatur, non manebit in partibus forma ſubſtantialis, quæ ad ſui conſeruationem, maiorem, quam tales partes habent, exigit quantitatem. Et etiam poteſt dici, quod de eſſentia quanti non eſt diuiſibilitas phiſica per ſeparationem realem vnius partis ab alio, ſed diuiſibilitas mathematica per deſignationem vnius partis extra aliam. Et ita ſi detur aliquid minimum inter omnia corpora naturalia, illud non erit realiter diuiſibilé, quia in partibus talis diuiſionis nulla ſubſtantia poterit conſeruari, quia omnis quælibet ſubſtantia maiorem ad ſui conſeruationem exigit quantitatem.

10 Obijcies ſecundo. Quod dato corpore aliquo minimo, v.g. lapide digitali, ſupponendo quod talis quantitas eſt minima in qua ſecundum noſtram ſententiam poteſt conſeruari, ſi ab Angelo diuidatur, in vtraque parte talis diuiſionis manebit forma lapidis. Ergo talis digitalitas non erat quantitas minima, citra quam forma lapidis non poterat conſer-

ſeruari. Antecedens probatur. Quia tunc non introducetur in materia talis vtriuſque partis diuiſæ forma alia ſubſtantialis. Ergo remanet forma lapidis, aliàs materia eſſet abſque omni forma, quod eſt impoſſibile. Antecedens probatur. Quia per eam ſubitam diuiſionem non introducitur diſpoſitio ad aliquam formam ſubſtantialem diſtinctam à forma lapidis. Ergo cum determinata forma ſubſtantialis, non introducatur niſi in materia ad illam diſpoſita (alias non eſſet maior ratio, quare vna magis quam alia forma ſubſtantialis introduceretur) nulla defacto forma ſubſtantialis diſtincta à forma lapidis introducetur in partibus materiæ ſic diuiſæ. Et hoc argumentum procedit ad probandum non viuentia non habere terminum, non ſolum intrinſecum, ſed neque extrinſecum paruitatis, quia dato lapide digitali, præfata diuiſio poteſt fieri citra terminum etiam extrinſecum illius, vt ſi pro termino extrinſeco deſignentur tres partes illius digitalitatis, poteſt fieri diuiſio per dimidium ipſius digitalitatis.

11 Varie huic reſpondetur argumento, ſupponendo ſemper, quod materia non poteſt manere abſq; omni forma ſubſtantiali, & dicendo quod in tali caſu non permanebit in partibus talis diuiſionis; ſi in illas lapis diuidatur forma lapidis, ſed quod introducetur in talibus partibus materiæ forma corporis circunſtantis, vel forma magis ſimbola, & magis ſimilis

formæ lapidis, quia licet ad illam, non præceſſerint in materia omnes diſpoſitiones requiſitæ; præcedunt tamen diſpoſitiones, quæ ante talem diuiſionem conſeruabant formam lapidis: & illæ, ſicut & ipſa forma lapidis maiorem proportionem habent cum forma ſubſtantiali magis ſimili formæ lapidis, quam cum alia.

§. Hæc tamen ſolutio quoad vtrumque eſt difficilis. Quoad primum quidem, quia poteſt eſſe quod forma corporis circunſtantis ſit multum diſſimilis formæ lapidis, ac periade quod in materia nullæ præceſſerint diſpoſitiones ad illam, & ita naturaliter non poſſet in talibus partibus materiæ introduci forma corporis circunſtantis. Et ſi diuiſio fieret in vacuo, vbi nullum eſſet corpus circunſtans, non poſſet ad id eſſe recurſus, quia nullum eſt corpus circunſtans. §. Quoad ſecundum etiam, quia licet ad formam ſimbolam formæ lapidis præceſſerint in tali caſu aliquæ diſpoſitiones; non tamen omnes requiſitæ, vt in eadem ſolutione conceditur, & nulla forma poteſt naturaliter introduci in materia abſque omnibus diſpoſitionibus ad illam requiſitis. Et quoad neutrum haberet locum prædicta ſolutio, ſi ſupponamus, quod illud minimum, quod in argumento intenditur poſſe diuidi, ſit illius corporis quod inter omnia corpora naturalia minorem ad ſui conſeruationem exigit quantitatem, & ita ſi in partibus illius diuiſionis forma talis corporis non

po-

poteſt conſeruari, à fortiori nec poterit introduci in aliqua illarum alia forma ſubſtantialis.

12 Propter hæc, & maxime propter hanc vltimam replicam dicendum eſt, quod licet caſus iſte ſit metaphiſicus; illo tamen ſuppoſito, non poterit etiam ab aliquo Angelo lapis tunc diuidi, tali diuiſioni ipſa reſiſtente natura, ne detur materia ſine forma, ſicut etiam ne detur vacuum, deſcenſui grabis aliquando natura reſiſtit. §. Nec huic obſtat quod tale minimum eſſet quantum: ac perinde diuiſibile in partes ſi enim ad has anguſtias reducamur, recurrendum erit ad id, quod in ſecunda ſolutione præcedentis obiectionis dicebamus, quod non eſt de eſſentia quanti diuiſibilitas phiſica per ſeparationem realem illius partium, ſed ſolum diuiſibilitas mathematica per deſignationem vnius partis extra aliam, & ſic poteſt dari aliquod quantum, cui vt tali repugnet diuiſibilitas phiſica per ſeparationem realem illius partium.

13 Obijcies tertio, quod ſi aſſignetur, v.g. minimum ignis digitalitas, adhuc in minori & minori quantitate poteſt introduci forma ignis: ergo reuera ignis (& idem eſt de quolibet alio non viuente) nullum habet terminum paruitatis citra quem & generari & conſeruari non poſſit. Antecedens probatur. Nam ſi ligno digitali ſico & optime ad combuſtionem diſpoſito, debite abſque contiguatione

ne tamen applicetur ignis, prius introducet in dimidia digitalitate formam ignis, quam in tota digitalitate: ergo ignis poteſt generari in minori quantitate, quam ſit digitalitas. Conſulto dixi in antecedenti, ſi applicetur ignis tali ligno abſque contignatione, quia ſi continguetur cum illo, etiam ſi generet ignem in dimidia digitalitate ligni, vniet ſibi ignis generans ignem ſic genitum, & non dabitur ignis minor digitali. Loquimur ergo de igne abſque continguatione tali ligno applicato, & de illo probatur, quod prius introducet formam ignis in dimidia digitalitate, quam in tota digitalitate. Quia prius introducet calorem etiam vſque ad gradum vt octo in dimidia parte digitalitatis, quam in tota digitalitate: ergo prius in dimidia digitalitate introducet formam ignis, quam in tota. Antecedens probatur. Quia agens aproximatum paſſo, & per motum introducens formam in paſſo, prius introducet illam in parte paſſi ſibi proximiori quam in remotiori. Sed ignis per motum introducit formam caloris in ligno: ergo prius illam introducet in parte ſibi proximiori, quam in remotiori; & ita ſi proximior ſit igni prima dimidia digitalitas ligni, quam altera dimidia digitalitas, prius in tali priori dimidia digitalitate ligni, quam in poſteriori formam caloris introducet: ac perinde prius etiam introducet formam ignis. Tum quia in quacunque parte materiæ introducitur calor

lor vt octo, introducitur forma ignis. Tum etiam quia cum calore vt octo non poterit conſeruari in illa parte materiæ forma ligni: ergo ſtatim in illa introducetur forma ignis, alias talis pars materię manebit abſque aliqua forma.

14 Reſpondetur cum noſtro authore & alijs communiter negando quod calor vt octo introduceretur in tali caſu in dimidia digitalitate ligni. Nam ſicut forma ſubſtantialis ignis exigit determinatam quantitatem ad ſui introductionem, citra quam introduci nequit, ita & calor vt octo, qui eſt vltima eius diſpoſitio: licet enim alia accidentia incipiant per motum, & non habeant aliquem terminum ſuæ paruitatis; accidentia tamen quæ ſunt vltimæ diſpoſitiones ſubſtantiæ, incipiunt inſtantanee, & per primum ſui eſſe, ſicut & ipſa ſubſtantia, & ſicut illa exigunt etiam determinatam quantitatem ad ſui introductionem. §. Nec huic obſtat quod ignis continua intentione videtur producere calorem in ligno: ac perinde cum in dimidia parte talis digitalitatis ligni producit calorem citra octo, non videtur ceſſare eius actionem intenſiuam, & expectare vt in eadem parte introducat calorem vt octo, quod reliquæ partes talis digitalitatis ligni diſponantur, vt in omnibus ſimul introducatur calor vt octo. §. Non inquam id obſtat, quia cum alij gradus caloris citra calorem vt octo non exigant determinatam quantitatem & il-

lam exigat calor vt octo, ſicut illam exigit forma ignis, poteſt ignis in proximioribus partibus ligni, priuſquam in remotioribus producere calorem citra calorem vt octo, & illum in talibus prioribus partibus conſeruando, illum etiam producere in alijs remotioribus partibus, vſque dum ſint inſufficienti quantitate diſpoſitæ, vt in omnibus illis ſimul non per motum, ſed per mutationem inſtantaneam introducat calorem vt octo & formam ſubſtantialem ignis. Et ita nunquam ceſſat actio ignis generantis in priores partes ligni, quia licet poſtquam introduxit calorem in illis citra calorem vt octo, non ſtatim illum intendat; continuatur tamen actio conſeruando in prioribus partibus talem calorem, & illum introducendo in poſterioribus, vſque dum in omnibus introducendo calorem vt octo, terminetur.

15 Vltimo tandem obijcies. Si daretur minimum panis, vel vini, in quo talis ſubſtantia conſeruari poteſt, & Sacerdos intendat conſeruare medietatem tantum, dimidia pars erit conſecrata, & permanebit dimidia pars panis ſub dimidia parte tantum præexiſtentis quantitatis. Ergo iam conſeruabitur ſubſtantia panis ſub quantitate minori minima, ac perinde re vera non habet panis aliquem terminum ſuæ paruitatis citraquem nequeat conſeruari.

Reſpondetur, quod quia tunc quantitas panis

panis continuatur cum quantitate ſub qua manet corpus Chriſti, & virtute diuina vicem in aliquibus habet ſubſtantiæ, facit, quod talis dimidia ſubſtantia panis poſsit conſeruari, ſicut ſi altera dimidia pars ſubſtantiæ panis cum illa continuata maneret: & aliter non poſſet conſeruari. Et ita non conſeruatur talis dimidia pars ſubſtantiæ panis, niſi ſub quantitate, vt continuata cum altera parte quantitatis.

LIBER SECVNDVS Phiſicorum.

Summma textus.

IN hoc ſecũdo libro, qui in nouẽ diuiditur capita, in illorum primo diuidit, & diſtinguit Philoſophus res naturales, & artificiales, proponit definitionem naturæ, & explicat, quibus illa competat. In ſecundo diſtinguit Ariſtoteles inter Phiſicam, & mathematicas, & pure mathematicas à ſcientijs medijs condiſtinguit. In tertio autem capite, in quo ſecunda huius libri incipit pars, quatuor aſſignat, & explicat genera cauſarum, aſſeritque ad eundem effectum omnes illas concurrere poſſe, & quod cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ. §. Capite 4. agit de cauſa per accidens, ſcilicet de caſu, & fortuna, & recenſet opiniones antiquorum de illis. §. in 5. capite de caſu, & fortuna propriam Ariſtoteles profert ſen-

tentiam. §. In capite 6. differentiam ſtatuit inter caſum, & fortunam. §. Capite 7. ſufficientiam diuiſionis cauſarum ſupra- poſitæ oſtendit, & aſſerit ad Philoſophum pertinere de omnibus cauſis agere. §. In capite 8. oſtendit Ariſtoteles naturam agere propter finem. §. Ac denique in capit. 9. & vltimo, explicat quæ ſit radix neceſſitatis in rebus naturalibus. Vt autem quæ in his capitibus aſſerit Philoſophus, meliùs intelligantur, ea per aliquas quæſtiones diſputabimus.

QVÆSTIO I.

Vtrùm natura rectè definiatur ab Ariſtotele.

EX varijs acceptionibus naturæ hic ſolum accipitur pro principio motus, & quietis, vt eam acceptionem, & illius deribationem tradit D. Thomas 1. parte quæſtion. 29. artic. 1. ad 4. dicens. *Nomen naturæ primo impoſitum eſt ad ſignificandum generationem viuentium, quæ dicitur natiuitas. Et quia huiuſmodi generatio eſt à principio intrinſeco, extenſum eſt hoc nomen ad ſignificandum principium intrinſecum cuiuſcumque motus. Et ſic definitur natura in ſecunda Phiſicorum.* Et quamuis Philoſophus in præcedenti libro egerit de materia, & forma, vt ſunt principia compo-

ſici ſubſtantialis in præſenti agit de illis, vt ſunt principia, & cauſæ motus phiſici.

2 Dico primo. Optime definitur natura, quod ſit *principium, & cauſa motus, & quietis eius in quo eſt, primum, per ſe, & non ſecundum accidens*. Huiuſmodi autem definitio præter authoritatem Philoſophi, & omnium eius interpretum; non aliter melius quam ex illius explicatione probatur. Ponitur igitur *principium & cauſa*, loco generis. Et ponitur non ſolum *principium, ſed cauſa*, quia cauſa addit ſupra principiū aliquem influxum, qui cum competere nequeat priuationi, licet illa ſit principium, non tamen cauſa: ac perinde, nec natura.§. Dicitur autem natura principium, & cauſa *motus*: ideſt motus, aut mutationis phiſicæ. Et dicitur principium & cauſa *motus, & quietis copulatiue*, non quidem eo: quod quælibet natura debeat eſſe principium tam motus quam quietis, ſed per diſtributionem accomodam: ita vt nulla ſit natura, quæ non ſit principium motus, aut quietis, & aliqua ſit natura, quæ ſit principium motus, & quietis, ſimul. Vt ſimili modo intelligitur definitio animæ tradita ab Ariſtotele, quod anima eſt, qua viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus non quod eſſe principium omnium iſtorum actuum cuilibet competat animæ, ſed quod id competit omni collectioni animarum, & aliqua datur anima, vt rationalis: quæ ſit principium omniū prædictorum actuum.

3 Sub-

3 Subditur autem in definitione naturæ, quod ſit principium motus *eius in quo eſt*, ad denotandum, quod non ſufficit ad rationem naturæ, quod ſit principium motus in alio, ſed requiritur quod ſit principium motus eius in quo eſt talis natura, Vt ignis non ideo habet naturam, quia habet in ſe principium aliud mouendi, vt calefaciendi lignum; ſed quia habet in ſe principium ſui motus ſurſum, & aqua quia habet in ſe principium ſui motus deorſum, & vt ipſa aqua calefiat, quia ad hoc etiam habet in ſe principium paſſiuum intrinſecum.

4 Dicitur autem: quod natura debet eſſe nõ quomodolibet principium motus, & quietis, ſed principium *primum*, ideſt principium radicale, ad excludendum accidentia, quæ licet ſint principia motus phiſici; ſunt tamen illius principia proxima, & inſtrumentaria.

5 Dicitur denique, quod natura debet eſſe principium motus *per ſe, & non ſecundum accidens*, ad excludendum alicuius motus principium, quod per accidens reperitur in eo in quo talis ſit motus. Vt ad excludendam artem medici, qui media illa ſemetipſum ſanat. Quia licet talis ars de facto ſit principium motus ſanationis, qui fit in habente ipſam artem; per accidens tamen eſt quod ars ſit in ipſo infirmo, qui ſanatur, cum aquæ bene ab alio medico poſſit ſanari.

6 Huic definitioni poteſt obijci, quod plura

plura videntur habere naturam & non principium motus nec quietis ſed de his dicemus in duabus quęſtionibus ſequentibus, explicantes quibus competat definitio naturæ. Et ita ſolum obijcio, quod vel cum dicitur in definitione naturæ, quod ſit principium motus, intelligitur de principio actiuo aut paſſiuo: ſi determinate de actiuo, multa ſunt (vt in ſequentibus videbimus) quibus competit ratio naturæ; & non habent principium actiuum motus: ac perinde talis definitio naturæ ſic intellecta non erit bona. Si vero intelligatur de principio actiuo vel paſſiuo, perperam diſtinqueret Philoſophus artificialia à naturalibus, cum etiam in materia artificialium ſit principium paſſiuum motus; qui ab artifice cauſatur in illis, vt in ligno eſt principium paſſiuum, vt ab artifice fiat ex illo ſtatua.

Reſpondetur, quod in definitione natura intelligitur principium actiuum, vel paſſiuum, & ad argumentum factum aduerſus hoc dico, quod tale principium paſſiuum motus non debet eſſe ſola non repugnantia, & quaſi potentia obedientialis, ſed principium paſſiuum per modum naturalis inclinationis ad talem motum, qualiter reperitur in materia principium paſſiuum ad formas ſubſtantiales. Ad formam autem artificialem nullum tale reperitur in materia principium paſſiuum, quia nulla eſt in ligno, v. g. inclinatio ad figuram Iouis, aut Mercurij, ſed ſolum

ad

ad id eſt non repugnantia. Et ſi vna materia eſt magis ad id apta quam alia, non id eſt, eo quod aliqua illarum habeat ad id inclinationem; ſed tantum maiorem vel minorem aptitudinem.

7 Dico ſecundo. Huiuſmodi naturæ definitio eſt eſſentialis: oppoſitum aliqui tenent exiſtimantes, quod quia datur per effectum, ſcilicet per motum, qui eſt effectus naturæ, talis definitio eſt deſcriptiua. Sed concluſio eſt magis communis, & eius ratio eſt, quod natura ex ſuis intrinſecis eſſentialibus, & non ex aliquo accidenti habet eſſe primum & radicale principium motus & quietis. Vnde non definitur per effectum, ſed in ordine ad effectum, & nō per potentiam proximam & accidentalem in ordine ad illum, ſed per illius principium radicale, quod eſt ipſa eſſentia naturæ.

QVÆSTIO II.

Quibus competat ratio & definitio naturæ?

DE omnibus de quibus poteſt eſſe aliqua difficultas, an illis competat ratio & definitio naturæ, breuiter & diſtincte in hac quæſtione dicemus, & id ſpecialiter de cœlo explicandum (quia ſpecialiter de illo eſt difficultas) in quæſtionem

nem remittimus ſequentem.

2 Dico primo. Nec Deo, nec Angelis comperit natura, vt illa in præſentiarum accipitur. Concluſio eſt communis, & patet. Quia licet Deus & Angeli habeant naturam, prout natura accipitur pro eo quod quiditas & eſſentia; non tamen habent naturam, prout hic natura accipitur prout eſt principium motus aut mutationis phiſicæ, quia in Deo nullus eſt motus aut mutatio, & in Angelis licet ſint mutationes intentionales & ſpirituales; actus videlicet intellectus & voluntatis; non tamen aliquis motus aut mutatio phiſica.

3 Dico ſecundo. Compoſitum ſubſtantiale corruptibile, prout dicit ſubſiſtens in natura, non eſt natura, prout autem ſolum dicit ipſam naturam compoſitam ex materia & forma, eſt verè & propriè natura. Prima pars concluſionis eſt communis, quia vt ſic compoſitum expreſſe excluditur à ratione naturæ ab Ariſtotele in hoc 2. lib. text. 12. dicente. *Quod compoſitum natura quidem non eſt, ſed eſt & conſtat natura, vt homo.* Et patet. Quia compoſitum potius eſt principiatũ, quam principium. Oppoſitum tamen ſecundæ partis concluſionis aliqui tenent exiſtimantes quod compoſitum ſumptum pro forma totali, v.g. pro humanitate cõpoſita ex materia & forma eſt quidem ens naturale, quia habet partes, quarum quælibet eſt natura; ipſum tamen non eſt na-

tu-

tura, quia non eſt primum principium, ſed potius principiatum ex ijs; quæ ſunt prima principia motus. Sed tamen concluſio eſt communior, & habetur à Diuo Thoma in 5. metaph. lect. 5. vbi loquens de natura cum Philoſopho ibi in eadem acceptione, in qua hic ſumitur, ait S.Doctor: *Quod non ſolum forma partis dicitur natura, ſed ſpecies ipſa, quæ eſt forma totius. Vt ſi dicamus quod hominis natura non ſolum eſt anima ſed humanitas.* Et probatur, quia hic ſumitur natura pro primo principio motus, id eſt pro illius radicali principio *quo*, & vt condiſtinguitur à principio proximo inſtrumentali. Sed non ſolum forma ſubſtantialis partialis, ſed & ipſa forma totalis, eſt principium radicale *quo* motus: ergo eſt propriè natura. §. Et per hoc patet ad fundamentum oppoſitum: in definitione enim naturæ primum principium motus ſolum excludit principium proximum inſtrumentale illius.

4 Dico tertio. Tam forma quam materia ſubſtantialis eſt verè & propriè natura. Oppoſitum vtriuſque partis aliqui tenent: alij quidem exiſtimantes ſolam materiam eſſe naturam, quia generaliter iudicant ſolum principium paſſiuū & non actiuum eſſe naturam; alij autem ex oppoſito exiſtimantes, quod ſolum principium actiuum motus eſt natura, aſſerunt ſoli formæ & non materiæ rationem competere naturæ. Nihilominus

vtra-

vtraque pars eſt communis, & habetur ex D. Thoma 2. Phiſicorum lect. 1. dicente. *Quod in rebus naturalibus eo modo eſt principium motus, quo eis conuenit motus. Quibus ergo conuenit mouere eſt principium motus actiuum; quibus autem competit moueri, eſt in eis principium paſſiuum, quod eſt materia; quod quidem principium in quantum habet potentiam naturalem ad talem formam, & motum, facit eſſe motum naturalem.* Et vtraque pars concluſionis patet. Quia proprij motus viuentium principium radicale actiuum eſt eorum ſubſtantialis forma. Et materia ex ſe eſt principium paſſiuum tranſmutationis formarum, quæ per mutationem phiſicam introducuntur in ipſa, & etiam vt determinata per formam, eſt principium paſſiuum aliorum motuũ: ergo tam materia, quam forma ſubſtantialis eſt proprie natura.

5 Dico quarto. Forma eſt magis natura, quam materia, vniuoce tamen de vtraque dicitur ratio naturæ. Primam partem concluſionis probat Ariſtoteles. Quia forma eſt à quo denominatur ens naturale, & quia generans generat ſibi ſimile in natura, eo quod generat ſibi ſimile in forma: & denique quia forma eſt terminus motus, qui dicitur natiuitas, à qua nomen ſumitur naturæ. Quibus addere poſſumus, quod in aliquibus forma eſt principium actiuum motus, & materia in nullo eſt, niſi principium, paſſiuũ, & cum magis principale ſit principium acti-

actiuum, quam paſſiuum, natura, quæ in ratione principij motus conſiſtit, magis principaliter conueniet formæ, quam materiæ. §. Secunda autem pars concluſionis, licet oppoſitum aliqui teneant, eſt noſtri Authoris hic quæſt.1. ex quo omnia deſumimus. Et probatur. Quia principiũ paſſiuum motus vere, & ſimpliciter eſt principium, & in ſuo ordine ex ſe, & abſque participatione à forma conuenit materiæ, vt eſt principium generationis, & corruptionis. §. Nec obeſt, quod talem rationem principij materia ſine forma nõ poteſt exercere, quia nec forma rationem principii actiui poteſt exercere ſine materia. Ergo eſſe naturã, quod in ratione principij motus conſiſtit, ſimpliciter conuenit materiæ, & formæ, ac perinde vniuoce.

6 Obijcies, quod vt ex Philoſopho in 1. part. concluſionis diximus, forma eſt magis natura, quam materia. Ergo ratio naturæ inæqualiter ab vtraque participatur, ac perinde non vniuoce, ſed analogice dicitur de illis. §. Confirmatur, quia ipſe Philoſophus 5. metaphiſicæ, cap. 4. ait, quod propter formam metaphorice omnis ſubſtantia natura dicitur. Sed cum aliquid conuenit alicui metaphorice propter aliud, eſt analogia inter vtrunque. Et ratio naturæ analogice conuenit formæ, & materiæ.

7 Reſpondetur ad argumentum negando conſequentiam, quia exceſſus, & inæqualitas in ratione naturæ inter formam,

mam, & materiam ſolum eſt in rationibus particularibus, & qualis reperitur inter duas ſpecies eiuſdem generis, quarum vna eſt perfectior altera; non tamen eſt inæqualitas in ratione communi, & quæ ſufficiat ad analogiam. §. Ad confirmationem reſpondetur, quod cum Philoſophus dicit alias ſubſtantias dici naturam metaphorice propter formam, ſumit naturam non pro principio motus, ſed pro quiditate, & eſſentia, & hoc modo eſſe naturam ſolum proprie conuenit formæ, & alijs ſolum ex participatione à forma.

8 Vltimo tandem dico. Anima rationalis non ſolum ſecundum gradum vegetatiuum, & ſenſitiuum; ſed & ſecundum gradum intellectiuum eſt vere, & proprie natura. Concluſio probatur. Tum, quia etiam formaliter, vt forma rationalis eſt, eſt forma hominis, & conſtituit hominem ens naturale, ac perinde ipſa etiam vt ſic eſt proprie natura. Tum vel maxime, quia vt forma rationalis, & intellectiua eſt principium alicuius motus phiſici, vt ridendi, & loquendi, qui ſunt vere motus phiſici, & quamuis corpore exerceantur, ſunt actus animæ formaliter vt rationalis. Ergo anima rationalis eſt vere, & proprie natura, quamuis rationem naturæ non niſi prout eſt in corpore exerceat. In ſtatu enim ſeparationis à corpore nullius motus phiſici exercet rationem principij. Vnde teſte D. Thoma in hoc 2. Phiſico-

ſicorum lect.4. ad Phiſicum pertinet agere de anima rationali, prout eſt in corpore ; non tamen pro illius ſtatu ſeparationis à corpore.

QVÆSTIO III.

Vtrum cœlum habeat naturam?

CVm natura ſit principium motus, & quietis eius in quo eſt, ratio dubitãdi oritur ex difficultate aſſignandi in cœlo principium motus, & quietis. Et poſſumus loqui vel de cœlo empyreo, quod nunquam mouetur, vel de alijs orbibus cœleſtibus, qui continuò mouentur.

2 De cœlo empyreo probabile eſt habere naturam, quatenus in illo eſt principium naturale paſſiuum ſuæ perpetuæ quietis, & vt diximus, explicantes definitionem naturæ, ad aliquam determinate naturam ſufficit, quod ſit principium ſui motus, vel ſuæ quietis. Tota ergo difficultas eſt de alijs orbibus cœleſtibus.

3 Aliqui antiqui teſte D. Thoma 1. part. quæſt.20. art.3 exiſtimantes in cœlo eſſe principium actiuum ſui motus ponebant illud eſſe animatum, & idem fere aſſerit commentator lib. de ſubſtantia orbis, & 12. metaphiſ. comment. 41. exiſtimans intelligẽtiam vniri cœlo per modum

dum illius animæ, & ita in cœlo eſſe principium actiuum ſui motus. §. Ex alio extremo Auicena 9. metaph. negans in cœlo non ſolum principium actiuum ſui motus, ſed etiam principium, quod ſit inclinatio naturalis ad illum, ait talem motum non eſſe ei naturalem nec violentum, ſed præternaturalem, cui ſententiæ ſubſcribit Scotus 2. diſt. 2. in fin. quæſt. 6. conſtituens potentiam neutram inter potentiam naturalem, & repugnantiam ad aliquid. Pro explicatione tamen veritatis.

4 Dico primo. In cœlo non eſt principium actiuum ſui motus, ſed mouetur actiue ab Angelo, qui ipſi cœlo vnitur, non per modum formæ, ſed præciſe per modum motoris. Concluſio eſt certa, & D.Thom.1. par. quæſt.70.art.3. Et probatur quia cœlum non eſt animatum: ſed ſolum animata viuentia habent principiũ efficienter actiuum ſui motus, & diſtinguuntur à non viuentibus in eo quod ſe mouent. Ergo cœlum non habet principium actiuum ſui motus. Maior probatur. Quia cum ſolum ſit triplex gradu viuentis, vegetatiui videlicet ſenſitiui, & intellectiui, cui nulla competit operatio vegetandi, ſentiendi, aut intelligendi, non poteſt eſſe viuens, & animatum. Sed cœlo nulla talis competit operatio. Ergo cœlum non eſt animatum. §. Nec vt moueatur localiter requiritur, quod Angelus cœlum mouens, ipſi cœlo per modum formæ vniatur. Tum quia, vt oſtenditur

1.par.

1. par. quæſt. 50. Angelum alicui corpori per modum formæ vniri eſt impoſſibile. Tum etiam, quia ad id ſufficit, quod Angelus vniatur per modum motoris, ſicut vnum corpus mouens aliud, illi vnitur. §. Nec cœlum habet principium in ſe actiuum ſui motus per modum principij emanationis talis motus, qualiter in aliquibus non viuentibus, vt in grauibus, & leuibus eorum forma eſt principium actiuum emanationis ſuorum motuum naturalium, quia licet motus cœli ſit ei naturalis (vt ſtatim explicabimus), non tamen ſequitur ad illum, vt illius paſſio, aut proprietas, qualiter ad formam grauis, & leuis ſequitur eorum motus ſurſum, vel deorſum.

5 Dico ſecundo. Motus cœli eſt naturalis propter principium paſſiuum intrinſecum in ipſo cœlo talis motus, & propter finem influendi in hæc inferiora, vt impleatur numerus electorum: ad quē cœlum eſt à Deo creatum, ac perinde cœlum habet naturam. Prima pars concluſionis eſt expreſſa D. Thomæ loco citato 1. par. quæſt. 70. art. 3. ſolut. ad 4. & in alijs pluribus locis. Et probatur. Quia vt aliquid ſit alicui naturale, ſufficit quod ad illud habeat principium paſſiuum per modum naturalis inclinationis. Sed cœlum habet in ſe intrinſecum principium paſſiuum per modum naturalis inclinationis ad ſuum motum. Ergo talis motus eſt illi naturalis. Maior patet, quia ideo eſt

na-

naturalis materiæ receptio cuiuslibet formæ ſubſtantialis quia eſt in ipſa materia principium paſſiuum, & naturalis inclinatio. Minor autem probatur primo, quia Deus, qui diſponit omnia ſuauiter, indidit cuilibet rei naturam, & inclinationem naturalem ad ſuos proprios motus, vt igni ad calefaciendum arboribus, & plantis ad germinandum. Ergo cum creauit orbes cœleſtes: vt cauſam vniuerſalem omnium inferiorum, & vt ſuo perpetuo motu influant in vniuerſa ſublunaria, indidit eis principium paſſiuum, & naturalem inclinationem ad talem motũ. §. Secundo probatur eadem minor, quia cœlum, ſicut & quælibet alia res, debet habere aliquam naturalem inclinationem. Sed cœlum ad nihil aliud niſi ad moueri, naturaliter inclinatur, cum id perpetuo illi competat. Ergo ad talem motum habet principium paſſiuum, & naturalem inclinationem. §. Tertio probatur eadẽ minor. Cœlum habet naturaliter figuram rotundam aptiſſimam ad circularem motum; eſt etiam ſubſtantia incorruptibilis ad motum perpetuum accommodata. Ergo & motus ipſe eſt *naturalis*: ſi enim media ordinata ad finem ſunt naturalia cœlo, finis etiam ipſe naturalis vtique eſt.

6 Secunda pars concluſionis colligitur ex prima. Vt enim diximus explicantes definitionem naturæ, ſufficit ad rationem naturæ, quod ſit principium motus

quo e. eius in quo eſt, per modum inclinationis na-

naturalis ad talem motum: ſicut ea ſolum ratione materia prima habet rationem naturæ. Ergo ſi in cœlo eſt principium paſſiuum ſui motus, cœlum habet naturam. Et quia non ſolum materia cœli, ſed principaliter eius forma eſt principiū paſſiuum motus cœli, quia ſicut grauia, & leuia ratione ſuæ formæ aſcendunt, & deſcendunt, ſic etiam & cœlum ratione ſuæ formæ, quia ratione illius ei competit figura circularis, conuenit circulariter moueri; ideò tam materiæ, quam formæ cœli conuenit ratio, & definitio naturæ.

7 Aduerſus ſecundam concluſionem obijcies primo, ex Auicena apud noſtrum Authorem, quod nullus eſt motus naturalis rei, niſi ille, quo mouetur à diſpoſitione, & ſtatu non naturali ad naturalem. Sed motus cœli non eſt quo mouetur à diſpoſitione, & ſtatu non naturali: ergo. Maiorem oſtendit exemplo grauis, quod non mouetur deſcenſu naturali, niſi à loco, in quo ſurſum violenter detinetur, ad centrum in quo naturaliter quieſcit. Minor vero eſt manifeſta, quia cœlum nunquam eſt extra ſuam naturalem diſpoſitionem, ac perinde non mouetur à diſpoſitione non naturali ad naturalem.

8 Reſpondetur negando minorem, ea enim ſolum eſt vera in motibus corruptibilium, qui ordinantur ad quietem, immo & in eis non eſt vniuerſaliter vera,

motus enim corruptionis eſt naturalis, & non eſt à diſpoſitione non naturali ad naturalem, ſed potius è contra à diſpoſitione naturali ad non naturalem. Cœlum autem quia eſt incorruptibile, & eius motus, quamuis ſit naturalis, non ordinatur ad quietem, ſed præcipuè ad influxum in hæc inferiora, non opportet, quod moueatur à diſpoſitione non naturali ad naturalem, ſed ſemper motum in eadem diſpoſitione naturali perſeuerat.

9 Obijcies ſecundo ex eodem Auicena, quod ſi motus cœli eſſet naturalis, ſequeretur, quod cum Sol, v.g. mouetur ab Oriente, in Occidens, naturaliter recedat ab Oriente, & eadem ratione quando poſtea in nocte ſubtus terram reuertitur ab Occidente in Oriens, naturaliter etiam accedat ad punctum Orientis, conſequens autem videtur falſum: alias duo motus contrarij, receſſus videlicet ab Oriente, & acceſſus ad Oriens eſſent eidem naturales.

10 Reſpondetur concedendo ſequelam, & negando minorem: neque enim talis acceſſus, & receſſus ad Oriens ſunt contrarij, imò nec duo motus, ſed partes eiuſdem motus circularis continui, & perpetui. Natura enim Solis, neque eſt recedere à puncto Orientis, nec accedere ad illud, ſed perpetuo circulariter moueri per quodlibet punctum Zodiaci.

11 Obijcies tertio ex Auicena, quod ſi motus, v.g. primi mobilis ab Occiden-

te

te in Oriens eſſet naturalis ſequeretur quod ſi vice verſa moueretur ab Occidente in Oriens, ille eſſet motus contra naturam. Et eadem ratione ſi intelligentia vellet cœlum ſiſtere, & tenere, ne moueretur, pateretur difficultatem, ſicuti qui vellet vt rem aëre plenum ſub aqua retinere, cum aer nititur ſurſum aſcendere. Conſequens tamen eſt falſum.

12 Reſpondetur cum noſtro Authore concedendo ſequelam, quia cum primum cœlum habeat principium paſſiuum, & naturalem inclinationem ad motum, quem modo habet, eſſet violentum illi, ſiſtere ab omni motu, dum ante finem mundi perſeuerat finis motus cœli, ſcilicet influxus in hæc inferiora, & medio illo (vt ait D.Th. q.5. de potẽtia art.5. in corpore) completur numerus electorum. Et ſimiliter eſſet nunc violentum cœlo motu contrario moueri. Imò ſubdit noſter Author, quod nec Angelus mouens cœlum, poſſet viribus proprijs, ſed ſolum virtute diuina illud ab omni motu ante finem mundi detinere, vel motu contrario mouere. Quidquid tamen ſit de hoc, ad minus cœlum in motu cõtrario, vel inceſſatione ab omni motu, dum perſeuerat neceſſitas influẽdi in hæc inferiora, pateretur violentiam.

13 Obijcies quarto, quod omnis motus naturalis eſt propter quietem. Sed motus cœli nõ eſt propter quietem: aliàs imperfectum maneret cœlum, dum non

quieſceret. Ergo eius motus non eſt naturalis. Maior probatur in exemplo grauium, & leuium, quæ ſi naturalem habent motum, eſt propter quietem. §. Confirmatur primo, quia ſi cœlo eſſet naturale perpetuo moueri, violentum eſſet illi poſt finem mundi quieſcere. At id violentum illi eſſe nequit, cum nihil violentum ſit perpetuum, & talis quies ſit in perpetuum duratura. Ergo moueri non eſt naturale cœlo. §. Confirmatur ſecundo. Nam ſi cœlum haberet naturam, haberet principium motus, & quietis. Sed non habet principium quietis. Ergo non habet naturam.

14 Reſpondetur ad argumentum negando vniuerſaliter maiorē: motus enim viuentium, vt motus cordis, eſt naturalis, & tamen non propter aliquam quietem. Vnde & motus cœli licet actiue ſit à principio extrinſeco, ac perinde non ſit motus viuentis, poteſt eſſe naturalis, licet non propter aliquam quietem, quia perfectio cœli in ipſo moueri conſiſtit. §. Ad primam confirmationem, licet aliqui aſſerāt tam motum nunc cœli, quam eius quietē poſt finem mundi ei eſſe naturalem, quia motus cœlo nunc naturaliter competit propter influxum in hæc inferiora, & ceſſante poſt finem mundi hoc fine, naturaliter ei competet quies. Nec reputant inconueniens, quod duo contraria, vtpote motus, & quies, ſint eidem pro diuerſis temporibus naturalia; tamen noſter au-

author aſſerit, quod cum cœlum ſit circulare non habet in ſe principium quietis, ſed ſuper naturaliter, vel ſaltem præter naturaliter, tunc ceſſabit à motu. Cum hoc tamen ſtat, quod (vt dicemus ex D.Thoma, q. ſequenti num.7.) talis quies non erit cœlo violenta propter rationem ibi aſſignandam, quæ ibi poteſt videri, ne eadem repetamus. §. Ad ſecundam confirmationem commentator (vt refert noſter Author) exiſtimat in cœlo eſſe principium quietis, & aliqui ipſum commentatorem explicantes, aſſerunt quod quotidie cœlum quieſcit à motu externo, & incipit alter motus, ſed re vera motus cœli eſt circularis, & perpetuus, nec ab illo vnquam quieſcit, nec habet principium quieſcendi. Tum propter eius figuram circularem. Tum etiam propter eius finem, ſcilicet influendi in hæc inferiora. Vnde nullum habet in ſe principiũ quietis, nec perinde deſinit habere naturam, quia non quælibet natura in particulari (vt diximus, quæſtio 1.) debet eſſe principium motus, & quietis, ſed ſufficit, quod ſit principium motus.

QVÆSTIO IV.

Quid ſit violentum, & qualiter à naturali, & præternaturali diſtinguatur.

CVm diximus quòd id, quod habet naturam eſt ens naturale, vt id plenius explicetur. Oportet breuiter in hac quæſtione explicare, quid ſit *violentum*, & qualiter à naturali, & præternaturali diſtinguatur.

2 Dico primo. Violentum eſt *quod fit ab extrinſeco, paſſo non conferente vim.* Ita communiter aſſignatur definitio *violenti*, & ſumitur ex Ariſtotele 3. Ethicorum, cap. 1. dicente, violentum eſſe, *Cuius principium eſt foris, in quod nihil confert is qui agit, aut patitur.* Et ex Damaſceno 2. de fide, cap. 24. aſſerente, quod *inuite* (ideſt violenter) *fieri id dicitur, quod principium extrinſecum habet, nihil ſuapte motu atque conatu ad actionem conferente eo cui vis infertur*. In quibus definitionibus iuxta communem interpretum ſententiam cum dicitur, *paſſo non conferente vim*, aut *quod nihil confert is, qui violentiam patitur*, non debet intelligi quod ſe habeat mere negatiue: alias violenta eſſet homini cuiuſuis formæ ſupernaturalis infuſio, ad quam nullam inclinationem aut conatum habet

na-

naturalem, ſed mere potentiam obedientialem, & violenta eſſet ligno forma artificialis in ipſo introducta: quæ tamen, licet non ſit naturalis, non eſt violenta, ſed præter naturalis. Sed debet intelligi, quod vt aliquid ſit alicui violentum, ei poſitiue per contrariam inclinationem reſiſtat. Sic autem intellecta definitio optima eſt, vtpote ſoli violento competens, & omnia alia à ratione violenti excludens. Per id enim quod eſt *eſſe à principio extrinſeco*, excluditur naturale & voluntarium, quæ ſunt à principio intrinſeco. Per id vero quod *paſſum debeat poſitiue reſiſtere*, excluditur præter naturale, ad quod licet paſſum intrinſece non concurrat, poſitiue tamen non reſiſtit.

3 Dico ſecundo. Vt aliquid ſit alicui violentum, ſufficit quod ſit contra principium eius paſſiuum per modum naturalis inclinationis. Oppoſitum tenet Vaſquez 1. 2. diſp.25. cap.3. Sed concluſio eſt communis, & colligitur ex præfacta Ariſtotelis definitione *violenti*. Dum enim aſſerit violentum eſſe, *in quod nihil confertis, qui agit aut patitur*, vtrunque reſiſtens principium videtur includere, actiuum videlicet in eo quod agit, & paſſiuum, in eo quod patitur. Idemque inſinuat Diuus Thomas, 1. 2. quæſt. 6. articul.4. ad 2. dicens. *Non ſemper quod paſſum mouetur ab actiuo, violentatur, ſed ſolum quando eſt contra propriam inclinationem*

paſſiui. Propria enim inclinatio paſſiua ſaluatur in principio paſſiuo ad aliquid; ergo ex mente D. Thomæ, vt aliquid ſit violentum, ſufficit quod ſit contra principium paſſiuum ad aliquid, per modum naturalis inclinationis ad illud.

4 Ratione autem & exemplis probatur concluſio. Ratione quidem, quia quod eſt contra principium inclinationis alicuius, dicitur ei violentum, quia ad id per tale ſuum principium actiuum naturaliter poſitiue reſiſtit. Sed ei etiam, quod ſit contra principium paſſiuum per modũ naturalis inclinationis ad aliquid, per talem principium paſſiuum poſitiue reſiſtit paſſum: ergo erit illi violentum. Minor probatur, quia pribcipium paſſiuum per modum naturalis inclinationis ad habendum aliquid, eſt pondus, & naturalis inclinatio ad illud habendum: ergo cum à principio extrinſeco impeditur ab habendo illud, per ipſummet principium paſſiuum, quo ponderat, & inclinatur ad illud habendum, poſitiue reſiſtit illius priuationi.

5 Manifeſtis etiam id comprobatur exemplis. Nam niſi vel per impoſsibile materia prima ab extrinſeco agente omni priuaretur forma: ſi cœlum nunc ſuo priuaretur motu: & ſi potentia viſiua, obiecto approximato, & medio rectè diſpoſito, impediretur, ne ſpecies reciperet viſibiles, proculdubio hæc in his violentiam paterentur: cum enim oppoſitum eſſet

eſſet illis naturale, hoc eſſet illis in naturale & violentum. Et tamen ea ſolum eſſent contra illorum principium paſſiuum, & naturalem paſſiuam eorum inclinationem: neque enim materia ad formas, nec cœlum ad motum, nec viſus ad receptionem ſpeciei viſibilis, aliquod habent principium actiuum.

6 Obijcies teſtimonium D. Tho. q.5. de potentia art.5. ſolut. ad 12. vbi loquens de quiete cœli poſt finem mundi & occurrens argumento, quod fecerat, ad probandum illam tunc fore violentam, ait S. Doctor. *Ad duodecimum dicendum, quod motus cœli, vt dictum eſt, non eſt naturalis propter actiuam inclinationem formalis principij in corpore cœleſti ad talem motum, ſicut eſt in elementis. Vnde non ſequitur, ſi cœlum quieſcit, quod eius ſit quies violenta.* Ergo ex mente D. Thomæ, vt aliquid fit alicui violentum, non ſufficit, quod ſit contra principium paſſiuum illius, ſed requiritur, quod ſit contra principium actiuum.

7 Reſpondetur, quod (vt in eodem articulo explicat Diuus Thomas) cœlum admotum ſolum habet aptitudinem, ratione ſuæ figuræ circularis, & inclinationem naturalem ratione ſui finis, ad quem à Deo eſt creatus, ſcilicet influere in hæc inferiora, vt impleatur numerus electorum, & ſic perſeuerante tali fine, vt nunc perſeuerat; motus eſt cœlo naturalis, & ceſſatio nunc ab illo, eſſet

violenta; ceſſante autem eo fine, vt ceſſabit poſt diem iudicij, ſolum manet in cœlo aptitudo ad motum ratione ſuæ figuræ circularis, non autem manebit tunc in cœlo ad motum inclinatio naturalis, & ita tunc non moueri, non erit cœlo violentum, quia nec habet principium actiuum ad motum per modũ principij actiui emanationis ipſius motus, neque habebit tunc principium paſſiuum per modum inclinationis naturalis ad ipſum motum. Et cùm D. Thom. dixit ceſſationem à motu tunc cœlo non eſſe violentam, quia non habet principium actiuum ſui motus, non aſſignauit cauſam adæquatam, niſi ſupponendo quæ in corpore articuli dixerat, quod nec erit tunc in cœlo principium paſſiuum ad motum per modum naturalis inclinationis ad illum. Hoc enim principium paſſiuum, quod eſt pondus & inclinatio ad motum, reſiſtit ceſſationi motus; ac perinde facit talem ceſſationem à motu eſſe violentam. Non tamen id facit principium paſſiuum, quod non eſt per modum naturalis inclinationis ad aliquid, quia illud ſolum eſt capacitas, non autem pondus, & inclinatio ad talem terminum, ac perinde non reſiſtit priuationi illius.

8 Nec ex noſtra concluſione ſequuntur inconuenientia, quæ ex illa inferre conatur Vazquez, nempe aerem violentari in eſſe tenebroſum, quia id eſt contra inclinationem eius paſsiuam ad lucem.

§. Ma-

§. Materiam primam violentiam pati in amiſſione cuiuſuis formæ & introductione alterius, quia id eſt contra inclinationem paſſiuam, quam habet ad formam, quam amittit. §. Et denique humanitati Chriſti violentiam inferri in carẽtia propriæ ſubſiſtentiæ, vtpote quæ ad illam paſſiuam habet propenſionem.

9 Non, inquam; hæc ſequuntur ex noſtra concluſione inconuenientia. Non primum nec ſecundum, quia aer non habet inclinationem paſſiuam determinate ad lucem, ſed vage inclinatur ad lucem, vel ad tenebras. Sicut & materia prima non determinate inclinatur ad hanc, vel illam formam, ſed vage ad omnes, & ſic ſolum erit contra eius inclinationem paſſiuam, ac perinde violentum omni carere forma, & contra inclinationem aeris eſſet carere luce ac tenebris. Inclinatio enim vagè ad vnum, vel ad alterum, quæ ſimul haberi non poſſunt, nec fruſtratur, nec violentatur per hoc quod vtrumque ſimul, nec alterum determinate non habeat, ſed ſolum ſi neutrum haberet.

10 Nec ſequitur etiam tertium incõueniens, imò ad illud tenetur reſpondere ipſe Vazquez: cum enim probabilius ſit, quod non ſolum principium paſsiuum, ſed & actiuum ad propriam ſubſiſtentiam eſt in natura, quia vt a principio actiuo ab illa dimanat, ſi priuatio propriæ ſubſiſtentiæ eſſet contra principium paſsiuum humanitatis Chriſti, eſſet etiam

contra principium actiuum illius, & conſequenter illi violenta. §. Dicendum ergo eſt, quod contra nullum humanitatis Chriſti principium eſt, quod careat propria ſubſiſtentia, quia omnis eius ad illam inclinatio ſatiatur per ſubſiſtentiam verbi, quæ cum infinita ſit, & continens eminenter omnem ratione ſubſiſtentiæ propriæ, præſtat humanitati quidquid ipſa ei præſtaret propria ſubſiſtẽtia, & conſequenter faciat omnem eius appetitum, & inclinationem ad propriam ſubſiſtentiam, & per carentiam propriæ non violentatur humanitas, violentaretur autem, ſi careret propria, & non terminaretur diuina ſubſiſtentia.

QVAESTIO V.

Vtrùm naturalia diſtinguantur ab artificialibus.

HAnc difficultatem tangit Philoſophus in hoc ſecundo lib. cap. 2. & cum eo noſter Author quæſtion. 2. eiuſdem libri, & ex his quæ ibi aſſerit, breuiter, & reſolutoriè ad quæſtionem affirmatiue reſpondetur. Et differentia inter naturalia, & artificialia ex ipſo Philoſopho, loco citato, & Diuus Thoma ibi lection. 1. & lection. 14. ea eſt, quod natu-

turalia habent in ſe principium ſui motus; non vero artificialia, quod ſic probatur. Nam forma naturalis, per quam conſtituitur ens naturale, vt forma naturalis lapidis, eſt principium motus ipſius lapidis, ſcilicet motus deorſum, & ſic quælibet forma naturalis conſtitutiua alterius cuiuslibet entis naturalis, eſt principium alicuius motus ipſius entis naturalis. Forma autem artificialis nullius motus eſt principium. Ergo ens naturale diſtinguitur ab artificiali, quia illud habet principium ſui motus, iſtud vero non.

Confirmatur. Quia etiam ſi ars, quæ eſt in mente artificis, eſſet principiũ alicuius motus in ipſo artifice (vt aliqui intendunt) id non ſufficeret, vt ens artificiale habeat principium ſui motus, quia per artem non conſtituitur ens artificiale, ſed conſtituitur artifex; ens autem artificiale conſtituitur per terminum artis, ſcilicet per formam artificialem. Ergo dum ipſa forma artificialis non ſit principium motus ipſius entis artificialis, etiam ſi ars eſſet principium motus eius, in quo talis reperitur ars, non ob id ens artificiale haberet principium ſui motus, ac perinde ſemper in eo diſtinguetur ab ente naturali.

3 Sed reuera nec ars eſt principium motus eius, in quo talis ars eſt, quia cum ars ſit in mente artificis, & nulla crea-

creatura agat phiſice tranſeunter per actū intellectus, nec per principium, quod eſt in intellectu (ſolus enim Deus per ſuas ideas extra ſuum intellectum aliquid producit) ars, quæ eſt in mente artificis, dirigit quidem,& regulat motus ipſius artificis, vt ars citharicandi, quæ eſt in mente muſici, dirigit & regulat motus manuum citharicantis quod numerum, & diſpoſitionem ipſorum motuum; non tamen ipſa ars eſt quoad ſubſtantiam talis motus principium, ſed forma ſubſtantialis ipſius citharedi: & ita non ſolum ens artificiale non habet principium ſui motus, ſed nec artifex formaliter, vt artifex habet principium ſui motus, nec eius ars habet rationem naturæ.

4 Obijcies primo. Quod aliqua ſunt artificialia, quorum forma artificialis eſt principium motus illorum. Ergo artificialia vt artificialia habent principium ſui motus, perperamque perinde illa diſtinguimus ab entibus naturalibus. Antecedens probatur. Nam licet nauis actiue moueatur per aquas à vento, vel à remigibus, & plauſtrum actiue moueatur ab illud portantibus; tamen nauis ratione ſuæ formæ artificialis, & plauſtrum ratione formæ artificialis rotarum habent principium paſsiuum talis motus, nec enim abſque tali forma poſſet nauis moueri, vt mouetur ſuper aquam, nec abſque tali forma artificiali

ro-

rotarum poſſet plauſtrum moueri, vt mouetur ab equis.

Confirmatur. Nam ars citharicandi, aut ſaltandi eſt principium motus, qui eſt in ipſo habente artem: nec enim abſque tali arte moueretur motibus citharicandi, aut ſaltandi. Ergo ars eſt principium motus, eius in quo eſt; ac perinde artificialia non diſtinguuntur à naturalibus, in eo quod hæc habent principium ſui motus, non vero illa.

5 Reſpondetur ad argumentum negando antecedens, & ad probationem dico cum noſtro Authore, quod talium motuum quoad illorum ſubſtantiam principium paſſiuum eſt ipſa forma naturalis ligni, ex quo conficitur nauis, & ligni, ex quo conficitur plauſtrum, quia ratione ipſius formæ naturalis ligni, habet nauis, quod poſſit ſupernatare, & non ſubmergi in aquis, licet quoad modum, & maiorem velocitatem motus nauis, & plauſtri conducat eorum figura artificialis; id tamen non ſufficit, vt artificialia dicantur vt talia habere in ſe principium ſui motus, nec vt non diſtinguantur à naturalibus, quæ abſolute, & quoad ſubſtantiam habent principium ſui motus. §. Eodem modo reſpondetur ad confirmationem, quod in cythar edo non ars, ſed ſua forma naturalis eſt principium motus cytharicandi quo ad ſubſtantiam, licet ars ſit principium illius quoad modum, vt ſcilicet fiat cum talibus numeris, & conſonantia; & id non

ſuf-

ſufficit, vt ars habeat rationem naturæ, quia ad id requiritur, quod ſit principium motus quo ad ſubſtantiam eius, in quo eſt.

6 Obijcies ſecundo. Quod per artem fiunt quandoque entia naturalia, vt per artem paniſicus facit ex tritico panem, & medicus per artem medicinæ cauſat ſanitatem, quæ eſt in genere entis naturalis. Ergo opera naturalia, & artificialia non diſtinguuntur, ſiquidem vtraque poſſunt fieri media arte.

7 Reſpondetur, quod ars virtute propria nullam formam poteſt cauſare naturalem, ſed ſolum applicando actiua paſſiuis, & tunc forma, quæ cauſatur, non cauſatur ab arte, ſed à corporibus, quæ applicantur. Vnde nunquam res naturalis eſt proprius effectus artis, ſed ſolum proprius effectus illius eſt forma artificialis.

8 Obijcies tertio, quod aliqua forma artificialis non diſtinguitur ab ipſo ente naturali. Ergo cum artificialia conſtituantur per formam artificialem nec ipſa entia artificialia diſtinguuntur ab entibus naturalibus. Antecedens probatur. Nam cum fuſtis incuruatur, vt ex illo fiat arcus, vel extrema auri coniunguntur, vt ex illis fiat anulus, nec forma artificialis arcus, nec forma artificialis anuli diſtinguitur à tali ente naturali, fuſte videlicet vel auro, quia id ſolum fit ab artifice per motum localem, per quem nihil reale vi-

de-

detur produci in tali materia.

9 Reſpondetur cum noſtro authore, quod talis forma artificialis cum ſit figura & terminus quantitatis licet ſit qualitas, identificatur cum ipſa quantitate; diſtinguitur tamen realiter entitatiue, ſicut & ipſa quantitas, à forma ſubſtantiali ligni, aut auri, & à quantitate ad minus diſtinguitur realiter formaliter, cum pertineat ad diuerſum prædicamentum ac ipſa quantitas. Et id ſufficit, vt artificialia diſtinguantur à quolibet ente naturali.

QVÆSTIO VI.

Quid ſit cauſa, & an ſit à ſuo effectu realiter diſtincta, prior & perfectior illo.

VT breuiter his omnibus ſuo ordine reſpondeamus. Dico primo. Quamuis Ariſtoteles cauſam in communi non definiens, ſolum illius ſpecies explicauerit, cauſa tamen in communi cum noſtro Authore in præſenti, quæſt. 3. ex D. Thom. in hoc 2. Phiſicor. lect. 10. definitur, quod ſit, id *ex quo aliud ſequitur*, & intelligitur de ſequela phiſica per verum influxum cauſæ in effectum, & dependentia effectus à cauſa. Per quod à ratione cauſæ excluduntur priuatio, terminus à quo, & conditiones ſine quibus non, quæ licet requirantur ad effectus; nullum tamen iſtorum ve-

vere, & propriè in aliquem influit effectum. Per ly *aliud* excluditur patet diuinus à ratione cauſa reſpectu filij, quia licet ſit illius principium, & filius ſit alius à patre, non tamen aliud à patre. Teſte enim D.Thom. 1.par. quæſt.3. art.3. ad 4. *aliud* denotat diuerſitatem in natura.

2 Dico ſecundo. Omnis cauſa realis realiter debet diſtingui à ſuo effectu, quia (vt diximus) cauſa realis realiter influit in ſuum effectum, & effectus realiter dependet à cauſa. Sed nihil poteſt realiter in ſemetipſum influere, aut à ſemetipſo realiter dependere. Ergo omnis cauſa realis realiter diſtinguitur à ſuo effectu.

4 Dico tertio. Omnis cauſa in eo formaliter, quod actualiter cauſa, eſt prior natura ſuo effectu. Pro quo eſt aduertendum, quod cauſa tripliciter poteſt accipi, vel materialiter pro ipſa re, quæ eſt cauſa, & hoc modo aliquæ cauſæ poſſunt prioritate temporis antecedere effectus, licet ea præcedentia ad rationem cauſæ non requiratur. Vel prout formaliter dicit relationem prædicamentalem ad effectum, & hoc modo eſt ſimul natura, cum ipſo effectu; quia relatiua prædimentalia ſunt ſimul natura, & cognitione. Tertio modo poteſt accipi cauſa formaliter, vt actu cauſans, & prout tali cauſatione fundat relationem ipſius cauſæ ad effectum. Et prout ſic ſumitur cauſa, dicimus quod debet eſſe prius natura, ſuo effe-

effectu. Id enim ita expræſſe docet Diu. Thom. quæſt.28. de veritate art.7. dicens. *Quod in quolibet genere cauſa cauſa naturaliter eſt prior cauſato*. Et probatur. Quia (vt diximus) de ratione cuiuslibet cauſæ eſt; quod ab illa dependeat effectus. Sed id à quo aliquid dependet, debet eſſe prius ſaltem natura illo, quod ab ipſo dependet: ergo omnis cauſa, eo modo quo cauſat, debet eſſe prior natura ſuo effectu. §. Conſulto dixi, quod omnis cauſa eo modo quo cauſat eſt prior ſuo effectu, quia ſi cauſet vt realiter exiſtens, vt cauſat cauſa efficiens, debet prius natura realiter exiſtere, quam illius effectus, ſi autem cauſet non vt exiſtens, ſed vt tendens ad exiſtentiam, qualiter materia cauſat recipiendo formam, non requiritur, quod præintelligatur prius exiſtens, quam forma recepta, ſed ſufficit, quod intelligatur prius tendens ad exiſtentiam. Ac denique ſi cauſa cauſet vt exiſtens in appræhenſione, qualiter cauſat cauſa finalis, ſufficit quod intelligatur prius in appræhenſione exiſtens, quam eius intelligatur effectus.

4 Dico quarto, licet in modo cauſandi omnis cauſa ſit perfectior ſuo effectu; abſolute tamen in eſſe entis aliquæ cauſæ ſunt perfectiores ſuo effectu, aliæ vero non. Prima pars patet. Quia à qualibet cauſa dependet effectus. Sed id à quo aliquid dependet, habet modum perfectiorem, quam id, quod ab illo depen-

det;

det: ergo omnis cauſa, in eo quod cauſa eſt perfectior, ſaltim quoadmodum ſuo effectu. §. Secunda autem pars concluſionis habetur à D.Thoma, quæſt.7 de veritate art.7. ad 1. dicente, *quod quædam cauſa ſunt nobiliores his, quorum ſunt cauſæ, ſcilicet efficiens, formalis & finalis, ſed materia eſt imperfectior eo, cuius eſt cauſa.* Et probatur concluſio, quia materia vtpote ens in potentia, eſt imperfectior forma, & toto compoſito: & diſpoſitiones, quæ ad formam vt via ad terminum, & vt imperfectum ad perfectum ordinantur, ſunt imperfectiores ipſa forma. Forma vero ſi comparetur ad materiam, eſt perfectior illa, imperfectior tamen compoſito, quod conſtituit, quia omne conſtitutum eſt perfectius, quodlibet illud conſtituente. Cauſa vero efficiens, ſi ſit cauſa principalis, debet eſſe perfectior, vel ſaltem æque perfecta cum effectu; ſi vero ſit cauſa inſtrumentalis, poteſt eſſe imperfectior effectu licet non repugnet, quod ſit æqualis, vel maioris perfectionis quam ille; ſicut malleus, quo artifex alium conficit malleum & clauos, eſt æqualis perfectionis in ratione artificiati cum malleo, & maioris perfectionis quam claui. §. Cauſa denique finalis, ſi ex natura ſua ſit finis, perfectior debet eſſe finalizato; ſi vero ſolum ſit finis ex intentione operantis, poteſt eſſe perfectior vel imperfectior finalizato. Primum docet D.Thom. in 2.diſt.15. art.1. ad 6. dicens. *Quod aliquid*

quid poteſt eſſe propter aliud dupliciter, vno modo, quia ordinatur ad ipſum ſicut ad ipſum finem proprium & principalem : & ſic inconueniens eſt dicere, quod aliquid ſit propter vilius ſe, vt luna & ſtella propter veſpertilio-nes, & noctuas : cum finis potior ſit his, quæ ſunt ad finem. Hæc D. Thom vbi conſulto loquitur de fine proprio & principali, vt excludat finem per accidens, qui ſolum finalizat ex voluntate & intentione operantis, de quo dicemus poſſe eſſe perfectiorem finalizato, quia poteſt aliquis ex ſua intẽtione operari propter aliquid perfectius vel imperfectius tali operatione.

QVÆSTIO VII.

Vtrum cauſa adæquate, & vniuoce in quatuor cauſarum genera diuidatur?

Dico primo. Tantum ſunt quatuor genera cauſarum, materialis videlicet, formalis, efficiens, & finalis. Ita omnes communiter cum Ariſtotele in hoc ſecundo libro, capit. 3. & Diuo Thoma ibidem lect. 10. & opuſc. 31. Et cum concluſio ſit propoſitio excluſiua, probatur per ſuas exponentes. Et primam, quod videlicet ſint quatuor prædicta genera cauſarum, probat in prædicto opuſculo Diuus Thomas. Quia omnia illa concurrunt ad

ad compoſitum naturale: illud enim cum non poſſit fieri ex nihilo, fit ex aliquo præſuppoſito, quod eſt materia. Sed materia cum ſit pura potentia non poteſt ſpeciem tribuere compoſito: ergo ad id requiritur forma quæ eſt cauſa formalis. Forma autem non poteſt extrahere ſemetipſam de potentia ad actum: ergo vt illam educat de potentia ad actum, requiritur agẽs, quod eſt cauſa efficiens. Et cum omne agens agat propter finem, requiritur ad cuiusſibet entis naturalis productionem, finis concurrens in genere cauſæ finalis. Et ſic iam dantur quatuor prædicta genera cauſarum.

2 Secunda autem exponens, quod videlicet non ſint plura quam quatuor genera cauſarum, probatur, oſtendendo omnes cauſas, de quibus poterat dubitari, an ſint præter prædicta genera cauſarum, re vera ad aliquam illarum pertinere vel reduci. Diſpoſitiones enim cum reddant materiam aptam, ad recipiendam formã, pertinent ad genus cauſæ materialis. Obiectum autem & quilibet terminus, actus tendentiæ vel potentiæ, licet ipſum actum vel potentiam non informet, ac perinde non ſit cauſa formalis intrinſeca; quia tamen licet extrinſice, ſpecificat actum, potentiam vel tendentiam, concurrit in genere cauſæ formalis extrinſecæ. §. Similiter exemplar ſeu idea in mente artificis exiſtens, quia conformiter ad illam operatur artificialia, concurrit ad illa in ge-

genere cauſæ formalis extrinſecæ; & ob id Ariſtoteles dixit, quod *forma eſt ſpecies & exemplar*. §. Inſtrumentum, autem, cum agat virtute agentis principalis, pertinet ad genus cauſæ efficientis, & ad illud etiam reducitur principium actiuum naturalis emanationis, qualiter eſſentia eſt principium ſuarum proprietatum, & fundamentum eſt principium, ex quo reſultat relatio. Quia licet hæc non agant per propriam efficientiam, reducuntur ad cauſam efficientem, quatenus vt ab illis tales effectus dimanant, prærequiritur illa eſſe in actu.

3 Dico ſecundo. Vniuoce dicitur cauſa de quatuor prædictis generibus cauſarum. Oppoſitum aliqui tenent. Sed concluſio eſt communior. Quia licet nomen influxus deriuetur ab eo, quod eſt agere, vel efficere, communius accipitur prout dicit quodcumque alicui tribuere, vel illud conſtituere cum dependentia illius ab ipſo. Et ſic influere in ſuum effectum, ſimpliciter conuenit omni cauſæ. Et quamuis rationem cauſæ vna non poſſit exercere ſine alia; quælibet tamen abſque participatione ab illa, ſuam habet rationem cauſæ. Ergo ratio communis cauſæ ſaltim creatæ eſt omnibus generibus cauſarum vniuoca. Dixi *ſaltem cauſa creata*, quia cauſa finalis, & efficiens (ſolum Deo competere poteſt) analogice dicitur de cauſa finali, & efficiente creata & increata. Quia nihil commune vniuocum

da-

datur Deo, & creaturis, & multo minus ratio cauſæ, cum quælibet cauſa creata in ratione cauſæ dependeat à Deo.

QVÆSTIO VIII.

In quo conſiſtat ratio cauſæ, cauſalitas & effectus materiæ, & formæ.

IAm de cauſis in particulari incipimus agere. Et quia cauſalitas, & effectus formæ, & materiæ, ita inter ſe connectuntur, vt vix poſſint, niſi ſimul explicari, de vtraque tali cauſa, eius cauſalitate, & effectu in hac quæſtione dicemus, ſuppoſitis his, quæ libro præcedenti, quæſtion. 19. de vnione formæ, & materiæ abſque aliquo modo aut vinculo ab vtroque extremo realiter diſtinctio reſoluimus, & quæ de cauſalitate formæ, & materiæ in eadem quæſtione num. 11. inſinuauimus. Vndè omiſſis pluribus, quæ hic ab aliquibus congeruntur, breuiter hanc quæſtionem aliquibus concluſionibus reſoluemus.

2 Dico igitur primo: Materia, & forma per ſuaſmet entitates, & abſque omni alio ſuperaddito, habent virtutem cauſandi, & ſunt cauſa in actu primo. Concluſio eſt communis, & probatur: quia: quia materia (vt ſtatim dicemus) cauſat recipiendo formam: & forma cau-

ſat

ſat actuando, & informando materiam. Sed vt materia poſſit recipere formam, nihil aliud in ea requiritur, quam potentialitas, & capacitas ad talem formam, quæ vtique potentialitas ab ipſa materia nullatenus realiter diſtinguitur: & vt forma cauſet actuando, & informando materiam, nihil aliud requiritur, quam quod ſit actus: & ipſa forma ſubſtantialis per ſuammet entitatem eſt actus. Ergo materia & forma ſubſtantialis perſuaſmet entitates, & abſque omni prorſus aliquo eis ſuperaddito, ſunt cauſæ in actu primo, & habent virtutem ſuas proprias exercendi cauſalitates.

3 Nec huic obſtat, quòd materia vt actu cauſet, & recipiat formam, indigeat diſpoſitionibus, quæ cum ſint accidentia ab ipſa materia realiter diſtincta, videntur conſtituere materiam in ratione cauſæ, vel ſaltem complere eius virtutem cauſandi: ac perinde iam materia per ſolam ſuam entitatem, & abſque omni alio ſuperaddito non erit completa in ratione cauſæ, neque habebit virtutem completam cauſandi. §. Non, inquam, id obſtat: diſpoſitiones enim naturaliter requiſitæ, vt materia recipiat formam, non præbent ipſi materiæ virtutem cauſandi, quia ſi id eſſet oporteret illas in ipſa materia recipi, & non in illa, ſed in compoſito genito, vel corrupto recipiuntur: ſed materia ſicut ex ſe habet capacitatem ad omnem formam, ita etiam ex ſe habet virtutem

quamlibet illam recipiendi, & eam recipiendo ſuam circa illam exercendi cauſalitatem; per diſpoſitiones autem antecedentes quamuis non recipiat materia virtutem cauſandi, determinatur tamen, vt magis hanc quam illam formam recipiat.

4 Dico ſecundo. Cauſalitas materiæ eſt receptio formæ, & per eandem receptionem compoſitio compoſiti, cauſalitas vero formæ eſt actuatio, & informatio materiæ, & per eandem informationem compoſitio compoſiti. Explicatur concluſio. Dicimus enim, quod licet in materia, & in forma diſtinguamus ab earum entitate, & virtute cauſandi ſuam actualem cauſalitatem; non tamen per id, quod talis cauſalitas ſit aliquid realiter entitatiue ſuperadditũ ſed quod materia, quæ hanc numero non recipiebat formam, per id ſolum quod de nouo hanc recipiat formã (quod vt in prædicta quæſtione 16. præcedentis libri oſtendimus, abſque aliquo modo, aut vinculo vnionis à materia, & forma realiter diſtincto contingere poteſt) ſuam erga talem formam exercet cauſalitatem; & quia recipere non poteſt materia formam, quin cum illa vniatur, immo talis receptio formæ eſt formaliſſime vnio materiæ cum forma, & ipſum vniri materiã cum forma ſit compoſitio totius compoſiti, materia per receptionem formæ ſuam erga ipſam formam exercet cauſalitatem, & ſimul componit compoſitum,

quod eſt exercere materiam erga illud ſuã cauſalitatem. Et ſolum in hac cauſalitate materiæ poſſumus per conceptus inadæquatos diſtinguere cauſalitatem illius erga formam, & illius cauſalitatem erga totum compoſitum, & dicere quod conceptus cauſalitatis materiæ erga formam eſt prior in executione conceptu cauſalitatis materiæ circa totum compoſitum, licet hic ſit prior in intentione, quia quod primo intendit materia, eſt compoſitum, licet vt hoc reſultet, prius per noſtros conceptos inadæquatos intelligamus materiã recipere formam, & formam actuare materiam.

5 Per hoc proportionabiliter patet ſecunda pars concluſionis. Dicimus enim, quod licet cauſalitas formæ diſtinguatur à ſua entitate; non tamen per id: quod aliquid realiter entitatiue addat ſupra ipſius formæ entitatem, ſed per id quod forma, quæ licet actu exiſtens non actuabat materiam, vt anima rationalis poſt mortem hominis à materia ſeparata, cum poſtea per reſurrectionem re vniatur materiæ; ſuam erga illam exercebit cauſalitatem, per id præciſſe, quod ipſam materiam actuet, & in formet; & illi vniatur (quod vtique, vt in prædicta quæſt. 16. præcedentis libri oſtendimus, abſque aliquo ſit modo ab ipſa forma realiter diſtincto) & media tali actuatione, & informatione materiæ, & vnione cum illa, forma componit compoſitum, & ſuam erga illud

exercet cauſalitatem: & ſolum cauſalitas formæ erga materiam, & erga compoſitum diſtinguitur per noſtros cõceptus inadequatos cum prioritate vnius ad alterum via originis, & via intentionis, ſicut de cauſalitate materiæ explicuimus.

6 Cum autem cauſalitas materiæ, & formæ ſit permanens, & perſeueret, dum durat compoſitum, poſſumus dicere, quod in principio informationis materiæ per formam conſideratur cauſalitas materiæ, & formæ infieri, & dum talis informatio, & vnio iſtorum extremorum, & compoſitum ex illa reſultans permanet, conſideratur cauſalitas materiæ, & formæ in facto eſſe, quia cauſalitas in facto eſſe non ponit in numero cum ipſo effectu, & ſic explicata concluſio non indiget maiori probatione, quia per hæc ſolum ſufficienter ſaluatur tota cauſalitas materiæ, & formæ.

7 Nec huic obſtat, quod tam cauſa formalis, quam materialis aliter realiter ſe habent, cum actu cauſant, quam antequam cauſent, vel intelligantur cauſare: ac perinde videtur illarum cauſalitatem eſſe aliquid illis realiter ſuperadditum, cũ nihil poſſit aliter realiter ſe habere, niſi aliquid reale realiter ei ſuperadditum de nouo acquirat. §. Non inquam, id obſtat, quia licet cum materia actu cauſat, eius cauſalitas non ſit aliquid reale ei ſuperadditum, ipſa tamen materia realiter recipiens formam, per illam realiter mutatur,

& aliter realiter intelligitur ſe habere, ac ſi illam non reciperet. Et ſimiliter cum forma actu cauſat, licet eius cauſalitas non ſit aliqua entitas aut modus ei realiter ſuperadditus, quia tamen ipſa forma realiter recipitur, & limitatur in materia. per id realiter mutatur, & aliter realiter ſe habet, ac antequam in materia reciperetur.

8 Dico tertio. Effectus materiæ eſt ipſa forma, vt recepta, & limitata in materia, & ipſum compoſitum, effectus autem formæ eſt ipſa materia vt actuata forma & ipſum compoſitum. Explicatur ſimul & probatur concluſio. Quia illud eſt effectus cuiuslibet cauſæ, quod reſultat ex illius cauſalitate. Sed ex cauſalitate materiæ, quam diximus eſſe receptionem formæ & compoſitionem compoſiti ſubſtantialis, reſultat forma recepta & limitata in materia, & reſultat ipſum compoſitum: ergo totum hoc eſt adæquatus effectus materiæ: & ex cauſalitate formæ, quam diximus eſſe actuationem & informationem materiæ & compoſitionem compoſiti, reſultat ipſa materia, vt actuata & informata per formam, & ipſum compoſitum: ergo totum hoc eſt adæquatus effectus formæ.

9 Hinc ſequitur, quod cum forma etiam vt informans & actuans materiam, & vt in materia limitata & recepta ſit diſtincta realiter ab ipſa materia etiam vt actuata per formam, & ipſam formam recipiente, & quælibet iſtarum partium

ſeorſum ſumpta ſit diſtincta realiter à toto composito, penes realiter incluſum & non incluſum, adæquatus & inadæquatus effectus formæ & materiæ à tali ſua cauſa realiter entitatiue diſtinguitur: ac perinde habent ſufficientem diſtinctionem, vt inter talem cauſam & effectum interueniat realis relatio prædicamentalis.

10 Aduerſus hoc obijcies, quod iuxta commune proloquium effectus formalis formæ eſt ipſa forma communicata: ac perinde cum forma concurrat in genere cauſæ formalis, & effectus illius debeat eſſe effectus formalis, non videtur aſſignabilis alius effectus formæ, quam communicatio ipsius formæ, perperamque perinde aſſignatur effectus formæ ſubſtantialis aliquid realiter ab ipſa forma diſtinctum, ſcilicet ipſa materia, vt actuata & informata per formam. §. Reſpondetur, quod duplex eſt effectus formalis, intrinſecus videlicet & quasi extrinſecus. Intrinſecus eſt ipſa communicatio formæ: extrinſecus autem vel quasi extrinſecus eſt id, quod recipit talem formam, & illius effectum, formaliter vt illum vel illam recipiens, & sic effectus formalis intrinſecus formæ ſubſtantialis eſt ipsius formæ communicatio ad materiam: effectus autem extrinſecus vel quasi extrinſecus talis formæ eſt ipſa materia vt actuata & informata per formam, quia per talem actuationem materia mutatur realiter, recipit ipſum eſſe ſubſtantiale formæ, & fit capax

reci-

recipiendi exiſtentiam. Et non dixi hunc effectum eſſe abſolute extrinſecum formæ, ſed quaſi extrinſecum, quia licet cauſetur à forma in materia realiter ab ipſa diſtincta; cauſatur tamen per intrinſecam communicationem ipſius formæ ad materiam, & sic talis effectus formalis in materia non dicitur omnibus modis extrinſecus ad differentiam effectus formalis alicuius formæ in aliquo per ſolam extrinſecam terminationem ad illud.

QVÆSTIO IX.

Vtrum idea ſeu exemplar ſit vere cauſa, & ad quod genus cauſæ pertineat?

QVamuis aliquid circa hoc ſupra, q.6. num 2. dixerimus, id nunc ex profeſſo, breuiter tamen eſt explicandum, ſupponendo prius quod teſte Diuo Thoma, q.3. de veritate, art.1. *idea eſt forma, quam aliquis imitatur ex intentione agentis determinantis ſibi finem*, quæ definitio coincidit cum alia, quæ communiter circunfertur, *quod idea eſt id ad quod reſpiciens artifex operatur*, & cum forma poſſit accipi & pro forma, qua aliquid conſtituitur, & prout media illa agens naturale operatur: ac denique pro forma prout imitabi-

li ad aliquid faciendum, forma in prædicta definitione ponitur loco generis et determinatur per ſequentes particulas. Per id enim quod dicitur ideam eſſe formam, *quam aliquis imitatur*, diſtinguitur idea à forma intrinſeca, quæ producitur ad imitationem formæ idealis, & illam nullus imitatur. Per id autem quod additur *ex intentione agentis determinantis ſibi finem* diſtinguitur idea à forma, qua quis naturaliter vel fortitudo operatur.

2 Idea autem nec eſt ipſum obiectum vt ad extra exiſtens, quia vt ſic agens illud non imitatur, nec eſt ipſe conceptus artificis præciſse, vt eſt ratio illi cognoſcendi, ſed formaliter vt continet obiectum, ad quod reſpiciens artifex, illudque imitando operatur. Vt vtrumque docet, D. Thom. 1. part. quæſt. 15. art. 2. in corpore, dicens, *Ideam operati eſſe in mente operantis, ſicut quod intelligitur, non autem ſicut ſpecies, qua intelligitur, quæ eſt forma faciens intellectum in actu. Forma enim domus in mente ædificatoris eſt aliquid ab eo intellectum, ad cuius ſimilitudinem domum in materia format*. Vnde cum obiectum in intellectu ſit immateriale, idea differt ab opere ideato, ſicut imitabile ab imitato, & ſicut forma immaterialis à forma in materia. In Deo autem, quia illius eſſentia continet formaliter vel eminenter quamlibet rem, illius eſſentia ab intellectu diuino cognita vt diuerſimode imitabilis à creaturis habet multiplicem rationem idealē.

3 Si

3 Si autem obijcias, quod D. Thom. quæſt.3. de veritate art.1. dicit, *eſſe proprium Dei, quod eius ideæ ſunt tantum in mente diuina & non extra*: ac perinde videtur ſentire quod in alijs præter Deum non ſolum reperiantur ideæ in eorum intellectu, ſed etiam extra illum. §. Reſpondetur, quod quia artifex aliqnando imitatur obiectum ad extra ad aliud ſimile faciendum (quod numquam facit Deus) tale obiectum ad extra licet minus proprie vocatur artificis idea, extra ipſius artificis mentem, licet idea magis propriè, & quæ ſemper concurrit ad opus artis, ſit in mente artificis.

4 His ſuppoſitis pro reſolutione quæſtionis. Dico primo. Idea vere, & propriè habet rationem cauſæ phiſicæ. Concluſio eſt communis, & probatur ratione Diui Thomæ 1.part. quæſt.44. artic.3. ad hanc formam reducta, quia artifex ad opus artis determinatur media idea in eius inintellectu exiſtente. Ergo illa eſt vere cauſa phiſica; quod enim determinat agẽs ad aliquam phiſicam operationem, vere habet rationem cauſæ phiſicæ. Antecedens probatur, quia artifex cum agat per intellectum, & voluntatem, quæ non ſunt ad vnum determinata, oportet, quod ad ſic operandum intellectualiter determinetur. Sed non determinatur per artem, cum illa ſit indifferens ad plures, imò ad oppoſitas formas. Ergo ad formam determinatam artificialem determinatur arti-

tifex per ideam in illius mente exiſtentem.

5 Dico ſecundo. Cauſalitas exemplaris poteſt reduci ad genus cauſæ finalis, efficientis, & formalis, proprius tamen pertinet ad genus cauſæ formalis. Concluſio quoad illius quatuor partes eſt communis inter Thomiſtas, & prima illius pars, quod videlicet talis cauſalitas poſſit reduci ad cauſam finalem, deducitur ex Diuo. Thoma 3. contra gentes, cap.19. dicente: *Res omnes creatæ ſunt quadam imagines primi agentis, ſcilicet Dei, agens enim agit ſibi ſimile: perfectio enim imaginis eſt, vt repræſentet ſuum exemplar per ſimilitudinem ad ipſum; ad hoc enim imago inſtituitur. Sunt igitur res omnes propter diuinam ſimilitudinem conſequendam, ſicut propter vltimum finem.* Cum igitur, vt ex prædicta ratione D.Thomæ colligitur, operans artificialiter, quodammodo operetur propter aſſimilandum id quod operatur, exemplari in eius mente exiſtenti, talis idea ſeu exemplar aliqualiter habet rationem cauſæ finalis reſpectu artificiati.

6 Secunda autem pars concluſionis, videlicet quod idea etiam poſſit reduci ad genus cauſæ efficientis, colligitur ex D. Thom. 1.part. quæſt.45. art.6. vbi ait. *Artifex per verbum in intellectu conceptum & per amorem ſuæ voluntatis ad aliquid relatum operatur. Vnde & Deus pater operatus eſt creaturam per ſuum verbum, quod eſt filius,*

&

& per ſuum amorem, qui eſt Spiritus Sanctus. Hæc D.Thom. vbi cum compatet operationem artificis per ſuum verbum, & ideã practicam, adiuncto videlicet imperio, & amore voluntatis, operationi qua Deus operatur creaturas, & has proculdubio Deus operetur ingenere cauſæ efficientis, manifeſte D.Thom. videtur reducere concurſum practicum idealem artificis ad genus cauſæ efficientis. §. Idque etiam hac ratione probatur, quia eo modo ſe habet forma idealis ad effectus artis, ac forma naturalis ad effectus naturales. Sed ad iſtos (vt in ſequentibus videbimus) concurrit in genere cauſæ efficientis forma naturalis. Ergo & in genere cauſæ efficientis concurrit ad effectus artis forma idealis in mente artificis exiſtens. Maior probatur, quia ſicut forma naturalis determinat agens ad effectus naturales, & illos ei intendit aſſimilare, ita ad effectus artis determinat artificem forma idealis in eius mente exiſtens, & illi tales effectus intendit aſſimilare.

7 Tertia denique, & quarta pars concluſionis, quod videlicet idea, ſeu exemplar pertineat, imò proprius pertineat ad genus cauſæ formalis, colligitur ex Ariſtot. 5. metaph. tex. 2. definiente cauſam formalem, *quod ſit ſpecies, ſeu exemplar*, quod explicans, D.Thomas ibidem lect. 2. ait. *Alio modo dicitur cauſa ſpecies & exemplar, & hac cauſa formalis, quia comparatur dupliciter ad rem, vno modo ſicut for-*

ma intrinſeca rei, & hac dicitur ſpecies, alio modo, ſicut extrinſeca à re, ad cuius tamen ſimilitudinem res fieri dicitur, & ſecundum hoc exemplar rei dicitur forma. Et probatur, quia quod dat ſpeciem alicui, in genere cauſæ formalis ad illud concurrit, & ideò forma intrinſece aliquid conſtituens, quia illi tribuit ſpeciem, in genere cauſæ formalis intrinſecæ ad illud concurrit, ſed idea extrinſece tribuit ſpeciem ideato, cū ad inſtar illius, & ad eius ſimilitudinem producatur. Ergo idea proprius in genere cauſæ formalis, quam in alterius genere cauſæ ad opus concurrit artis. §. Ex his ſequitur, quod non oportet ideam, ſeu exemplar quintum genus cauſæ conſtituere, cum ſubquacumque conſideratione ad aliquod ex quatuor generibus cauſarum reducatur, & proprius, & formaliter ad genus cauſæ formalis extrinſece pertineat.

QVÆSTIO X.

Quid & quotuplex ſit cauſa efficiens.

ARiſtoteles in hoc ſecundo libro cap.3. definit cauſam efficientem, *quod ſit principium, vnde primo incipit motus*. In qua definitione *principium* ponitur loco generis in quo conuenit cauſa efficiens

ciens non ſolum cum reliquis cauſis, ſed & cum priuatione, quæ à ratione cauſæ efficientis excluditur, per id quod ad illam non ſequitur motus per verum influxum, qualiter intelligitur in prædicta definitione cauſæ efficientis, quod ab illa incipiat motus. Sicut in definitione cauſæ in communi diximus, quod ſit id, ad quod aliud ſequitur, per verum videlicet influxum, veramque illius dependentiam à cauſa. Per id autem, quod dicitur quod cauſa efficiens eſt, *à qua primo incipit motus*. Diſtinguitur cauſa efficiens ab aliis cauſis, à quibus eo modo quo ſtatim explicabimus, non primo incipit motus. Huiuſmodi autem cauſæ efficientis definitio ſic explicata, non aliter melius, quàm illam aliquibus obiectionibus examinando, comprobabitur.

2 Obijcies ergo primo, quod cum dicitur, quod à cauſa efficienti primo incipit motus, vel intelligitur quod ab illa prius abſolute, quam ab alia cuiuslibet generis cauſa incipiat motus, vel quod à cauſa efficienti in ſuo genere primo incipiat motus. Sed primum eſt falſum, cum priuſquam à qualibet tali cauſa, motus incipiat à cauſa finali, quia cum quodlibet agens agat propter finem, ideò efficiens agit, quia mouetur à fine. Secundum autem non eſt peculiare cauſæ efficientis, nam etiam in genere cauſæ materialis materia eſt à quo primo in tali genere incipit motus. Perperam igitur dicitur

citur quod cauſa efficiens ſit, à qua primo incipit motus.

Reſpondetur, quod indefinitione intelligitur, quod cauſa efficiens eſt, à qua abſolute primo, idéſt priuſquam à qualibet alia cauſa incipit in executione motus, licet enim influxus cauſæ finalis ordinetur per ſe ad executionem, executio tamen ipſa incipit a cauſa efficienti, & quia efficiens agit materia recipit formam,& formam actuat materiam, & finis intentus ponitur in executione.

3 Obijcies ſecundo, quod cauſa ſecunda eſt vere efficiens. Et tamen non ab illa incipit motus: ea enim non niſi vt mota, & determinata per primam operatur. Ergo non eſt de eſſentia omnis cauſę efficientis, quod ab illa primo incipiat motus.

§. Confirmatur, nam inſtrumentum ad genus pertinet cauſæ efficientis. Et tamen cum inſtrumentum non agat, niſi vt motum à cauſa principali, non ab illo, ſed ab illa primo incipit motus: ac perinde id non eſt eſſentiale omni cauſæ efficienti.

Reſpondetur ad argumentum, Solum eſſe de ratione cauſæ efficientis, quod in comparatione ad cauſas alterius generis prius ab illa, quam ab illis incipiat motus, quod vtique cauſæ etiam ſecundæ conuenit efficienti: imò & cauſæ inſtrumentali (vt ſimul etiam confirmationi occurramus) non autem obſtat cauſæ efficienti, quod priuſquam ab illa, ab alia

cau

cauſa efficienti incipiat motus, vt à cauſa prima priuſquam à cauſa ſecunda, & à cauſa principali priuſquam ab inſtrumentali, & per hoc (vt dixi) patet ad confirmationem.

4 Obijcies tertio. Quod eſſe primum principium motus, proprium videtur naturæ, vt ex illius definitione conſtat. Ergo cum etiam cauſa materialis, & forma ſubſtantialis ſit natura, non videtur cauſam efficientem recte definiri per id quod ſit primum principium motus, ſeu id à quo primo incipit motus.

Reſpondetur, quod præterquam quod natura non cuiuslibet motus eſt primum principium, ſed determinate motus eius in quo eſt, de ratione autem cauſæ efficientis ſolum eſt, quod ab illa primo incipiat motus, ſiue in ipſa cauſa efficienti, ſiue in alio externo ſubiecto. Præter hoc, inquam, diuerſimode accipitur primum principium motus in definitione naturæ, ac in definitione cauſæ efficientis: ad hanc enim (vt explicuimus) requiritur, quod ab illa primo, ideſt priuſquam ab alia qualibet cauſa incipiat in executione motus, quod nullatenus requiritur ad rationem naturæ, cum materia, & forma ſubſtantialis ſit vere natura, & non ab illis primo, ſed prius ab efficiente incipit motus. Et cum in definitione naturæ dicitur, quod ſit primum principium motus, primum denotat, quod ſit principium radicale, & non ſufficit ad ratio-

nem naturæ, quod ſit principium proximum motus, etiam eius in quo eſt.

5 Vltimo tandem obijcies, quod cauſa creans eſt vere efficiens, imò & primũ efficiens: & tamen ab illa vt ſic non incipit motus, aut mutatio, quia creatio, cum nullum ſupponat ſubiectum, quod mutetur, non habet rationem motus, aut mutationis. Non igitur ideſt de ratione cuiuslibet cauſæ efficientis. §. Reſpondetur, quod Ariſtoteles ſolum forſam definiuit cauſam efficientem, quæ operatur ex præſuppoſito ſubiecto, ſub qua perinde licet vere efficiens,nõ cõtinetur cauſa creans.Si tamen vellimus etiã definitionẽ ad omnẽ causã extendere efficientẽ,debemus in illa nomine motus intelligere omnem motum aut mutationẽ phiſicam, aut metaphiſicã, &creatio eſt mutatio quatenus intelligitur per modum tranſitus de non eſſe ad eſſe.

6 Quoad ſecundum autem plures poſſunt aſſignari diuiſiones cauſæ efficientis, quas tradit late noſter author, quæſt.3. huius libri, & ſic ſolum eas inſinuabimus, & ex infra dicendis amplius patefient. Diuidit ergo eam primo Ariſt. in hoc ſecundo lib. c.3. in cauſam per ſe, & cauſam per accidens. Cauſa per ſe eſt, aqua ſecundum quod talis eſt, procedit effectus, vt ſtatuarius eſt cauſa per ſe ſtatuæ, quia ab illo, vt ſtatuarius eſt procedit: cauſa autem per accidens eſt, in qua coniungitur aliquid per accidens cauſæ per ſe, vel effectui per ſe: vt muſicus eſt cau-

ſa per accidens ſtatuæ, quia eſſe muſicum per accidẽs coniungitur cum ratione ſtatuarij, quæ eſt cauſa per ſe ſtatuæ, & Polycletus eſt cauſa per accidens ſtatuæ, quia accidit ſtatuario, vt faciat ſtatuam, quod ſit Polycletus, vel alius ſingularis homo, licet vt conditio faciendi ſtatuam requiratur, quod ſit aliquis ſtatuarius indiuiduus, & ſingularis. Et fodiens terrã, eſt cauſa per accidens inuentionis theſauri, quia inuentio theſauri coniungitur per accidens foſſioni terræ, quæ eſt effectus per ſe talis cauſæ.

7 Relicta cauſa per accidens, quæ impropriiſſime eſt cauſa, diuiditur cauſa efficiens per ſe, in cauſam primam, & ſecundam. Cauſa prima eſt, quæ à nullo dependet, & à qua omnes aliæ cauſæ dependent in cauſando, quod vtique ſoli competit Deo. Cauſa autem ſecunda eſt, quæ in cauſando dependet à prima, quod vtique omni cauſæ creatæ competit.

8 Diuiditur etiam cauſa efficiens per ſe in vniuerſalem, & particularem. Vniuerſalis eſt, quæ poteſt cauſare plures effectus diuerſæ rationis. Particularis autem, quæ ad aliquam particularem ſpeciem effectus eſt determinata.

9 Diuiditur etiam cauſa in vniuocam, & æquiuocam. Vniuoca eſt, quæ aſſimilat effectum: æquiuoca vero, quæ non producit effectum ſimilem ſibi, ſed diuerſæ rationis ab ipſa. Ex quo oritur (vt oſtendit D. Thom. 1.p. q.104. art.1. quod

cum

cum cauſa vniuoca præbeat effectui formã eiuſdem rationis, ac eſt forma ipſius cauſæ, licet effectus dependeat ab illa in fieri, non tamen in conſeruari, & quia cauſa æquiuoca non aſſimilat ſibi effectum, nec communicat illi formam eiuſdem rationis, ac habet ipſa cauſa, relinquit effectum vt dependentem ab illa etiam in conſeruari.

10 Diuiditur etiam cauſa efficiens in liberam; & naturalem. Cauſa libera eſt, quæ operatur cum in differentia ad oppoſita: ac perinde poteſt operari, & non operari. Cauſa vero naturalis, ſeu neceſſaria eſt, quæ operatur abſque in differentia, & cum omnimoda determinatione ad effectum: ac perinde debite applicata non poteſt non operari.

11 Diuiditur etiam cauſa efficiens in principalem, & inſtrumentalem. Principalis eſt, quæ operatur per propriam virtutem, & formam. Inſtrumentalis vero, quæ operatur per virtutem cauſæ principalis, ac perinde illi: & non ſibi aſſimilat effectum. Cauſa autem inſtrumentalis diuiditur in inſtrumentum coniunctum, & ſeparatum, vt brachium eſt inſtrumentum coniunctum hominis: & ſerra, penicilus, aut ſecuris eſt inſtrumentum illius ſeparatum.

12 Cauſa etiam efficiens diuiditur in phiſicam, & moralem. Phiſica eſt, quæ illum phiſice attingendo, influit in effectum. Moralis vero, quæ ſolum morali-

ter influit in ipſum, vt conſiliando, orando vel imperando.

13 Cauſa denique particularis alia eſt totalis, alia vero partialis. Totalis eſt, quæ ſe ſola in ſuo genere ſufficit cauſare effectum. Et dico in ſuo genere, quia totalitati cauſæ non obeſt, quod ad ſui effectum indigeat concurſu cauſarum alterius generis, vel alterius ordinis, vt quod cauſa efficiens principalis vt ſuum producat effectum, exigat concurſum cauſæ finalis, materialis, & formalis & etiam cauſarum efficientium diuerſi ordinis vt cauſæ primæ, & cauſarum vniuerſalium. Cauſa vero partialis eſt, quæ ſe ſola in ſuo genere & ordine non ſufficit producere effectum, vt ad portandum lapidem eſt cauſa partialis homo, qui illum non niſi ſimul cum altero homine poteſt portare: vel etiamſi ſe ſolo poſſit talem lapidem portare, attemperat tamen ſuum cōcurſum, & non niſi ſimul cum altero homine illum portat.

14 Aliæ plures poſſunt aſſignari diuiſiones, vt in cauſam in potentiam, & in actu, ſed quia paſſim de illis ſermo ſe offert, & facile intelliguntur, ſufficiat has propoſuiſſe, & quamuis plures illarum adaptari etiam poſſint alijs cauſis, vt diuiſio cauſæ in particularem, & vniuerſalem cauſæ finali, & illi & alijs cauſis aliquæ aliæ iſtarum diuiſionum; tamen quia in cauſa efficienti clarius patefiunt, ſolum in illa aſſignantur.

QVAE-

QVAESTIO XI.

Vtrum forma ſubſtantialis ſit principium quo agens operatur?

DE hoc diſputat noſter author in hoc lib. quæſt.4. duplexque circa hoc extrema verſatur ſententia. Aliqui enim licet pauciſſimi exiſtimantes formam accidentalem eſſe principium quo principale cuiuſcunque productionis etiam ſubſtantiæ, negant formam ſubſtantialem eſſe vllatenus principium quo agendi, aſſeruntque illam ſolum eſſe principium quo eſſendi. Ex alio extremo Scotus in 2. diſtinct.16. quæſt.1. & in 4. diſtinct.12.q.3. & 9. metaph. quęſt.7. & communiter eius diſcipuli exiſtimantes accidens ſolum diſpoſitiue, nullatenus autem efficienter, vel inſtrumentaliter poſſe concurrere ad productionem ſubſtantiæ, aſſerunt ſubſtantiam eſſe immediate operatiuam, & formam ſubſtantialem non ſolum eſſe principium quo radicale, ſed & proximum productionis ſubſtantiæ. Noſter tamen author in prædicta quæſt.4. cum communi Thomiſtarum conſenſu mediam inter has extremas ſententiam, nempe quod cum accidens non poſsit eſſe principium quo principale productionis ſubſtantiæ, & ſub-

ſubſtantia non ſit immediate operatiua, forma ſubſtantialis eſt principium quo principale radicale productionis ſubſtantiæ. Forma vero accidentalis licet poſsit eſſe principium quo proximum principale alterius accidentis; productionis tamen ſubſtantiæ eſt principium quo inſtrumentale. Maioris tamen claritatis, & diſtinctionis gratia in hac quæſtione ſolum explicabimus, an forma ſubſtantialis ſit ſaltem radicale principium quo agendi, in ſequenti, an ſit etiam principium proximum, & immediatum.

2 Dicendum eſt, formam ſubſtantialem eſſe ſaltim radicale principium quo agens agit, & efficienter operatur. Concluſionem docet D. Thomas 1. par. quæſt. 77. art. 1. ad 4. & deducitur ex Ariſtotele pluribus in locis, præcipuè 2. de anima, text. 24. vbi definiens animam ait, illam eſſe formam, qua non ſolum ſumus, & viuimus, ſed qua primo ſentimus, loco mouemur, & intelligimus. Et in hoc lib. 2. cap. 3. text. 17. ait Philoſophus formam eſſe cauſam, & principium motus, quod ſaltem de principio quo radicali debet intelligi.

3 Probatur autem primo concluſio, quia vnumquodque agit in quantum eſt in actu, ita vt ſi agens calefacit, calefaciat in quantum eſt actu calidum, & ignis ſi producit ignem, producit illum, in quantum eſt actu ignis. Sed vnumquodque agens ſubſtan-

ſtantiale eſt actu tale per formam ſubſtā-tialem, vt per principium quo eſſendi. Ergo ipſa forma ſubſtantialis eſt principium quo agendi, & operandi. §. Confirmatur. Quia operari ſequitur ad eſſe (vt enim modo dicebamus) vnumquodque operatur in quantum eſt in actu, & ideò nihil in ſtatu poſsibilis, aut futuri poteſt operari. Sed forma ſubſtantialis eſt principium quo eſſendi. Ergo eſt etiam principium quo ſaltem radicale operandi; ſic enim ſaluabitur, quod ad eſſe ſequitur operari.

4 Secundo probatur concluſio, quia agens intendit aſſimilare ſibi effectum in principio quo operandi. Sed intendit agens aſſimilare ſibi effectum in forma ſubſtantiali, per quam conſtituitur. Ergo illa eſt principium quo agendi & operandi. Minor probatur, quia ignis, v. g. in ſua forma ſubſtantiali ignis intendit ſibi aſsimilare ignem, quem producit; non autem intendit ignem productum aſsimilare in aliqua forma accidentali, etiamſi illa mediante eam producat.

5 Tertiò denique probatur concluſio. Quia cum ſuppoſitum ſit agens, quod operatur, & omni agēti creato debeat aſsignari principium quod, & principium quo operandi, vtrumq; tale principium debet aſsignari in quocumq; agente creato ſubſtantiali. Sed nullum accidens poteſt eſſe principium principale quo productionis ſubſtantialis. Ergo ad id concurrit vt prin-

principium principale quo ipſa forma ſubſtantialis. Minor probatur. Quia cum quodlibet accidens ſit imperfectius, & ignobilius quacumque ſubſtantia, & principium quo principale debeat eſſe perfectius, vel ſaltem æque perfectum, ac illius effectus, nullum accidens poteſt eſſe principium quo principale productionis alicuius ſubſtantiæ. §. Nec valet dicere, quod quamuis accidens ſit imperfectius in eſſe entis quacumque ſubſtantia; non tamen in eſſe productiui ſubſtãtiæ. §. Nõ inquam, id valet, quia cum quodlibet ſit principium agendi ratione ſuæ entitatis, ſi in ratione entis eſt imperfectius aliquo effectu, etiam in ratione productiui, maxime cum principium debeat in ſe virtualiter continere effectum, & omnem illius perfectionem, & nihil poſſit in genere cauſæ efficientis præbere, quod non habet. Ergo ſi accidens in eſſe entis eſt imperfectius ſubſtantia, non poteſt illam virtualiter continere, aut ad illius productonem, vt principium, quo principale concurrere.

6 Obijcies, quod ad quancumque operationem agentis, illius accidentia ſunt principium quo principale agendi, ita vt virtute propria ad cuiuslibet rei productionem concurrant. Ergo forma ſubſtantialis nullatenus eſt principium quo agendi. Patet conſequentia, quia cum forma ſubſtantialis agentis particularis non poſſit eſſe principium quo vniuerſale,

ſi

ſi forma accidentalis eſt principium quo principale agendi, forma ſubſtantialis, nec poterit eſſe principium quo agendi, nec conſtituere agens in ratione agentis particularis. Antecedens autem probatur. Quia accidens virtute propria eſt principium principale quo productionis alterius accidentis, & etiam productionis ſubſtantiæ. Ergo eſt principium quo principale cuiuslibet operationis agentis. Antecedens quoad primam partem patet. Quia cum accidens non excedat perfectionem alterius accidentis, & ignis, verbi gratia, formaliter vt calidus, & vt conſtitutus formaliter per formam caloris cauſet in alio calorem, poteſt vnum accidens eſſe principium quo principale productionis alterius accidentis. Quoad ſecundam vero partem, in qua eſt difficultas, probatur primo illud antecedens. Quia experientia conſtat ferrum candens producere in materia ſibi applicata ignē. Sed talis productionis principium quo non eſt forma ſubſtantialis ignis in ferro, ſed tantum calor. Ergo ipſe calor eſt principium quo principale talis productionis. Minor probatur, quia in ferro candenti non eſt forma ignis, ſiquidem ſi immergatur à qua, manet forma ferri, quod vtique non eſſet, ſi antea eſſet forma ignis, ſed per immerſionem in à qua reſultaret forma carbonis. Ergo in ferro candenti non forma ignis, vtpote quæ in illo non eſt, ſed forma accidentalis caloris eſt prin-

principium quo productioni ſignis.

7 Secundo probatur eadem pars antecedentis. Quia accidentia vini conſecrati conuertunt in ſubſtantiam vini guttam aquæ, ſi illis admiſceatur: talis autem conuerſionis ſubſtantialis, aqua in vinum non poteſt eſſe principium quo principale forma ſubſtantialis vini, vtpote quæ in ſanguinem Chriſti conuerſa tunc nullatenus exiſtit. Ergo principium quo principale talis conuerſionis ſunt ipſa accidentia vini: ac perinde etiam ſi vinum tunc exiſteret, non forma ſubſtantialis vini,ſed eadem ipſius vini accidentia eſſent principium quo principale conuerſionis aquæ in vinum, ſi illa in parua quantitate admiſceretur vino.

8 Tertio denique eadem pars antecedentis probatur, quia calor vt octo, quod eſt verum accidens, virtute propria eſt principium quo principaliter producendi in materia applicata calorem etiam vt octo.Ergo eſt etiam principium quo principale producendi in tali materia formã ſubſtantialem ignis. Conſeq. patet, quia cum calor vt octo ſit vltima diſpoſitio ad formam ignis, quod fuerit principium quo principale producendi in aliqua materia calorem vt octo, etiam erit principium quo principale productionis in tali materia formæ ſubſtantialis ignis. Antecedens autem probatur, quia calor vt octo in aliqua materia producendus non excedit perfectionem caloris vt octo in

O igne

igne exiſtentis. Ergo talis calor vt octo ignis cum ſit forma, & principium quo operatiuum, ex ſemetipſo habet quod in materia aplicata poſſit eſſe principium quo principale productionis alterius caloris vt octo.

9 Reſpondetur ad argumentum, negando illius primum antecedens, vt enim in vltima ratione concluſionis oſtendimus, cum nullum accidens attingat ad perfectionem ſubſtantiæ virtute propria, nullum virtute propria & vt principium principale quo poteſt attingere productionem ſubſtantiæ, & ſolum ad illam, poteſt concurrere inſtrumentaliter & in virtute ſubſtantiæ, ſeu vt eſt ipſa virtus ſubſtantiæ. Vnde ad primam probationem aduerſus hoc reſpondetur, quod in ferro candenti producente ignem in materia ei applicata re vera ſunt aliquæ partes minutiſſimæ ignis, quarum forma ſubſtantialis ignis eſt principium quo principale ſaltem radicale productionis ignis in tali materia, cuius ſignum eſt, quod ex tali ferro candenti aliqui generantur cineres, quod fieri non poſſet, niſi in ipſo ferro fuiſſent aliquæ partes vel minutiſſimæ ignis: cineres enim non producuntur niſi ad corruptionem ignis, ſicut nec forma cadaueris, niſi ad corruptionem animalis. Et ratione etiam id probatur, quia vt ferrum candens producat in materia ſibi applicata ignem, exigit vt principium quo talis productionis calorem vt octo; omnis enim

ca-

calor citra calorem vt octo non poteſt etiam in oppoſita ſententia eſſe principiũ quo productionis ſubſtantiæ. Sed exiſtente calore vt octo in aliquibus partibus ferri candentis, neceſſarium eſt quod ſit etiam in illis forma ignis, cum hæc ſaltem naturaliter non poſſit non eſſe vbi eſt vltima eius diſpoſitio, ſcilicet calor vt octo: ergo in ferro candenti ſunt aliquæ partes vel minutiſſimæ ignis. §. Nec valet huic dicere, quod in ferro candenti non eſt calor vt octo, ſed in aliquo gradu citra calorem vt octo, qui tamen calor propter denſitatem materiæ ferri, in quo eſt, habet maiorem actiuitatem, quam ſi eſſet in materia minus denſa, vt in ſtupa, & ita licet non pertingat ad intenſionem caloris vt octo, habet propter denſitatem materiæ actiuitatem, vt producat in materia ſibi applicata calorem vt octo, & formam ignis. §. Non, inquam id valet, quia licet calor propter denſitatem materiæ, in qua eſt, ſit diuturnior, quam ſi eſſet in materia minus denſa, re vera ſi etiam cum tali denſitate materiæ non pertingit ad intenſionem caloris vt octo, non habet actiuitatem ſufficientem, vt vel inſtrumentaliter (ne dicam principaliter) attingat productionem caloris vt octo, aut ſubſtantiæ ignis §. Nec huic etiam ſolutioni obſtat, quod in argumento dicebatur, quod immerſum in aqua ferrum candens, manet forma ferri & non reſultat forma carbonis. §. Non, inquam, id obſtat,

quia non dicimus totum ferrum candens eſſe conuerſum in ignem, & totaliter amiſiſſe formam ferri; ſed quod retinendo quoad plures partes formam ferri; aliquæ partes minutiſſimæ illius ſunt conuerſæ in formam ignis, & ex iſtis per corruptionem formæ ignis producuntur cineres.

10 Ad ſecundam probationem facile reſpondetur, quod, vt explicabimus quæſtione ſequenti, cum ipſa accidentia ſint quædam virtutes inſtrumentariæ ſubſtantiæ, ſi illa, etiam deſtructa ſubſtantia, permanet, permanet in illis virtus ipſius ſubſtantiæ, ſeu (vt melius dicam) illa ſunt ipſa virtus ſubſtantiæ, & vt virtus ſubſtantiæ concurrunt inſtrumentaliter ad effectus, qui ipſi ſubſtantiæ etiam tunc in ſe formaliter non exiſtenti vt cauſæ principali tribuuntur. Vt totum hoc patet in ſemine deciſo ab animali generante, quod etiam tali animali ſeparato, imò & aliquando in ſe formaliter non exiſtente, concurrit ad generationem inſtrumentaliter, & animal genitum non ipſi ſemini, ſed animali generanti vt cauſa principali tribuitur, nec animal genitum dicitur filius ſeminis, aut ſemini procedit ſimile, ſed dicitur filius animalis generantis, & illi in ſua forma ſubſtantiali aſſimilatur. Eodem ergo modo accidentia: vini conſecracrati non virtute propria, ſed virtute ſubſtantiæ vini, ſeu vt ſunt ipſa virtus ſubſtantiæ vini, licet tunc formaliter in ſe non exiſtentis, concurrunt inſtrumenta-

li-

liter ad conuerſionem aquæ in vinum, & talis conuerſio non illis, ſed formæ ſubſtantiali vini, vt cauſæ principali tribuitur.

11 Ad tertiam denique probationem reſpondetur, quod ſicut calor vt octo productus habet eſſe vltimam diſpoſitionem ad formam ignis, quod vtique illi non competit ſub ratione accidentis, vel caloris, ſed vt talis eſt calor, & vt in tali intenſione exiſtens, ita etiam calor vt octo ad illius productionem concurrens non concurrit quomodolibet vt accidens, vel vt calor, ſed vt talis calor eſt: ac perinde quatenus vt ſic eſt ipſa virtus formæ ſubſtantialis ignis. Vnde ad productionem alterius caloris vt octo concurrit formaliter vt virtus ſubſtantiæ: ac perinde ſolum inſtrumentaliter. Et talis calor vt octo productus, ſicut & ipſa forma ſubſtantialis ignis geniti ſolum igni generanti, & eius formæ ſubſtantiali, vt cauſæ principali tribuitur.

QVÆSTIO XII.

Vtrum forma ſubſtantialis non ſolum ſit principale, ſed & immediatum principium quo producendi aliam ſubſtantiam?

QVæſtio iſta, quæ ſub alijs terminis ſolet proponi, an videlicet ſubſtantia ſit immediate operatiua, an vero radicaliter tantum & remote, & medijs accidentibus tanquam potentijs proximis operatiuis, ſeu virtutibus inſtrumentalibus ipſius ſubſtantiæ, plurimum connectitur cum alia quæſtione in lib. de anima ex profeſſo diſputanda, an anima diſtinguatur realiter à ſuis potentijs, & ex his, quæ circa eam quæſtionem dicuntur, illa dumtaxat, quæ ad reſolutionem huius quæſtionis ſpectant, accipimus.

2 Vt in principio diximus huius quæſtionis præcedentis; Scotus & eius diſcipuli exiſtimantes accidentia nullatenus efficienter etiam inſtrumentaliter, ſed ſolum diſpoſitiue poſſe attingere productionem ſubſtantiæ, conſequenter aſſerunt ſubſtantiam eſſe immediate operatiuam, & formam ſubſtantialem non ſolum eſſe principium principale quo remotum, ſed & prin-

principium immediatum & proximum, imò & vnicum principium quo in genere efficientis concurrens ad productionem ſubſtantiæ.

3 Dicendum tamen eſt ſubſtantiam non eſſe immediate operatiuam: ac perinde formam ſubſtātialem eſſe principium quo principale, radicale tantum & mediatum productionis ſubſtantiæ, ad illamque non niſi mediante aliqua forma accidentali tanquam potentia & virtute inſtrumentaria poſſe concurrere. Concluſio eſt communis Thomiſtarum & expreſſa D.Thom. pluribus in locis, & præcipue 1. part. quæſt.54. art.3. & quæſt.59. art.2.& q.77. art 1. & videtur deduci ex Ariſtotele, qui 2. de anima tex.24. definiens animam, quod ſit forma non ſolum qua ſumus & viuimus, ſed & qua primo ſentimus, loco mouemur, & intelligimus, per id, quod aſſerit, quod anima eſt forma, qua primo has actiones elicimus, manifeſte indicat animam non eſſe principium proximū immediatum, ſed radicale & remotum talium operationum; ſic enim hoc Philoſophi teſtimonium D.Thom. 1 part. q.77. artic.1. ad 4. illud in quarto argumento propoſitum expendens, explicat dicens. *Ad quartum dicendum, quod hoc ipſum quod forma accidentalis eſt actionis principium habet à forma ſubſtantiali; & ideo forma ſubſtantialis eſt primum actionis principium, ſed non proximum, & ſecundum hoc Philoſophus dixit, quod id, quo intelligimus, eſt anima.*

4 Probatur autem primo concluſio, ex his quę de facto multoties contingere nouimus. Plures enim virtutes inſtrumentarię & accidentia ſeparata ab ipſa ſubſtantia concurrunt efficienter inſtrumentaliter ad productionem alterius ſubſtantię, vt ſemen deciſſum ab animali & ab ipſo animali ſeparatum, imò aliquando ipſo animali iam realiter non exiſtente, concurrit efficienter ad generationem ſubſtantialem, & accidentia vini conſecrati ſeparata ab ipſa ſubſtantia vini, imò & tali ſubſtantia vini in ſe realiter non exiſtente, concurrunt efficienter ad conuerſionem guttę aquę in vinum, ſi illis amiſceatur: ergo etiam quando tales virtutes accidentales ſunt coniunctę ipſi ſubſtantię, vt accidentia vini ſunt coniuncta per in hęrentiam ipſi ſubſtantię vini, medijs illis, tanquam virtutibus proxime efficienter inſtrumentaliter operatiuis, ipſa ſubſtantia operatur, & ad productionem prędictorum effectuum efficienter concurrit: ac perinde nunquam ſubſtantia immediate operatur per ſe ipſam, ſed media aliqua forma accidentali tanquam potentia vel virtute inſtrumentaria proxime operandi. Conſequentia patet. Quia accidentia, verbi gratia, vini non magis ſunt virtutes operatiuę ipſius ſubſtantię vini ab illa ſeparata, quam cum ſunt ipſi ſubſtantię vini coniuncta (imò tunc perfectius quodammodo videntur habere rationem virtutis ſub-

ſubſtantię, & quodam modo perfectius à ſubſtantia ſibi coniuncta, quam à ſubſtantia ſeparata illam accipere) ergo non minus ſubſtantia vtitur talibus ſuis accidentibus ſibi coniunctis, vt virtutibus proxime operatiuis, ad operandum, quam illis vtitur ab ipſa ſubſtantia ſeparatis, imò & cum ſubſtantia iam non realiter in ſe, ſed ſolum in prædictis accidentibus, vt ſuis virtutibus exiſtit. Et cum vnquam ſaltem naturaliter huiuſmodi virtutes defficiant ſubſtantiæ, hac ratione probatur, quod naturaliter ſaltem non poteſt niſi mediantibus illis operari.

5 Nec poteſt dici, quod ſemen ad generationem, & talia accidentia vini conſecrati ſolum diſpoſitiue concurrant ad conuerſionem aquæ in vinum: alias enim talium effectuum non dabitur tunc aliqua cauſa efficiens particularis. Subſtantia enim, verbi gratia, vini tunc in ſe realiter non exiſtens non poteſt concurrere efficienter & vt cauſa efficiens particularis ad talem effectum, niſi quatenus exiſtit virtualiter in talibus ſuis accidentibus, & medijs illis ad talem effectum concurrit. Sed non poteſt medijs illis efficienter concurrere ad talem effectum, niſi ipſa accidentia ad illum vt virtutes proximæ concurrant efficienter proxime inſtrumentaliter (medio enim aliquo concurrente proxime ſolum in genere cauſæ materialis & diſpoſitiuæ

non poteſt aliquid concurrere efficienter) ergo vel dicendum eſt, quod accidentia vini conſecrati ſunt virtutes proximæ efficientes inſtrumentales ad conuerſionem aquæ in vinum, & medijs illis ſubſtantia vini concurrit ad talem effectum vt cauſa particularis principalis efficiens in illis vt in ſuis virtutibus virtualiter exiſtens, vel quod nulla datur cauſa particularis efficiens talis effectus.

6 Nec etiam poteſt dici, quod tunc Deus non ſolum vt cauſa prima, ſed vt cauſa efficiens particularis illum cauſat effectum. §. Non, inquam, id poteſt dici, nam licet Deus miraculoſe, & de potentia ſua abſoluta prædictos effectus ex natura ſua medijs cauſis ſecundis producibiles poſſit vt cauſa particularis efficiens producere; id tamen non contingit, cum naturaliter producuntur, qualiter, & ſine nouo miraculo conuertitur aqua in vinum medijs accidentibus vini conſecrati, ſi illis admiſceatur, & naturaliter fit omnis generatio ſubſtantialis medio ſemine, tunc animali generanti ibi non coniuncto, vtpote quod cum fit generatio, ibi non ad eſt, imò & aliquando realiter, nec in ſe exiſtit. Ne igitur in effectibus naturalibus, & in omni generatione ſubſtantiali ad miracula, non neceſſaria recurramus, dicendum eſt, quod ad prædictos effectus concurrit, vt cauſa principalis particularis efficiens ſubſtantia in aliquo ſuo accidente virtualiter

exi-

exiſtens, & medio illo tanquam virtute inſtrumentaria efficiente efficienter illud producens.

7 Nec denique poteſt dici, quod in prædictis caſibus tales effectus cauſantur, vt à cauſa particulari principali, à corpore circumſtanti: poteſt enim contingere, quod corpus circunſtans non ſolum ad prædictos effectus non habeat actiuitatem, vt illos tanquam cauſa particularis vniuoca producat, quam vtique habere nullatenus poterit, niſi ſit eiuſdem ſpeciei cum illis, ſed poterit etiam tale eſſe corpus circunſtans, quod nec ſimbolizationem habeat cum prædictis effectibus, ſed potius ſit illis multum diſimile: ac perinde non poſſit illos vt cauſa particularis producere. Relinquitur ergo quod tales tunc effectus producantur vt à cauſa particulari efficienti, à ſubſtantia virtualiter, tunc exiſtente in prædicto ſemine aut accidentibus, & medijs illis vt virtute proxima efficienti inſtrumentali operante.

8 Secundo probatur concluſio ratione D.Thom. 1.part. quæſt.77. art.1. Nulla ſubſtantia creata eſt per ſuammet entitatem potentia proxime, & immediate operatiua. Ergo indiget aliqua forma accidentali, media qua vt virtute ſua inſtrumentaria efficienter eliciat operationem. Conſequentia patet, & antecedens probatur. Quia actus & potentia per ſe, & immediate ad illum ordinata debent eſ-

ſe in eodem genere, ita ſaltem quod ſi actus eſt accidens, potentia proxime, & per ſe ad illum ordinata debeat eſſe accidens, & non poſſit eſſe ſubſtantia: ſed actus ſeu operatio cuiuslibet agentis creati diſtincta realiter ab ipſo agente eſt in genere accidentis. Ergo & potentia proxime, & immediate ad talem actum ordinata debet eſſe in genere accidentis, & non in genere ſubſtantiæ. Sed ſubſtantia cum accidenti præſertim abſoluto non poteſt realiter identificari. Ergo nulla ſubſtantia creata poteſt per ſuammet entitatem eſſe potentia proxime, & per ſe ordinata ad aliquam operationem. Vtraque conſequentia cum minore ſubſumpta patet. Minor autem principalis, nimirum quod licet actus & potentia non debet eſſe ſaltem directe in eodem prædicamento: potentia enim directe eſt in prædicamento qualitatis, & actus in prodicamēto actionis, licet etiam quatenus potentia eſt principium ſui actus, poſſit dici quod pertinet reductiue ad prædicamentum ſui actus, ſicut punctum quatenus eſt principium lineæ, pertinet reductiue ad prædicamentum quantitatis; tamen quod actus & potentia per ſe immediate & proxime ad illum ordinata debent ita ſaltem eſſe in eodem genere, quod ſi actus ſit in genere accidentis, potentia ſic ad illum ordinata debet eſſe in genere accidentis, & non poſſit eſſe in genere ſubſtātiæ, probat.

Quia

Quia potentia ſic ad actum proxime & immediate ordinata, ab ipſo actu ſpecificatur: totum enim eſſe potentiæ ad actum proxime immediate & per ſe ordinatæ eſt ratio principij & tendentiæ in ipſum actum: ac perinde ab ipſo actu formaliter ſpecificatur. Sed ſubſtantia non poteſt ſpecificari ab aliquo accidenti: ergo ſi actus eſt in genere accdentis, potentia ad illum proxime immediate & per ſe ordinata debet eſſe in genere accidentis; & nō poteſt eſſe in genere ſubſtantiæ. Minor probatur. Tum, quia ſubſtantia, cum ſit ens per ſe non poteſt conſtitui aut ſpecificari in ordine ad aliquod extrinſecum. Et ob id communiter aſſeritur non poſſe dari ſubſtantiam creatam ſupernaturalem, quia omne ens ſupernaturale creatum ſpecificatur ab aliquo extrinſeco, & ſubſtantia à nullo extrinſeco poteſt ſpecificari. Tum, vel maxime, quia ſaltem ſubſtantia non poteſt ſpecificari ab aliquo accidenti, eo quod omne ſpecificatum eſt propter ſpecificativum, & ſubſtantia non poteſt eſſe propter aliquod accidens, cum potius omne accidens ſit propter ſubſtantiam. §. Confirmatur, quia forma ſubſtantialis eſt immediatum principium eſſendi: ergo non poteſt eſſe immediatum principium operandi: ac perinde licet quatenus ad eſſe ſequitur operari, forma ſubſtantialis, quæ eſt immediatum principium eſſendi, ſit remotum & radicale principium operandi; non tamen imme-

dia-

diatum principium & proximum. Probatur prima conſequentia, quia in creatis eſſe diſtinguitur ab operari; ergo ſi forma ſubſtantialis eſt proximum & immediatum principium eſſendi, non poteſt eſſe proximum & immediatum principium operandi, quia cum omne principium proximum & immediatum alicuius actus ab ipſo actu ſpecificetur, non poteſt idem eſſe principium proximum & immediatũ diuerſorum actuum, alias idem à diuerſis ſpecificaretur, & per conſequens eſſet idẽ & non eſſet idem.

9 Nec valet huic rationi cum aliquibus dicere, quod licet forma ſubſtantialis proxime & immediate ordinetur adeſſe & operari; non tamen ad vtrumque talem actum ex æquo, ſed adeſſe tanquam ad actum ſui primarium, & ad operari tanquam ad actum ſecundarium. Et nullum principium aut potentia quantumuis immediata, aut proxima ſpecificatur ab actu ſuo ſecundario, ſed ſolum ab actum ſuo primario, & ita quamuis eſſe, & operari ſint duo actus, vt in confirmatione præcedentis rationis dicebatur: quia tamen non ex æquo ad illos forma ſubſtantialis ordinatur, ſed primario ad eſſe, & ſecundario ad operari, non obſtat, quod eadem forma ſubſtantialis per ſuam entitatem, & abſque omni aliquo ei ſuperaddito ſit principium immediatum, & proximum vtriuſque prædicti talis actus. Et cum nullum principium, aut potentia

ſpe-

ſpecificetur, niſi à ſuo actu primario; quantumuis forma ſubſtantialis ſit principium operationis ad genus accidẽtis pertinentis, quia illam non reſpicit, niſi vt actum ſui ſecundarium, ab illo non ſpecificatur. §. Non, inquam, id valet, quia nõ poteſt forma ſubſtantialis immediate, & proxime ad actum eſſendi primarium, & ſecundario ad operationem ordinari; cum enim non in eodem genere cauſæ ad vtrumque talem actum concurrat, ſed ad actum eſſendi concurrat in genere cauſæ formalis, & ad actum operandi; ſi radicaliter, vel proxime concurrat; debeat concurrere in genere cauſę efficientis non poteſt ad vtrumque talem actum proxime, & immediate ordinari; etiam ad vnum primario, & ad alium ſecundario, quia quodcunque ſic primario, & ſecundario aliquos duos immediatos reſpicit actus, in eodem genere cauſæ ad illos ordinatur. Relinquitur ergo, quod cum nec ſic etiam primario, & ſecundario forma ſubſtantialis ad actum eſſendi & operandi proxime; & immediate poſſit ordinari, immediate per ſe ipſam ſit principium actus eſſendi, & ſolum ſit radicale principium quo operandi, indigeatque, vt operationem eliciat, aliqua potentia, aut virtute ipſi formæ ſubſtantiali ſuperaddita, quæ cum ſit potentia proxime, & immediate ordinata ad operationem, ac perinde ab ipſo actu operationis ſpecificata ſit in genere accidentis,

ac

ac per conſequens diſtincta realiter à ſub-ſtantia.

10 Aduerſus prædictam tamen rationem obijcies primo, quod ſi illa aliquid probaret, probaret etiam, quod forma ſubſtãtialis creata nec eſt principium quo radicale operationis, nam principium radicale alicuius actus com etiam ad ipſum actum licet radicaliter ordinetur; videtur ab ipſo actu ſpecificari. Ergo ſi ex eo, quod ſubſtantia non poteſt ab aliquo extrinſeco, vel ſaltem ab aliquo accidenti ſpecificari, non poteſt eſſe principium proximum, & immediatum operationis, quæ eſt in genere accidentis, eadem ratione nec poterit eſſe principium radicale illius. §. Confirmatur, quia ſaltem ad potentiam proximam operandi, quam diſtinctam realiter a forma ſubſtantiali intendimus dari, concurrit proxime & immediate vt principium actiuum efficiẽs ipſa forma ſubſtantialis, quamuis ipſa potentia proxima operatiua ſit in genere accidentis: ergo vel à tali ſpecificatur potentia, vel non. Si hoc ſecundum, non erit etiam cur ſpecificetur ab operatione, etiam ſi ſit proxime & immediate operatiua: ſi autem primum admittatur, iam non erit incõueniens admittere, quod forma ſubſtantialis ab aliquo accidenti ſpecificetur.

11 Reſpondetur ad argumentum; quod ſolum aliquid ſpecificatur ab actu, ad quem proxime & immediate ordinatur,

tur, quia ille eſt proprius illius finis, non autem actus, cuius ſolum eſt radix, & ad quem ſolum remote & radicaliter concurrit. §. Ad confirmationem reſpondetur, quod ſubſtantia non eſt principium ſuarũ potentiarum per veram actionem, ſed ſolum ad illam ſequuntur per naturalem emanationem, & vt terminus ſecundarius actionis productiuæ ipſius ſubſtantiæ. Vnde ſubſtantia, ad quam tales ſequuntur proprietates, non conſiſtit in ratione potentiæ operatiuæ talium proprietatum, ſed in ſuo eſſe per ſe: ac perinde non ſpecificatur à talibus proprietatibus, licet potentia proxime operatiua ſpecificetur ab actu, ad quem per ſe ordinatur, quia totum eſſe talis potentiæ eſt ad illum ordinari. §. Pro quo eſt aduertendum (vt hoc iterum repetere non oporteat) quod proprietates & quæcumque per naturalem reſultantiam conſequuntur, illa vere producuntur vel comproducuntur per actionem efficientis non quidem tanquam terminus primarius, ſed vt terminus ſecundarius illius. Vnde inter illum & terminum primarium non eſt propria efficientia, ſed connexio illius cum tali termino primario. Et ſi aliquãdo propter aliquod impedimentum naturale vel ſupernaturale talis terminus ſecundarius de facto non ſequatur ad primarium, cum poſtea tali ablato impedimento ad illum ſequitur, etiam tunc ſequitur vt effectus ſecũdarius principalis agentis & illius actionis qua-

tenus

tenus licet talis tranſierit actio, imo etiam ſi ipſum agens tunc in rerum natura realiter non exiſtat, manet tamen vt in ſua virtute ad talem emanationem in ſuo termino primario, qui perinde ad talem emanationem non oportet quod vel tunc concurrat per veram operationem, ſed per naturalem duntaxat connexionem, quam cum tali habet termino ſecundario. Si autem loquamur de actione propria, quæ eſt cauſalitas efficientis, illa etiam quodam modo dicitur emanare ab agente, non quidem per naturalem connexionem cum illo, ſicut diximus terminum ſecundarium emanare à primario, ſed quatenus eum talis actio ſit ipſamet eggreſſio ab agente, non requiritur alia actio vt ab illo eggrediatur.

12 Secundo aduerſus eandem rationem obijcies, quod non minus potentia paſſiua ab actu, quem recipit, petit ſpecificari, quam potentia actiua ab actu, cuius eſt immediate elicitiua; & tamen ſubſtantia immediate & per ſe ipſam eſt potentia receptiua quantitatis, & media illa aliorum accidentium: ergo etiam immediate per ſe ipſam poteſt eſſe potentia operatiua, & proxime & immediate ordinari ad actum, etiam ſi ob id ab illo ſpecificetur. §. Reſpondetur negando maiorem: licet enim aliquæ potentię paſſiuæ, quorum totum ſuum eſſe nihil eſt aliud quam eſſe principium paſſiuum aliquid recipiendi, qualiter in ſententia Di-

ui Thomæ character baptiſmalis eſt eo modo potentia paſſiua, tamen ſubſtantia ſeu ſubiectum completum ſubſtantiale, quod eſt immediatum receptiuum accidẽtium, quia vt illa recipiat, ſupponitur iam habens eſſe completum & ab illis non ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid perficitur, imò potius ipſum eſt ſimpliciter perfectiuum illorum, non ab illis ſpecificatur, ſed potius illa ſpecificantur ab illo. Potentia autem operatiua ſimpliciter ab actu, ad quem ordinatur, perficitur: ac perinde ab illo ſpecificatur, & cum ſubſtantia non poſſit ſpecificari ab aliquo accidenti, non poteſt per ſe ipſam eſſe immediate operatiua.

13 Tertio principaliter probatur cõcluſio etiam ratione deſumpta ex Diuo Thoma 1. part. quæſt. 77. articul. 1. quia ſi forma ſubſtantialis eſſet immediatum & proximum principium operationum vitæ, habens formam ſubſtãtialem, ſemper actu operaretur tales operationes. Conſequẽs experientia teſtatur eſſe falſum: ergo forma ſubſtantialis nõ eſt immediatum principium & proximum operationis. Sequela probatur. Tum, quia eo quod forma ſubſtantialis eſt immediatum principium viuendi & eſſendi, habens formam ſubſtantialem, ſemper actu viuit & eſt: ergo ſi forma ſubſtantialis per ſemetipſam, & abſque aliquo ei ſuperaddito eſſet immediatum & proximum principium operandi habens formam ſubſtantialem,

ſem-

ſemper eſſet actu operans.

Tum etiam, quia forma ſubſtantialis, in quantum forma eſt actus vltimus generationis: ergo non niſi ratione alicuius potentiæ ei ſuperadditæ poteſt ordinari ad aliquem actum vt principium in potentia ad illum; actus enim in quantum actus non eſt in potentia ad alterum actum: ergo ſi forma ſubſtantialis per ſemetipſam eſſet immediate operatiua ſemper eſſet actu operans, imo eſſet ipſa actualis operatio, ſicut eſt ipſemet actus viuendi & eſſendi.

14 Nec valet dicere, quod poteſt aliquis actus eſſe actu informans, & immediatum principium vt in potentia ad operationem; ſicuti forma accidentalis eſt ſecundum ſuam naturam actus informans, & immediatum principium, vt in potentia ad operationem, & habens formam accidentalem, non ſemper operatur. Ergo quamuis forma ſubſtantialis ſit ſecundũ ſuam naturam actu informans, & eſſet immediate operatiua, poſſet eſſe in potentia ad talem operationem, nec ſequeretur, quod habens formam ſubſtantialem eſſet ſemper actu operans. §. Non inquam, id valet, quia cum forma accidentalis non ſit principium operatiuum, niſi dependenter à principio radicali, & principium radicale, forma videlicet ſubſtantialis non ſemper operetur, forma accidentalis, licet ſit actus informans, non ſemper actu operatur; forma autem ſub-
ſtan-

ſtantialis ſi eſſet immediate operatiua, cũ non eſſet operatiua dependenter ab alio principio radicali, & aliàs ipſa ſecundum ſuam naturam ſit actus, & niſi ei aliqua potentia ſuperaddatur, non ſit ad alium actum in potentia, habens formam ſubſtantialem, ſemper eſſet actu operans, ſicut ſemper eſt actu viuens. Influxum autem, quem forma ſubſtantialis habet in ſuum actum, quia habet illum non immediate per ſemetipſam, ſed mediante ſua potentia ei ſuperaddita, non oportet, quod illum ſemper actu habeat.

15 Aduerſus concluſionem autem obijcies primo, quod forma accidentalis, v. gr. calor, eſt immediatum, & proximum principium quo operandi, ita vt non indigeat alio principio ab ipſa diſtincto operandi, & calefaciendi. Ergo cum forma ſubſtantialis ſit longe perfectior quacunque forma accidentali, ipſa eſt immediate operatiua, & immediatum principium quo operationis; nec ad id indiget alio principio ei realiter ſuperadddito. Probatur conſequentia: nam operari immediate per ſemetipſum abſque indigentia alicuius principij ei ſuperadditi, magnam dicit perfectionem, ſiquidem id cõpetit Deo. Ergo ſi id competit formæ accidentali, à fortiori propter longe maiorem perfectionem ſupra illam id etiam competere debet formæ ſubſtantiali.

Reſpondetur, negando conſequentiam Et ad probationem dico quod licet ope-

rati

rati immediate, & abſque principio ſuperaddito, operationem non diſtinctam ab ipſo operante, qualis eſt operatio Dei, ſit perfectio, immo infinita perfectio, quia ſic operans non ſpecificatur ab aliquo extrinſeco, ſed eſt ſuamet operatio: & hoc modo immediate operari ſubſtantiæ non poteſt competere creatæ; eſſe tamen in mediatum, & proximum principium, ſeu potentia operationis à tali principio realiter diſtinctæ, dicit imperfectionem ſpecificationis à tali operationis actum: quæ licet poſſit competere formæ accidentali, competere nequit formæ ſubſtantiali, vtpotè quæ cum ſit ens per ſe, non poteſt ab aliquo extrinſeco, vel ſaltem ab aliquo accidentali ſpecificari.

16 Obijcies ſecundo, quod ſubſtantia immediate per ſe ipſam, & abſque aliqua media forma accidentali; vt virtute cauſandi, poteſt exercere cauſalitatem cauſæ finalis, formalis & materialis. Ergo etiã cauſalitatem cauſæ efficientis, quæ cum non ſit alia, quam ipſa actio, vt ab agente procedit, per ſemetipſam, & abſque aliqua media forma accidentali poterit ſubſtantia elicere actionem, quod eſt ipsã immediate operari. Conſequentia probatur à paritate rationis.

Reſpondetur negando conſequentiam. Et ratio diſcriminis eſt, quod cum cauſalitas materialis, & formalis (vt explicuimus) non ſit aliquid realiter entitatiue ab illis diſtinctum; nec cauſalitas cauſæ fina-

finalis (vt explicabimus) ab ipſa cauſa finali quamuis ſubſtantia ſe ipſa immediate, & abſque aliqua forma accidentali, vt virtute cauſandi, eas poſſit exercere cauſalitates; non tamen cauſalitatem cauſæ efficientis creatæ, quia cum illa ſit actus diſtinctus realiter ab ipſa cauſa, ſi ad illũ forma ſubſtantialis, vt potentia proxima, & immediata ordinaretur, ab illo vtique ſpecificaretur. Et cum (vt oſtendimus) ſubſtantia non poſſit ab aliquo extrinſeco, vel ſaltem ab aliquo accidenti ſpecificari, non poteſt immediate per ſemetipſam, & abſque aliqua virtute accidentali ei ſuperaddita cauſalitatem exercere cauſæ efficientis.

17 Obijcies tertio, quod licet ſubſtantia, cum per ſe ſpſam non poteſt immediate vniri intellectui, ei vniatur media ſua ſpecie intelligibili; & media illa efficienter, ſecundum probabilem opinionem, concurrat ad intellectionem; tamen aliqua ſubſtantia, vt Angelica immediate vnitur intellectui ipſius Angeli ad ipſius cognitionem, & immediate per ſe ipſam concurrit ad intellectionem. Sed talis concurſus ad intellectionem eſt in genere cauſæ efficiẽtis, quia in eodem genere cauſæ concurrit obiectum ad intellectionem, cum immediate per ſe ipſum vnitur intellectui, & cum ei vnitur media ſua ſpecie intelligibili. Ergo non implicat, quod ſubſtantia in genere cauſæ efficientis, ſit immediate operatiua.

Re-

Reſpondetur, longe eſſe probabilius, quod obiectum ſiue immediate per ſemetipſum, ſiue media ſua ſpecie intelligibili vniatur intellectui; nullatenus in genere cauſæ efficientis, ſed in genere dumtaxat cauſæ formalis & obiectiuæ concurrit ad intellectionem. Et eſto, quod obiectum media ſua ſpecie intelligibili, vt virtute ſua inſtrumẽtaria,& in intellectu intrinſece recepta concurrat efficienter ad intellectionem; non tamen obiectum ſubſtantiale, cum immediate perſemetipſum vnitur intellectui; & quia non eſt immediate efficienter operatiuum, & quia non recipitur intrinſece intellectu, non poteſt illud in ratione principij efficientis conſtituere, aut complere, aut eſſe cum illo principium quo efficienter eliciendi intellectionem.

18 Obijcies quarto, quod ſubſtantia ad productionem ſaltem alterius ſubſtantiæ, vt ignis ad productionem ignis, non poteſt concurrere media aliqua forma accidentali: ergo immediate per ſemetipsã concurrit. Antecedens probatur, quia qualibet forma accidentalis inferior eſt qualibet forma ſubſtantiali producenda: ergo non poteſt eſſe principium quo proximum & immediatum productionis alicuius ſubſtantiæ. §. Quod ſi dicas, quod licet accidens ſecũdum ſe ſit inferius ſubſtantia: ac perinde ad illius productionem non poſſit principaliter efficienter cõcurrere; bene tamen poteſt concurrere effi-

cien-

cienter inſtrumentaliter in virtute ipſius ſubſtantiæ, quia non inſtrumento, ſed illius cauſæ principali aſſimilatur effectus: ac perinde non oportet quod ſit maioris vel æqualis perfectionis cum illo, licet id oporteat in cauſa principali.

19 Contra hoc tamen eſt primo, quod etiam vt accidens ad productionem ſubſtantiæ operetur & concurrat in virtute ſubſtantiæ, debet aliquo modo virtualiter continere talem effectum: quod enim quomodolibet efficienter ad aliquem effectum concurrit, debet virtualiter talem effectum continere. Sed accidens etiam in virtute ſubſtantiæ non poteſt talem effectum continere: ergo neque in virtute ſubſtantiæ poteſt ad illum efficienter, vel inſtrumentaliter concurrere. Minor probatur, quia cum accidens ſecundum ſe (vt etiam in ſolutione admittitur) non poſſit vllatenus efficienter concurrere ad productionem ſubſtantiæ vt de facto aliqualiter ad illam efficienter concurrat, debet ei communicari à ſubſtantia, in cuius virtute dicitur concurrere, aliquid, per quod virtualiter ſubſtantiam contineat producendam. Sed nihil tale ei à ſubſtantia, in cuius virtute dicitur concurrere, communicatur, nam illud non poteſt eſſe aliquid ſubſtantiale, cum illius non poſſit eſſe capax forma accidentalis: nec poteſt eſſe aliquid accidentale, quia etiam cum illo, vtpote imperfectiori qualibet ſubſtantia, non magis

quam ſecundum ſe aliquam ſubſtantiam poterit virtualiter continere: ergo accidens etiam in virtute ſubſtantiæ non poteſt alicuius ſubſtantiæ productionem efficienter vel inſtrumentaliter attingere.

20 Contra id etiam eſt ſecundo, quia inſtrumentum nō agit abſque influxu cauſæ principalis in ipſum inſtrumentum, & in effectum: ergo ſi accidens in virtute ſubſtantiæ inſtrumentaliter concurrit ad productionem alterius ſubſtantiæ, ipſa ſubſtantia, in cuius virtute concurrit, influit immediate & perſemetipſam in tale inſtrumentum; & cum talis influxus non poſſit eſſe niſi per veram actionem, vel ex eo conuincitur, ſubſtantiam eſſe immediate operatiuam: ſiquidem immediate & abſque aliqua alia virtute accidentali (niſi vellimus dare proceſſum in infinitum) influit in talem ſuam virtutem inſtrumentariam.

21 Reſpondetur, ſolutionum ad quartam obiectionem principalem aſſignatam eſſe, optimam. Et ad primam illius impugnationem dico, quod accidentia, quæ in virtute ſubſtantiæ concurrunt ad productionem alterius ſubſtantiæ, non ſunt inſtrumenta ſubſtantiæ, quæ vt ad tales effectus inſtrumentaliter concurrant, indigeant aliqua virtute, aut motione eius ſuperaddita, ſed potius ſunt ipſæ virtutes inſtrumentariæ ſubſtantiæ; & vt ſic medijs illis ſubſtantia producit effectum:

li-

licet enim forma accidentalis ſecundum rationem communem accidentis non habeat eſſe virtutem inſtrumentariam ſubſtantiæ, nec calor v. g. vt accidens vel calor eſt, ſit virtus inſtrumentaria ignis ad producendum alium ignem; bene tamen vt talis calor. Nec ſubſtantia per veram actionem vt illis ad ſuas operationes vtatur influit in tales ſuas virtutes inſtrumentarias, ſed ſufficit, quod illæ in tali ſubſtantia radicentur, & ab illa per naturalem emanationem & reſultantiam dimanent, & non niſi vt à ſubſtantia dimanantes & dependentes tales ipſæ virtutes inſtrumentariæ proxime & immediate ad ſuos concurrant effectus. Vnde cum tales virtutes inſtrumentariæ, quæ ab aliqua ſubſtantià emanarunt, miraculoſe à tali ſubſtantia realiter ſeparatæ inueniuntur (vt in accidentibus panis & vini conſecrati contingit) tunc quia licet etiam vt ſic ſeparata non operantur talia accidentia, niſi vt virtutes ſubſtantiæ, & quatenus ab ipſa dimanarunt, eorum operatio vt cauſæ principali radicali, ipſi tribuitur ſubſtantiæ. §. Ex quibus patet ad præfatam ſecundam impugnationem: non enim ponimus, ſubſtantiam per veram actionem influere in huiuſmodi virtutes ſuas inſtrumentarias; vt mediis illis operetur, licet cum operatur medio aliquo inſtrumento, vt cum quis medio calamo ſcribit, prius in ipſũ inſtrumentum illud ad operandum mo-

uens, per veram aliquam actionem influat; talem tamen in ipſum inſtrumentum influxum non habet ſubſtantia immediate per ſe, ſed media aliqua forma accidentali, vt virtute ſua inſtrumentaria ad influendum in tali inſtrumentum.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum cauſa prima nō ſolum tribuat virtutes actiuas cauſis ſecundis ſed & ad omnes earum effectus immediate concurrat.

DEpendentiam cauſæ ſecundæ à prima non ſolum in eſſendo, ſed & in operando in hac & ſequenti quæſtione explicare intendimus, abſtinentes ab his, quæ propriè ad Theologum pertinent de concordia libertatis creatæ cum efficacia diuinæ cauſalitatis, licet etiam ad ea hic iacere conabimur fundamenta. Duplex ergo extrema fuit ſententia. Prima aliquorum, quos refert D. Thom. 1. part. quæſt. 105. art. 5. & 3. contra gentes cap. 79. qui exiſtimantes ad omnem effectum ſubſtantialem, vel accidentalem nihil omnino præſupponi: ac perinde ſolum per creationem eſſe producibilem, aſſerebant ſo-

ſolum Deum ad quemlibet effectum concurrere, licet ad præſentiam ignis calefaciat; non tamen ita quod ipſe ignis ad talem effectum concurrat. Secunda fuit ſententia Durandi in 2. diſtinct.1.quæſt.5. & diſtinct.37.quæſt.1.negantis concurſum Dei immediatum ad omnes effectus, ſed quod ſolum Deus concurrit ad illos producendo illorum cauſas, & tribuendo eis virtutes actiuas ad operandum; ipſaſque cauſas & tales earum virtutes conſeruando abſque eo,quod ad aliquem earum immediate concurrat effectum.

2 Dico primo. Falſum imò erroneum eſt, aſſerere, ita Deum ad omnem concurrere effectum, vt ad illum cauſæ ſecundæ creatæ non concurrant, ſed ſolùm ad earum præſentiam Deus omnes iſtos effectos producat. Concluſionem cum D. Thom. locis citatis, & cum communi omnium ſententia docet noſter Author. Ss. Magiſter Soto hic quæſt.4.concluſ.1.& probatur primo ratione D.Thomæ 1.part. quæſtion.105. artic.5. quam iſtis habet verbis. *Quia virtutes operatiuæ, quæ in rebus inueniuntur, fruſtra eſſent rebus attributa ſi per eas nihil operarentur: quinimo omnes res creatæ viderentur quodammodo eſſe fruſtra, ſi propria operatione deſtituerentur, cum omnes res ſint propter ſuam operationem.*

3 Secundo probatur ratione D. Tho. ex allegato loco contra gentes: nam ſi Deus ſe ſolo produceret omnes effectus,

ad præſentia cauſæ creatæ, vt ad præſentiam ignis calefaceret, non magis ad præſentiam huius, quam alterius quemlibet produceret effectum, cuius oppoſitum experientia teſtatur. *Non enim ex appoſitione calidi* (ait ibi D. Thom. *ſequitur infrigidatio, ſed calefactio tantum*. Ergo reuera Deus ad diuerſos effectus diuerſas adhibet cauſas, quia ipſę ſecundum ſuas diuerſas virtutes vere, & proprie ad tales concurrunt effectus, imo ſi ad illos proprie non concurrerent, contra rationem diuinæ ſapientiæ eſſet (vt ibidem arguit D. Thomas) illas ad tales effectus adhibere, quia contra rationem diuinæ ſapientiæ eſt, aliquid ad aliquem effectum adhibere fruſtraneum, & fruſtra adhiberentur ad aliquem effectum tales cauſæ, ſi quemlibet Deus ſe ſolo immediate produceret effectum. §. Nec fundamentum oppoſitæ ſententiæ aliquid valet, iam enim libro præcedenti quæſtion. 11. oſtendimus, non omnia creati, ſed aliqua contineri in potentia materiæ, vel ſubiecti, & ex illius potētialitate virtute agentis creati eſſe educibilia.

4 Dico ſecundo. Præter id quod Deus cauſas ſecundas producat, eiſque virtutes operatiuas præbeat, atque illas, & tales earum virtutes conſeruet, immediate ſimul cum prædictis cauſis ſecundis ad omnem illarum concurrit effectum. Concluſio eſt communis, & colligitur pluribus ſcripturæ locis, vt ex illo Iſaiæ 26.

iæ 26. *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine*. Et probatur primo concluſio, quia ex intima operatione Dei in omnibus rebus colligit Apoſtolus Actorum 12. Deum eſſe in omnibus illis, dicens: *Non longe eſt ab vno quoque noſtrum, in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus*. Ergo ſi Deus ſimul cum cauſis ſecundis non concurreret immediate ad omnes illarum effectus, ſolum Deus eſſet in cauſis, quas immediate produxit, & conſeruat; non autem in earum effectibus. §. Secundo probatur concluſio, quia ex oppoſita ſententia ſequeretur, Deum ſolum produxiſſe à principio aliquas cauſas, & deinceps nullam cauſam aut effectum immediate producere. Conſequens nullatenus debet admitti. Ergo nec prædicta ſententia. Sequela probatur. Nam poſtquam Deus à principio aliquas produxit cauſas, & illis ſuas virtutes præbuit operatiuas, ſi tales cauſæ (vt prædicta intendit ſententia) poſſunt ſuos producere effectus abſq; alio immediato concurſu Dei in illos, ipſis talibus effectibus, quos prædictæ cauſæ producerent, præberent etiam ſuas virtutes operatiuas (id enim ad eorum pertinet productionem completam) ergo & tales effectus ſic cum ſuis virtutibus operatiuis producti alios producerent effectus abſque immediato concurſu Dei in illos, & illi effectus alios, abſque eo quod Deus poſtquam à principio aliquas cauſas produxit, aliquem alium immediate ſimul cũ

cauſis ſecundis producat effectum. Falſitas autem huius probatur, quia cum illæ cauſæ, quas Deus à principio produxit, iam non exiſtant, nec Deus illas actualiter conſeruet, ſequeretur, quod effectus qui modo exiſterent realiter abſque aliqua actuali dependentia mediata, vel immediata à diuino concurſu conſeruarentur. Conſequens autem iſtud eſt abſurdum. Ergo: ſequela probatur, quia non dependerent tales effectus à concurſu diuino eorum cauſas conſeruante, ſiquidem cauſas eorum, quas Deus produxit, modo non conſeruat, nec dependerent à concurſu diuino ipſos immediate effectus conſeruante, quia cum conſeruatio alicuius ſit continuata illius productio, ſi tales effectus immediate Deus non producit, nec illos immediate conſeruat: ac perinde in ſuo eſſe, & conſeruatione non dependerent ab aliquo actuali diuino cõcurſu. Hoc autem eſſe manifeſte falſum, patet, quia aliàs non poſſet Deus aliquem prædictorum effectuum anihilare: anihilatio enim alicuius nihil aliud eſt, quam ſuſpenſio concurſus, medio quo conſeruabatur: ac perinde ſi tales effectus non conſeruantur medio aliquo actuali Dei concurſu, non eſt aliquis concurſus, quem poſſit Deus ſuſpendere, vt illos poſſit anihilare.

5 Scio, huic rationi poſſe reſponderi, quod licet à qualibet ſua cauſa effectus dependeat in fieri; in conſeruari tamen

men ſolum à ſuis cauſis vniuerſalibus dependet, & æquiuocis. Vnde cum cauſas vniuerſales creatas Deus ſemper conſeruet, ad conſeruationem illarum mediate ſaltem illarum conſeruat effectus. §. Tamen numquam ſaluatur, ſi Deus ad effectus immediate non concurrit, quod ipſos effectus, eorũ cauſas nõ anihilando, poſſit anihilare, quia præter concurſum, quo tales cauſas produxit, & conſeruat, nullus in oppoſita ſententia admittitur diuinus concurſus immediate in tales effectus, quẽ Deus, vt illos poſſit anihilare ſuſpendat. Abſurdum autem videtur, quod Deus non poſſit anihilare aliquem effectum, niſi omnes prædictas cauſas anihilando. Ne igitur id admittamus inconueniens, dicendum eſt, Deum ad omnes effectus creatos ſimul cum eorum cauſis creatis immediate concurrere.

6 Aduerſus hanc ſecundam concluſionem obijcies primo, quod non poſſunt duo agentia ſimul concurrere ad eundem effectum, niſi vtrumque ſit agens partiale, vel alterum propter ſuam imperfectionem non poſſit, niſi ope, & auxilio alterius talem attingere effectum. Sed Deus vtpote infinitæ virtutis, non poteſt eſſe agens partiale, & creatura cum aliquos ſuos effectus in perfectione excedat, ad illarum productionem non indiget ope, & auxilio alterius. Ergo Deus ad plures effectus non immediate concurrit, ſed solũ ad illos producit, & conſeruat cauſas, &

præbet illis virtutes actiuas ad operandũ.
Reſpondetur quod licet plures cauſæ eiuſdem ordinis, & non ſubordinatæ non poſſint ſimul concurrere ad eundem effectum, niſi vtraque ſit partialis, vel propter imperfectionem alicuius illarum non poſſit ſe ſola etiam in ſuo ordine talem attingere effectum; tamen ſicut non obſtat totalitati cauſæ, quod ad illius effectum requiratur concurſus cauſarum alterius generis, vt ad concurſum cauſæ efficientis requiratur concurſus cauſæ finalis, materialis, & formalis; ita nec obſtat totalitati cauſę efficientis ſecũdæ particularis, quod ad illius effectum requiratur ſimul concurſus cauſæ ſecundæ efficientis vniuerſalis, & ad effectum cuiuslibet cauſæ efficientis creatæ requiratur concurſus cauſę primę; quia licet omnes iſtæ cauſæ ſint efficientes; ſunt tamen diuerſi ordinis, & particulares cauſæ non operantur, niſi cum ſubordinatione ad vniuerſales, & omnes cauſæ ſecundæ cum ſubordinatione ad primam.

7 Obijcies ſecundo, quod Deus & creatura non poſſunt ad eundem ſimul effectum eadem, nec diuerſa actione concurrere. Ergo vel ſolum Deus omnes producit effectus, vt prima aſſerebat ſentẽtia, vel ſolum creatura ad illos immediate cõcurrit, vt ſententia intendebat Durandi. Antecedens pro prima parte probatur; quia ſolum illa concurrunt eadem actione ad eiuſdem productionem, quorum eſt eadem.

dem omnino virtus productiua: eo enim Pater, & Filius eadem actione producunt Spiritum ſanctum, quia non duplex diſtincta, ſed eadem omnino eſt in vtroque virtus ſpiratiua. Sed in Deo, & in qualibet cauſa creata non poteſt eſſe eadem virtus productiua, cum virtus Dei ſit increata, & infinita, virtus autem cuiuslibet creaturæ participata, & finita. Ergo ad eundem effectum non poſſunt Deus, & creatura eadem ſimul actione concurrere. Pro ſecunda autem illius parte idem probatur antecedens. Tum, quia cum actiones diuerſificentur per terminos, eiuſdem omnino effectus producti non videntur poſſe eſſe ſimul duæ diſtinctæ productiones. Tum etiam, quia ſi actio productiua Dei alicuius effectus eſſet diſtincta ab actione, qua illum producit creatura, illa vtpote independens ab iſta, eſſet prior ſaltem prioritate naturæ: ac perinde totus prius intelligeretur productus effectus, quam ad illum actio creaturæ terminaretur, & eſſet incidere in primã ſententiam, & ſoli Deo productionem cuiuſcunque effectus concedere.

Reſpondetur negando antecedens pro prima illius parte. Et ad illius probationem dicendum eſt cum D.Tho.1.p.q.105. art.5. ad 2. quod licet eadem actio, ſeu productio eiuſdem effectus non poſſit ſimul procedere à duplici agente eiuſdem ordinis, niſi in vtroque ſit omnino eadem virtus productiua, vt eſt in Patre, &

Filio ad productionem Spiritus ſancti; tamen eadem actio, & productio poteſt ſimul procedere à diuerſis agentibus diuerſi ordinis, licet ſit in illis diuerſa virtus operatiua, quia cum agens inferius nõ operetur, niſi cum ſubordinatione ad primum agens; eius actio ſimul eſt ab illo, & primo agente. Cum hac tamen differentia, quod reſpectu agentis creati talis actio eſt productio effectus, & nullatenus effectus alterius illius actionis; reſpectu autem agentis increati ipſa eadem actio eſt productio quidem talis effectus; & ſimul ipſa eſt effectus actionis increatæ Dei: quia nihil ad extra poteſt à Deo emanare, niſi vt effectus ipſius actionis increatæ: & talis actio, & productio effectus non eſt prior vt à Deo, quam vt à creatura procedens, ſed cum omnimoda ſimultate à Deo, & à creatura procedit: ac perinde talis productio, ſeu concurſus immediatus Dei ad effectum, dicitur concurſus Dei ſimultaneus, quia eſt eadem actio creaturæ, vt ſimul à Deo, & creatura procedit.

QVÆ-

QVÆSTIO XIV.

Vtrùm præter concurſum ſimultaneum, quo immediate Deus producit effectus, detur concurſus præuius, quo cauſam creatam phiſice præmoueat ad operandum.

PArtem negatiuam tenent plures recentiores extra ſcholam D.Thomæ. Sed reſolutorie cum communi ſententia Thomiſtarum eſt dicendum, quod præter concurſum Dei ſimultaneum, quod eſt eademmet actio cauſæ creatæ, & quo immediate ad ipſum Deus concurrit effectũ, datur alius concurſus Dei præuius in ipſa cauſa ſecunda receptus, ad quem ipſa cauſa ſecunda ſolum ſe habet paſſiue, & per quem phiſice præmouetur, & determinatur ad operandum, ita vt quantumuis creatura in actu primo ſit complete conſtituta per ſuam virtutem ad operandum indigeat, vt de facto operetur, & vt ad operandum applicetur, tali Dei concurſu præuio in ipſa cauſa ſecunda recepto, quo illa à Deo phiſice præmoueatur, determinetur, & applicetur ad operandum. Et in primis concluſio deducitur ex Ariſtotele pluribus in locis; 8. enim phiſico-

rum text. 33. agens de cauſa prima, & ſecunda, & earum ſubordinatione, ita aſſerit. *Vtrumque igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium, ſed magis primum: illud enim mouet vltimum, ſed non hoc primum: & ſine primo quidem vltimum non mouebit, illud autem ſine hoc, vt baculus non mouebit, non mouente homine.* Hæc Ariſtoteles; vbi cum comparet motionem, qua cauſa ſecunda mouetur à prima, motioni, qua baculus vt moueat, v. g. aquam, mouetur ab homine, & certum ſit, quod vt baculus moueat aquam, debet prius natura ipſe baculus moueri ab homine, intendit proculdubio Ariſtoteles, quod vt aliqua cauſa ſecunda moueat, id eſt, aliquem producat effectum, debet prius ipſa cauſa ſecunda moueri à prima motione aliqua phiſica in ipſa cauſa ſecunda recepta, ſicut motio, qua homo mouet baculum, vt baculus moueat aquam, in ipſo recipitur baculo. Eandem doctrinam habet Ariſtoteles pluribus alijs in locis, vt 7. Phiſicorum, c. 1. & 8. Phiſicorum, cap. 5. vbi ex motione, qua vt ſecũda cauſa operetur, illam præmouet prima, oſtendit, deueniendũ eſſe ad vnum primum motorem, qui immotus omnia alia moueat ad operandum.

2 Nec valet, cum aliquibus dicere, intelligendum eſſe Philoſophum de motione communiter dicta, qua cauſas ſecundas Deus producit, & conſeruat in eſſe, ac tribuit eis virtutes operatiuas, & ob id dicitur, eas mouere ad operationem

non

non autem eſſe intelligendum aliquam præter hanc motione, qua cauſas ſecundas Deus præmoueat, & determinet ad operandum. §. Non, inquam, id valet: tum quia ea dependentia cauſæ ſecundæ à prima ſolum eſt in eſſendo, & non in operando, & Ariſtoteles ibi intendit explicare dependentiam cauſæ ſecundæ à prima formaliter in operando, quia intendit, per id indagare, quod ſit primum mouens, quod immotum omnia alia, vt moueant, & operentur, mouet. Tum etiam, quia ſic eſſe intelligendum, exemplo, quod adducit baculi, comprobatur, quia baculus non habet ab homine ſuum eſſe, ſed motionem, vt moueat aquam. Ergo cum motioni, qua homo mouet baculum, comparet Ariſtoteles motionem, qua cauſa prima mouet ſecundam, non loquitur de motione illa communiter dicta, qua Deus producit, & conſeruat cauſas ſecundas, & eis virtutes præbet operatiuas, ſed de motione propria ad operandum, qua cauſas ſecundas iam productas, & per ſuas virtutes in eſſe principij operatiui conſtitutas, vt actualiter operentur, Deus præmouet, & determinat.

3 Nec etiam valet, cum alijs dicere, quod nihil aliud intendit Philoſophus, quam quod cauſa ſecunda dependet in operando à prima, quatenus abſque concurſu ſimultaneo Dei agere nequit. §. Non inquam, id valet. Tum, quia per concurſum Dei ſimultaneum, vtpote

non

non in cauſam, ſed in effectum, non poteſt Deus mouere, & determinare cauſam ad operandum, quia nihil mouet aliud, niſi agendo in illud, & non ſolum in illius effectum. Ergo cum Philoſophus aſſerit, cauſam primam mouere ſecundam, & illam non intendit, dependere à Deo, illam mouere per concurſum ſimultaneum in effectum, ſed per aliquem influxum prauium ad id, quod cauſa operetur, & in ipſa cauſa receptum. Tum etiam, quia (vt poſtea videbimus) concurſus Dei ſimultaneus, quo ſimul cum creatura cauſat illius effectum, non eſt vllatenus prior, vt à Deo, quam vt à creatura, ſed omnino ſimul eſt à Deo, & à cauſa ſecunda (& ob id dicitur concurſus ſimultaneus ſeu concomitans) ergo per illum non poteſt moueri cauſa ſecunda à Deo ad operandum, nec per illum ſaluatur dependentia cauſæ ſecundæ à Deo ad operandum.

§. Tum denique, quia non ipſa actio cauſę ſecundæ in effectum, ſed ſolum illius effectus eſt terminus concurſus ſimultanei Dei, cum ille (vt diximus) ſit eadem actio cauſę ſecundę vt à Deo, ſed terminus motionis, qua Deus mouet cauſam ſecundam ad operandum, eſt ipſa actio cauſę ſecundæ, ſicut impulſus impellentis lapidem ad modum ſurſum habet pro termino ipſum aſcenſum lapidis. Ergo Deus non mouet cauſam ſecundam ad operandum per concurſum ſimultaneum illius, cum ipſa cauſa ſecunda ad effectum,

ſed

ſed per influxum alium prçuium in ipſam cauſam, quo illam Deus præmoueat, determinet, & applicet ad operandum, & cuius terminus ſit ipſa cauſæ ſecundæ operatio, vt à cauſa ſecunda procedens.

4 Nec denique valet, cum alijs licet pauciſſimis dicere, quod huiuſmodi dependentia cauſæ ſecundæ à prima ſaluatur per concurſum ſimultaneum Dei, quo cum ipſa cauſa creata concurrit ad illius effectum, quia licet talis concurſus Dei ſimultaneus ſit ipſa *actio* creaturæ, prius natura intelligitur talis *actio*, vt procedens à Deo, quam vt procedens à creatura.

§. Non, inquam, id valet. Tum, quia ſi id eſſet, non ſaluaretur ratio concurſus ſimultanei Dei, qui id ò dicitur ſimultaneus, quia ſimul, & abſque aliqua prioritate cõcurrit Deus per illum ad effectum, ac concurrit ipſa creatura. Tum etiam, quia vel talis concurſus Dei vt prius natura intelligitur procedens à Deo, quam à creatura eſt concurſus in ipſam cauſam; vt operetur, vel ſolum in illius effectum. Si primum, vere erit motio Dei præuia, quã intẽdimus & per quam Deus præmouet, & applicat cauſam ſecundũ ad operãdum, & ſi præter talẽ motionẽ non detur alius concurſus Dei immediate in effectũ, ipſe effectus non dependebit immediate à Deo & ſequentur omnia inconuenientia, quæ aduerſus ſententiam. Durandi quæſt: præcedenti inferebamus. Si vero dicatur ſecundum, nempe quod talis concurſus

Dei

Dei licet non in cauſam, ſed immediate in eius effectum prius natura intelligitur vt à Deo, quam intelligatur concurſus creaturæ in eundem effectum, iam ad concurſum creaturæ præintelligetur eius effectus productus: ac perinde nihil reſtat producendum à creatura, quod erit incidere in alterum inconueniens extremum, quod etiam quæſtione præcedenti impugnauimus, negantium videlicet, creaturas proprie ad aliquem concurrere effectum.

5 Angelicus autem Doctor ita perpetuus eſt in hac ſententia, vt nefas videatur de illius mente in hac parte dubitare, & vt plura illius omittam teſtimonia, id apertiſſime docet quæſt. 3. de potentia, artic. 7. vbi poſtquam explicuerat, Deum poſſe dici cauſam operationis creatæ, in quantum ipſam cauſam ſecundam producit, & conſeruat, eique virtutem præbet operatiuam, ſubdit S. Doctor hæc verba. *Sed quia nulla res per ſe ipſam mouet, vel agit, niſi ſit mouens non motum, tertio modo dicitur vna res eſſe cauſa actionis alterius in quantum mouet eam ad agendum, in quo non intelligitur collatio aut conſeruatio virtutis actiuæ, ſed applicatio virtutis actiuæ, ſed applicatio virtutis actiuæ ad actionem; ſicut homo eſt cauſa inciſionis cultelli ex hoc ipſo, quod applicat acumen cultelli ad incidendum mouendo ipſum: & quia natura inferior agens non agit niſi mota, eo quod huiuſmodi corpora inferiora ſunt alterantia alterata: cælum autem eſt alterans,*

non

non alteratum. Et tamen non eſt mouens, niſi motum, & hoc non ceſſat, quo vſque perueniatur ad Deum, ſequitur de neceſſitate, quod Deus ſit cauſa actionis cuiuslibet rei naturalis, vt mouens, & applicans virtutem ad agendum. Hæc D. Thom. vbi præter modum concurrendi Deum ad actionem cauſæ creatæ, illam producendo & conſeruando, eique virtutem actiuam tribuendo, neceſſario concedit motionem Dei in ipſam cauſam, qua ipſam moueat & applicet ad operandum, ac perinde motionem præuiam ad ipſius cauſæ creatæ operationem: prius enim ſaltem natura eſt, aliquod agens moueri, & applicari ad operandum, quam quod ipſum agens eliciat operationem. Et per hoc excluditur, quod hæc motio, de qua loquitur D. Thomas, ſit concurſus ſimultaneus Dei, quo ſimul cum ipſa cauſa creata ad illius effectum concurrit: quia cum talis concurſus ſimultaneus Dei ſit ipſa actio cauſæ creatæ, vt à Deo procedens, non poteſt eſſe motio, qua Deus cauſam creatam mouet, & applicat ad operandum.

6 Ita irrefragabile aliquibus oppoſitæ ſententiæ videtur hoc D. Thomæ teſtimonium, vt fateantur eam Doctorem Sanctum in hoc loco tenuiſſe ſententiam, ſed eam retractaſſe 1. par. quæſt. 105. art. 5. Id tamen nullatenus poteſt dici, cum potius in eodem loco primæ partis eandem Sanctus Doctor explicuerit ſententiam: in corpore enim illius articuli aſſerit, *quod*

pri-

primum agens mouet ſecundum ad agendum. Et quod *Deus mouet res ad operandum, quaſi applicando formas, & virtutes rerum ad operationem ſicut artifex applicat ſecurim ad ſcindendum.* Vbi illa particula *quaſi* non eſt dictio diminuens, ſed ad explicandum modum, quo Deus mouet res ad operandum, ſcilicet non ſolum præbendo eis virtutes operatiuas, ſed applicando earum virtutes, quas prius eis præbuerat ad operationem. Vnde in ſolutione ad 3. eiuſdem articuli abſolute: & abſque particula *quaſi*, ait D. Thom. *Deus applicat res ad agendum.* Idem clariſſime docet S. Doctor 1. 2. quæſt. 109. artic. 1. & innumeris alijs in locis, quæ licet eodem prorſus modo contrarij intendent explicare, ac teſtimonia, quæ pro noſtra ſententia adducuntur Ariſtotelis eodem etiam modo eorum explicationes reijciuntur, & inpugnantur, ſicut reiecimus, & impugnauimus eas, quæ teſtimonijs Ariſt. aſſignantur. Præterquam quod ſicut D. Thomas magis perſpicuis ſuam mentem explicat verbis, ita difficilius prædictæ explicationes illius adaptantur teſtimonijs.

7 Sit prima concluſionis, ratio deſumpta ex Diuo Thoma 1. 2. quæſtione 79. artic. 2. ſic dicente. *Omnis actio cauſatur ab aliquo, quod eſt in actu, quia nihil agit, niſi ſecundum quod eſt in actu: omne autem ens in actu reducitur in primum actum, ſcilicet in Deum ſicut in cauſam, qui eſt per ſuam eſſentiam actus. Vnde relinquitur, quod*

Deus

Deus eſt cauſa omnis actionis, in quantum actio eſt. Ex quibus verbis ſic formo rationem. Nullum agens creatum eſt purus actus in agendo, ſicut nec in eſſendo, ſed ſecundum ſe eſt in potentia ad agendum. Ergo cum nihil agat, niſi ſecundum quod eſt in actu, indiget, vt agat, quod reducatur ad actum. Sed nihil exiſtens in potentia poteſt ſemetipſum reducere ad actũ: per id enim quod reducitur ad actum, mouetur de potentia ad actum, & nihil ſecundum eandem rationem poteſt eſſe mouens, & motum. Ergo quodlibet agens creatum, vt actualiter agat, indiget, quod moueatur, & applicetur ad operandum, & reducatur ad actum per primum mouens, quod cum ſit purus actus, poteſt ipſum immotum omnia alia mouere.

§. Confirmatur: nam actio cuiuslibet agentis creati, vtpote ad quam ipſum agens eſt in potentia, & perquam actuatur, & perficitur eſt actualior, & perfectior ipſo agente. Ergo cum nulla cauſa efficiens poſſit elicere actionem perfectiorem, quam ipſum, vt agens creatum eliciat actionem, debet prius per motionem Dei, quæ eſt ſpecialis participatio diuinæ infinitæ actualitatis conſtitui in actu, & ad operandum applicari, vt actionem ſecundum omnem ſuam actualitatem poſſit elicere.

8 Secunda concluſionis ratio eſt, quia ipſa actio cauſæ ſecundæ, vt ab ipſa cauſa ſecunda egreditur, & dependet, eſt quidam

eſſe-

effectus creatus, ac perinde etiam vt ſic dependens à deo: ſed non dependet à Deo per concurſum Dei ſimultaneum in effectum, quia ille, vt ſæpius diximus, eſt ipſamet actio creaturæ, vt à Deo, & non prius naturæ intelligitur vt à Deo, quam vt à creatura: & cum omne, à quo aliquid dependet, debeat intelligi prius natura, quam illud, talis actio vt à creatura procedens non dependet à Deo per concurſum illius ſimultaneum in effectum. Ergo ſolum vt ſic talis actio creaturæ poteſt dependere à Deo per motionem præuiam in ipſam cauſam, qua illam Deus præmouet & applicat ad ipſius actionis elicientiam.

9 Tertia concluſionis ratio eſt, quod omne agens creatum quantumuis per ſuam virtutem operatiuam conſtitutum in ratione principij operatiui eſt aliqualiter indeterminatum ad operationem. Ergo indiget, vt omnino determinate aliquam in indiuiduo eliciat operationem, quod ad illam determinetur. Antecedens patet in agentibus liberis, quæ ex ſe ſunt indifferentia & indeterminata ad vtramlibet partem contrarietatis, vel contradictionis ſaltem, hoc eſt ad actionem, & illius contrarium, vel ſaltem ad operandum, & non operandum: agentia autem naturalia quamuis ſint determinata ad ſpeciem actus, non tamen ad talem indiuiduam operationem: virtutes enim operatiuæ non dantur determinatæ ad indiuiduum

duum actum, ſed ſunt indifferentes ad plures indiuidualiter actus; alias poſtquam ad elicientiam illius indiuiduæ operationis, ad quam eſſent determinatæ, deſeruirent, cum talis indiuidua operatio non poſſit reiterari, omnino ſuperflua manerent talia principia, & virtutes operatiuæ. Omne igitur agens creatum quantumuis per virtutem operatiuam actuam conſtitutum cum aliqua manet indeterminatione ad actionem, ac perinde indiget, vt de facto determinatam in indiuiduo eliciat operationem, quod ab aliquo ad illius elicientiam determinetur; ſed ad id determinari non poteſt, niſi ſolum per motionem Dei prius natura, quam operetur in ipſo agente receptam, & per quam moueatur, determinetur, & applicetur ad talis determinatę operationis elicientiam. Ergo omne agens creatum indiget ad operandum tali præuia motione Dei. Minor ſubſumpta probatur. Quia ad talem indiuiduam determinatam operationem non poteſt agens creatum determinari per ſuum principium, & virtutem operatiuam: hanc enim oſtendimus eſſe indeterminatam, & indifferentem ſaltem ad plures indiuiduales operationes, & nihil indifferens ad plura, vt ſic indifferens poteſt determinare ad vnum illorum. Non poteſt agens creatum ad id determinari per ipſam ſuammet actionem, quia cũ debeat determinari ad ipſiuſmet actio-
nis

nis elicientiam, prius debet ad illam determinari; quam illam eliciat. Nec denique poteſt determinari per concurſum ſimultaneum Dei in effectum. Tum, quia per illum vtpote non priorem tempore, vel natura ipſa agentis creati operatione non poteſt ad ipſius actionis elicientiam agens creatum determinari. Tum etiam, quia cum talis concurſus Dei ſimultaneus non recipiatur in ipſo agente creato, non poteſt per illum intrinſece determinari. Reſtat igitur, quod ad id determinetur per motionem Dei præuiam in ipſo agente intrinſece receptam, & quæ cum illud determinate ad talem indiuiduam applicet operationem, ipſum ad illam intrinſece determinet.

10 Vltima tandem ſit concluſionis ratio deſumpta ex Diu. Thoma in 2. diſtinction. 37. quæſtion. 7. artic. 2. in corpore, quod ſi aliquod agens creatum ageret ſine præuia motione cauſa primæ, perquam illud moueat, & applicet ad agendum, ſequeretur, eſſe plura prima principia, & ipſum agens creatum eſſe primum principium. Conſequens eſt, incidere in errorem Manicheorum. Ergo nullatenus eſt admittendum. Sequela probatur, quia illud eſt primnm principium, quod agere poteſt ſine influentia alterius agentis & ſine motione illius. Sed ſi agens creatum eliceret aliquam operationem ſine præuia motione Dei ad illam, age-

ageret ſine influentia & motione alterius agentis, abſque aliqua dependentia ab alio in eliciendo talem operationem: ergo in elicientia illius eſſet primum agens.

11 Nec valet dicere, quod etiam ſi agens creatum talem actionem eliceret abſque præmotione Dei ad illam; non tamen eſſet primum principium, nec operaretur abſque influentia & dependentia à Deo, ſiquidem non operaretur, niſi vt habens ſuum eſſe & virtutem operatiuam dependentem à Deo. §. Non inquam, id valet, nam vt ait in eodem articulo Diuus Thomas, *Quamuis per hanc reſponſionem euitaretur, quod voluntas humana, & quæcumque alia cauſa ſecunda non eſſet primum ens ſimpliciter; non tamen videtur poſſe euitari, quod non eſſet primum agens, ſi eius actio in aliquod principium agens non reduceretur, ſicut in cauſam*. Hæc D. Thomas, ex quibus manifeſte patet, quod licet tale agens non eſſet ſimpliciter primũ in eſſendo; eſſet tamen primum formaliter in operando.

12 Nec etiam valet dicere, quod ſaluatur dependentia ſecundæ cauſę à prima etiam in operando per concurſum Dei ſimultaneum, quia ſine illo cauſa ſecunda operari non poteſt, aut influere in effectum. Non, inquam, id valet, tum quia licet cauſa ſecunda ſimul exigat ad operandum talem concurſum Dei ſimultaneum in effectum; cum tamen

ille (vt oſtendimus) nullatenus ſit prior ipſo concurſu cauſæ ſecundæ, & omne, à quo aliud dependet, debeat eſſe aliqualiter prius illo, non poteſt ſaluari dependentia cauſæ ſecundæ à prima in operando præciſe per talem concurſum Dei ſimultaneum. §. Tum etiam, quim ſicut cauſa ſecunda non concurrit ad effectum, niſi ſimul ad illum Deus per talem concurſum ſimultaneum concurrat, ita nec cauſa prima ad effectum concurrit, niſi ſimul ad illum concurrat cauſa ſecunda: ergo ſicut ex hoc non colligitur, cauſam primam dependere in productione talis effectus à ſecunda, ita per id præciſe, non ſaluatur dependentia cauſæ ſecundæ à prima productiõne talis effectus. §. Nec valet dicere, quod cauſa prima poſſet, ſi vellet, eundem effectum ſe ſola producere: ac perinde etiam ſi illum de facto non producat niſi ſimul cum concurſu cauſæ ſecundæ, non dependet ab illa. Cauſa tamen ſecunda quia non poteſt ſe ſola & abſque concurſu Dei ſimultaneo aliquem producere effectum, per id ſufficienter ſaluatur eius dependentia à cauſa prima. §. Non, inquam, id valet, quia præter quam quod ad aliquos effectus, qui vt tales dependent ab actione vitali creaturæ, non poteſt Deus ſe ſolo & abſque concurſu creaturę concurrere: ad quemlibet etiam effectum ex ſuppoſitione quod Deus ſe ſolo illum non vult producere, exi-

exigit ſimul concurſum creaturæ; & tamen neque ea ſuppoſitione facta poſſet dici, quod Deus ad productionem alicuius effectus dependet à cauſa ſecunda, aut illi in operando ſubordinetur: ergo præciſe per exigentiam, quam creatura habet cõcurſus Dei ſimultanei, vt ipſa aliquem producat effectum, non ſaluatur eius dependentia & ſubordinatio à cauſa prima in operando.

13 Obijcies primo, quod Ariſtoteles 3. Phiſicorũ tex. 8. aſſerit, quod agẽs, vt agens non mutatur; ſed ſi vt ageret, præmoueretur à Deo per motionem in ipſo agente receptam, vere vt agens per talem motionem mutaretur: ergo in ſententia Ariſtotelis agens vt agat, non recipit à Deo talem motionem. §. Reſpondetur; Philoſophum ſolum intendere, quod agẽns non mutatur formaliſſime vt agens, quia cum eius actio (vt infra videbimus) non in ipſo recipiatur, ſed in paſſo, per ſuimet actionem non mutatur; non tamen intendit Ariſtoteles, quod agens præuiè ad actionem per motionem primæ cauſæ ad operandum in ipſo receptam non mutetur. Imò cum ipſemet aſſerat, cauſam ſecundam non agere, niſi vt motam, neceſſario exigitur, quod vt agat & operetur, per motionem cauſæ primæ moueatur & mutetur.

14 Obijcies ſecundo, proprium eſſe cauſæ inſtrumentalis, vtpote quæ non

habet virtutem completam ad effectum principalis agentis, quod vt ad illum inſtrumentaliter concurrat, ab ipſo agente principali moueatur. Sed ad plures effectus cauſæ ſecundæ principaliter per propriam, perfectam & completam virtutem concurrunt. Ergo ad id non indigent, quod à cauſa prima prius natura moueantur, ſed ſufficit quod ſimul cum illis ad tales effectus concurrat.

Nec valet, cum aliquibus dicere, quod cum eſſe cuiuſcumque effectus ſit actualitas excedens virtutem operatiuam cuiuſcumque cauſæ creatæ, & ad tale eſſe ſolus Deus concurrit vt cauſa principalis, & creatura tantum vt inſtrumentum; ita vt inſtrumentum Dei indiget illius motione, vt ſic inſtrumentaliter concurrat. §. Non inquam, id valet, tum quia non eſt certum, quod etiam ad ipſum eſſe ſolus Deus concurrat vt cauſa principalis & creatura vt inſtrumentum, licet effectus ſecundum eam rationem per ſpecialem attributionem dicatur eſſe à Deo. Tum etiam, quia quidquid ſit de hoc, negari non poteſt ad alias rationes, quæ in effectibus reperiuntur aliqua concurrere agentia per modum cauſæ principalis. Ergo vel ad id indigent præuia motione Dei, vel abſque illa ad tales effectus ſecundum eas illorum rationes concurrunt. Si dicatur hoc ſecundum, iam ſaluatur aduerſus fundamentum

præ-

præcipuum noſtræ ſententiæ dependentia cauſæ ſecundæ à prima in operando abſque præuia motione primæ cauſæ ad aliquid agendum, ſub ea ratione, ſub qua à cauſis ſecundis dependet. Si vero dicatur primum, reſtat, ſoluendum argumentum poſitũ, quomodo creatura ad aliquod non inſtrumẽtaliter, ſed principaliter producendum indigeat præuia Dei motione, cum id videatur proprium cauſæ inſtrumentalis.

15 Omiſſa hac ſolutione, præcipue propter hanc ſecundam impugnationem reſpondetur ad argumentum, quod licet proprium ſit cauſæ inſtrumentalis, quod vt inſtrumentaliter concurrat, moueatur ab alia cauſa eiuſdem ordinis, hoc eſt, quod moueatur à cauſa principali, etiam ſi illa ſit creata, & per talem motionem non ſolum illam applicet ad operandum ſed & illi tribuat virtutem, per quam conſtituatur in ratione inſtrumenti, & in actu primo ad inſtrumentaliter aliquid efficiendum; omni tamen in vniuerſum cauſæ ſecundæ, ſiue inſtrumentali, ſiue principali competit, quod non agat, niſi prius mota à prima, quia hoc habet, propter eſſentialem illius dependentiam, & ſubordinationem in operando à cauſa prima. Et ob id omnis cauſa ſecunda dicitur quodammodo inſtrumentum Dei, non ex eo, quod ad omnes effectus concurrat inſtrumentaliter cum d aliquos cõcurrat per propriam virtutem perfectio-

rem, vel æque perfectam; cum illis, ſed quia vt inſtrumentum mouetur, vt agat, à cauſa principali; ita omnis cauſa ſecunda mouetur à prima ad operandum; quia quantumuis per virtutem operatiuam æquo perfectam ſiue perfectiorem effectu ſit conſtituta, quatenus talis virtus non eſt purus actus, ſed admixtus potentialitate, indiget tale agens, vt reducatur de tali potentia ad actum operandi, motione Dei, per quam applicetur ad agendum, & operandum; non tamen vt per talem motionem accipiat virtutem operatiuam, aut conſtituatur in actu primo ad operandum; ſiquidem, vt in ſolutione ad primam obiectionem dicemus, intelligitur cauſa ſecũda principalis perfecte, & complete conſtituta in actu primo ad operandum, priuſquam à Deo præmoueatur, quod etiam amplius quæſt. ſequenti in ſolutione primæ obiectionis explicabimus.

16 Obijcies tertio, quod cauſæ naturales ſunt omnino determinatæ ad ſuos actus. Ergo illæ ſaltem non indigent aliqua motione Dei, vt operentur. Conſequentia patet. Quia ad id, ad quod aliquid eſt omnino determinatum; non indiget, vt ad id ab alio moueatur, determinetur aut applicetur. Ergo ſi cauſæ naturales ſunt omnino determinatæ ad ſuos actus, non indigent ad illos aliqua præuia motione Dei, maxime cum illam ad terminandum cauſas ſecundas in tertia

ra-

ratione concluſionis dixerimus, eſſe neceſſarium.

Reſpondetur, quod vt in eadem tertia ratione concluſionis oſtendimus, nulla cauſa quantumuis naturalis, & per virtutem in ſuo ordine completam conſtituta ex ſe eſt determinata ad aliquam indiuiduam, & ſingularem actionem; cum enim illius virtus operatiua ſit principium indifferens, ſaltem ad plures indiuidualiter actiones, vere vt ad aliquam actionem in ſingulari; & illius actualitatem terminetur, indiget motione Dei illam ad elicientiam talis actionis applicante.

17 Obiicies quarto, ſufficienter ſaluari omnem dependentiam & ſubordinationem cauſæ ſecundæ à prima, per id quod abſque concurſu ſimultaneo huius, illa non poſſit aliquam producere effectũ. Ergo omnis alia præuia motio Dei in cauſam, vt illam moueat ad operandum, non ſolum non eſt neceſſario concedenda, ſed omnino vt ſuperflua eſt deneganda. Antecedentis probationis ſatis manent inſinuatæ in ſolutionibus aduerſariorum ad teſtimonia, & rationes pro concluſione adductas. Sed etiam in impugnationibus earundem ſolutionum ſatis oſtẽdimus per concursũ præciſe Dei ſimultaneũ non ſaluari dependentiã & ſubordinationẽ cauſæ ſecundæ à prima in operando. Vnde non oportet ea repetere, nec in hoc argumento, aut illius ſolutione amplius immorari.

18. Obijcies quintò, quod cauſa libera, & contingentes non indigent ad operandum præuia Dei motione in illis recepta, & tamen cum etiam ad tales actiones ſint cauſæ ſecundæ, & creatæ, & non ſint primum principium talium operationum, ſaluatur illarum ſubordinatio, & dependentia à cauſa prima. Ergo abſque tali præuia Dei motione in alias cauſas etiam naturales, ſaluari poteſt illarum dependentia, & ſubordinatio à Deo in operando; perperamque perinde ob eam prædictarum cauſarum dependentiam, & ſubordinationem à Deo contenditur, illas indigere præuia Dei motione ad operandum. Minor cum conſequentia patet. Maior autem quæ proprius ad Theologum, vel ad Philoſophum moralem, quam ad naturalem ſpectat, breuiter probatur. Tum, quia cum talis præuia Dei motio, ſi in aliqua cauſa recipiatur, ſit omnino efficax, omninoque determinet talem cauſam ad operandum, nullam ei relinqueret libertatem, vt cum tali motione poſſet talem operationem non elicere. Cum igitur cauſæ liberę non neceſſario, ſed libere ſuos debeant elicere actus, non ſolum cum tali elicientia non indigent præuia Dei motione, ſed ſi illam recipiant non poterunt illos libere elicere. Tum etiam, quia ſi tali præuia Dei motione cauſæ liberæ indigerent ad eliciendos ſuos liberos actus, abſque illa non haberent virtutem omnino completam, &

& perfectam ad eorum elicientiam: ac perinde cum non ſit in ipſarum cauſarum poteſtate, talem præuiam Dei motionem habere, non eſſet in illarum poteſtate, tales actus elicere, & ſi Deus illis talem non præberet motionem, ipſis cauſis tunc non imputaretur non operari: nulli enim imputatur non facere id, ad quod perfectam & completam non habet potentiam.

Confirmatur, quia talis præuia Dei motio, ſi in cauſis liberis ad omnes illorum actus reciperetur, ſi illarum totaliter non deſtrueret ad tales actus libertatem, illam ſaltem minueret. Sed nec iſtud debet admitti: ergo nec quod Deus præmoueat phiſice voluntatem ad omnes ſuos liberos actus. Sequela probatur, quia cum libertas alicuius cauſæ conſiſtat in illius indeterminatione & in differentia ad aliquem actum & illius contrarium, vel ſaltem ad operandum, & non operandum, id quod hanc indifferentiam minueret, minueret perinde ipſam cauſæ libertatem. Sed talis præuia Dei motio, ſi daretur in voluntate, ad minus minueret indifferentiam: ergo ſaltem illius minueret libertatem. Minor probatur, quia cum abſque tali Dei præmotione cauſa libera ita eſſet indifferens ad vtramque partem contradictionis vel contrarietatis quod non eſſet magis determinata ad vnam quam ad alteram, & ſi talem recipiat præuiam Dei motionem, per illam de-

determinetur ad vnam partem, manifeſte videtur, per præuiam Dei motionem talem ipſius cauſæ ad minus minui indifferentiam.

19. Reſpondetur ad argumentum negando minorem, rationes enim ſupra factæ, omnem in vniuerſum cauſam ſecundam oſtendunt indigere præuia Dei motione ad quamlibet illius operationem: imò vt inſinuat D. Thom. par.1. quæſt.6. art.3. ad 5. potius de cauſis liberis quam de naturalibus procedit ſuprafacta 2. concluſionis ratio; quatenus cum illæ ſint magis indeterminatæ & in differentes, magis indigent, quod ab alio determinentur, vt determinatam eliciant operationem. Et ita D.Tho. 1.p.q.83.art.1. ad 3. aſſerit; *Deus eſt prima cauſa mouens & naturales cauſas & voluntarias, & ſicut naturalibus cauſis, mouendo eas, non aufert, quin actus earum ſint naturales: ita mouendo cauſas voluntarias, non aufert, quin actiones earum ſint voluntaria, ſed potius hoc in eis facit: operatur enim in vnoquoque ſecundum eius proprietatem.* Hæc Diuus Thomas, ex quibus patet ad primam probationem maioris in argamento factam: Deus enim cum non ſolum ad ſubſtantiam actus, ſed ad illius modum voluntatem præmoueat; potius perficit, quam eius auferat vel minuat libertatem, & quamuis ipſam voluntatem ad aliquam partem determinet, quia tamen relinquit ei potentiam ad alteram partem, non tollitur, quin illius actus

exeat

exeat omnino liber; ſicuti quamuis voluntas perſuummet actum ſecundum determinetur ad alteram partem ſuæ indifferentiæ, cum talis actus ſit ipſamet vltima determinatio, tamen quia talis actus ſecundus relinquit in voluntate potentiã ad alteram partem, non tollitur, quod ipſemet actus omnino libere à voluntate procedat, & quod voluntas operans abſolute habeat potentiam ad oppoſitum, licet non ad coniungendum ſimul talem ſuam operationem cum negatione illius. Eodem ergo modo quamuis voluntas per præuiam Dei motionem determinetur efficaciter ad aliquem actum, abſolute poteſt illum non elicere, quod ſufficit, vt illum omnino libere eliciat. §. Ad ſecundam probationem negandum eſt voluntatem antecedenter ad præuiam Dei motionem ad aliquem actum non habere virtutem completam & perfectam ad illum, quia talis præuia Dei motio dicitur complere virtutem agentis, non quia ei aliquam præbeat virtutem operandi, aut per exiſtentem augeat, ſed quatenus virtutem iam perfectam & completam in actu primo, applicat ad actualem operationem & reducit ad actum ſecundum. Vnde cum antecedenter ad talem præuiam Dei motionem voluntas ſupponatur perfecte & complete potens operari, ſi non operetur, ei ipſum non operari imputabitur, quamuis non ſit in eius poteſtate talis præuia Dei motio requiſita ad

eius actualem operationem : ſicuti in oppoſita ſententia quamuis non ſit in poteſtate voluntatis concurſus Dei ſimultaneus ad effectum qui ad minus requiritur vt voluntas ad aliquem effectum concurrat, ſi ſupponatur volũtas habens omnia requiſita in actu primo ad talem ſuum concurſum & operationem, imputabitur ei illam de facto non elicere.

Ad confirmationem negatur ſequela. Et ad illius probationem dico, quod per præuiam Dei motionem minuitur quidem indifferentia voluntatis in potentia; quatenus eius indiffenrentia potentialis applicatur & reducitur ad actum; id autem tantum abeſt, quod ſit tollere aut minuere libertatem quod eſt perficere illam, & transferre de libertate potentiali ad libertatem actualem.

20 Vltimo tandem obijcies, quod cũ hæc præuia Dei motio cauſæ ſecundæ ad operandum dicatur eſſe aliquid reale receptum in ipſa cauſa, non videtur, quid illud eſſe poſſit. Nullatenus ergo videtur talis præuia Dei motio admittenda. Antecedens probatur. Quia quidquid recipitur in voluntate (de illius enim motione, vtpote quæ motionem in hoc ingerit difficultatem, loquamur) vel eſt potentia, habitus, aut diſpoſitio, vel ipſiuſmet voluntatis actus. Sed nullum iſtorum eſſe poteſt: ergo. Minor probatur. Quia in primis non poteſt eſſe potentia; quidquid enim per modum potentiæ in voluntate

tate recipitur, illam conſtituit in actu primo operatiuam, & voluntas, vt proxime dicebamus, antecedenter ad talem Dei præmotionem debet ſupponi perfecte, & complete conſtituta in actu primo ad operandum. Et inſuper quod Dei motio non poſſit eſſe potentia, habitus, vel diſpoſitio probatur. Quia alias eſſet qualitas, cuius oppoſitum docet D. Thomas 1. 2. quæſt 110. art. 2 in corpore. Ac denique quod talis motio non ſit ipſemet voluntatis actus, patet. Quia hic procedit ab ipſa volũtate, illa vero à ſolo Deo, & ipſummet actum voluntatis præcedit, cum ad illius elicientiam moueat, & applicet voluntatem.

21 Hoc argumentum longam exigebat diſputationem, in quo huiuſmodi Dei motio conſiſtat, à qua tamen abſtinendo, breuiter quod probabilius videatur, explicare conabor. Dico igitur, talem motionem Dei ſiue in cauſis naturalibus, ſiue liberis non eſſe aliquid per modum potẽtiæ ipſas in actu primo conſtituens, ſed eſt quædam qualitas per modum tranſeuntis à Deo ipſis cauſis, ſeu potentijs operatiuis impræſſa: quæ, quia non habet eſſe permanens, dicitur aliquando à D. Thom. 7. in loco argumento citato, non eſſe qualitatem, quia eſt quædam qualitas habens eſſe quodam incompletum; vt perſpicuis verbis explicat D. Thom. quæſt. 3. de potentia, artic. 7. ad 7. dicens. *Virtus naturalis, quæ eſt in rebus in ſua conſtitu-*

tione

tione collata, ineſt eis vt quædam forma habens eſſe ratum, & formam in natura, ſed id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agit, eſt vt intentio ſola habens eſſe quidam incompletum, per modum quo colores ſunt in diaphano, & virtus artis, in inſtrumento artificis.

QVÆSTIO XV.

Vtrum omne inſtrumentum phiſicum vt ad effectum concurrat principalis agentis, aliqua indigeat motione?

De inſtrumento dumtaxat phiſico inquirimus: inſtrumenta enim moralia, illa videlicet, ad quorum poſitionem aliquid abſque phiſico illo influxu agens operatur, potius ſunt in aliquo pacto cõditiones agendi, quam proprie inſtrumẽta, vt eo ſolummodo Sacramenta veteris legis moraliter concurrebant ad gratiam: quod vtiq; non eſt, illam proprie cauſare: nec magis proprie illam cauſant Sacramenta nouæ legis, in ſententia illorum, qui omnem illis ad id phiſicum denegant concurſum.

2 Inſtrumentum autem phiſicum, aliud eſt naturale, ideſt, quod ad naturales concurrit effectus, aliud artificiale, quod

quod videlicet ad effectus deſeruit artificiales; & aliud denique ſupernaturale, vt quod aſſumitur à Deo ad productionem alicuius effectus ſupernaturalis. Et licet ſolum de inſtrumentis naturalibus ad Philoſophum naturalem ſpectantibus hic ex profeſſo tractetur, aliquid etiam obiter de alijs dicemus inſtrumentis.

3 Non tamen nunc loquimur de virtutibus inſtrumentarijs, quibus proxime agens ſubſtantiale operatur, vt de calore ignis ad productionem alterius ignis, & de ſemine animalis, vt eſt ipſa virtus generantis, quia licet huiuſmodi virtutes operatiuæ dicantur aliqualiter inſtrumenta: proprie tamen non inſtrumenta, ſed virtutes dicuntur inſtrumentariæ, de quibus ſupra, quæſtion.12. iam diximus, quod eſto per modum principij proximi, quo concurrant ad actionem principalis agentis, ſeu vt medijs illis principale agẽs operetur, præter emanationem ipſarum ab agente non exigunt aliquam in eis virtutem ſuperadditam, & illis à principali agente communicatam. ſed ſi in virtute principalis agentis dicuntur concurrere, eſt locutio (vt ibi diximus) intranſitiua, per quam ſolum intenditur ad tales effectus prædictas virtutes concurrere, vt ſunt ipſę virtutes proximæ, & inſtrumentariæ principalis agentis. Solum igitur nunc loquimur de inſtrumento phiſico, quod ſupponens in agente principali non ſolum virtutem radicalem, ſed

& prædictam virtutem proximam agendi; ipſi agendi principali ad eius operationem inſtrumentaliter,& miniſterialiter deſeruit, & phiſice inſtrumentaliter ad illius effectum concurrit, vt baculus ad percutiendum, calamus a ſcribendum. De huiuſmodi igitur phiſicis inſtrumentis inquirimus, an vt ad effectum agentis principalis concurrant, indigeant aliqua præuia motione ipſius agentis principalis in ipſius inſtrumentis receptam, per quam ad ſic inſtrumentaliter concurrendum eleuentur, vt communiter docent Thomiſtæ.

4 Partem negatiuam tenent aliqui recentiores vniuerſaliter exiſtimantes, quodlibet inſtrumentum etiam illud, quod ad aliquem ſupernaturalem aſſumitur effectum, ſufficienter ad illum concurrere per ſuam potentiam naturalem, vel obedientialem illi congenitam, ſecundum quam eſt capax, vt aſſumatur à cauſa principali, & à Deo ad quemlibet effectum, qui non implicat contradictionem, & ſolum exigi concurſum Dei ſimultaneum in ipſum effectum. Alij vero exiſtimant, ſolum per extrinſecam aſſiſtentiā cauſæ principalis ad inſtrumentum, abſque eo quod aliquam ei motionem aut virtutem imprimat, poſſe ipſum inſtrumentum ad effectum concurrere principalis agentis.

5 Dicendum nihilominus eſt omne inſtrumentum phiſicum indigere motione

prin-

principalis agentis in ipſo inſtrumento recepta, vt per illam eleuetur, & fiat potens concurrere efficienter inſtrumentaliter ad effectum ipſius principalis agentis. Concluſio eſt communis Thomiſtarum: & deducitur ex D. Thoma pluribus in locis: 3. enim part. quæſtion 62. art. 4. aſſerit, quod cauſa inſtrumentalis non agit per virtutem ſuæ formæ, ſed ſolum per motum, quo mouetur à principali agenti. Vnde effectus non aſſimilatur inſtrumento, ſed principali agenti. Et art. 4. aſſerit. *Quod inſtrumentum non operatur, niſi in quantum motum à principali agente, quod per ſe operatur; & ideo virtus principalis agentis habet permanens, & completum eſſe in natura: virtus autem inſtrumentalis habet eſſe tranſiens ex vno in aliud, & incompletum, ſicut & motus eſt actus imperfectus ab agente in patiens.*

6 Probatur autem efficaciter concluſio, ſimulque oppoſitæ reijciuntur ſententiæ: nam inſtrumentum non conſtituitur in ratione principij inſtrumentalis efficiẽtis phiſici in ordine ad effectum principalis agentis per ſuammet propriam formã, & naturalem virtutem, nec per potentiam obedientialem, ſecundum quam eſt capax vt aſſumatur vt inſtrumentum etiam à Deo ad quoſcumque effectus, qui non implicant contradictionem: nec denique per ſolam aſſiſtentiam extrinſecam cauſæ principalis ad ipſum inſtrumentum. Ergo ſolum conſtituitur potens, & in actu primo,

vt

vt inſtrumentaliter concurrat ad effectum principalis agentis per motionem ipſius principalis in ipſo inſtrumento receptam. Conſequentia patet. Quia præter aſſignata in antecedenti nullum aliud, niſi prædicta motio ex cogitari poteſt, per quod inſtrumentum ad talem rationem inſtrumenti conſtituatur. Antecedens autem quoad primam partem probatur, quia alias inſtrumentum non diſtingueretur à cauſa principali, cuius proprium conſtitutiuum illius in ratione cauſæ principalis eſt, concurrere ad ſuos effectus per ſuammet formam, & propriam ſuam connaturalem virtutem operatiuam.

7 Quoad ſecundam vero partem etiam probatur. Tum, quia cum talis potentia obedientialis ſit congenita ipſo inſtrumento, ſi per ſolam illam abſque aliqua virtute ei ſuperaddita conſtitueretur inſtrumentum in ratione principij productiui alicuius effectus, conſtitueretur vtique non in ratione inſtrumenti, ſed in ratione cauſæ principalis in ordine ad illum, ſiquidem conſtitueretur per aliquid ſibi proprium, connaturale, & congenitum. Tum etiam, quia cum talis potentia obedientialis ſaltem in rebus naturalibus ſit quoad ſubſtantiam naturalis, non poteſt per illam aliquid conſtitui in ratione inſtrumenti ad effectus ſupernaturales, perperamque perinde in ordine ad quoslibet effectus etiam ſupernaturales nihil aliud quam prædicta potentia obedientialis vt con-

conſtituentium inſtrumenti deſideratur. Tū denique, quia eſt totalis detur potentia obedientialis radicaliter actiua (quod nec forſan eſt admittendum) ad minus non poteſt eſſe proxime actiua, & determinata virtus inſtrumentalis proxima ad quoslibet determinatos effectus, cum indifferenter omnes reſpiciat. Ergo præter talem potentiam obedientialem debet aliquid dari in inſtrumento, per quod proxime in ratione inſtrumenti determinati ad determinatos effectus conſtituatur.

8 Tertia tandem pars antecedentis probatur, quia ſi aliquid ſecundum ſe eſt impotens, vt concurrat ad effectum alicuius principalis agentis, etiam per ſolam aſſiſtentiam eiuſdem agentis principalis ad illud, ſi illi nihil intrinſecum imprimatur, aut in illo recipiatur: ſicut nulla rebus intrinſece mutatur, ita etiam manet omnino eodem modo intrinſece impotens ad talem effectum ac ſecundum ſe. Non igitur aliquid poteſt conſtitui in ratione inſtrumenti phiſici ad effectum alicuius agentis principalis per ſolam extrinſecam aſſiſtentiam eiuſdem agentis principalis ad illud. §. Nec poteſt dici, quod per ipſum influxum, & actum ſecundum ipſius inſtrumenti, quatenus propter aſſiſtentiam agentis principalis redditur virtuoſior, quam eſſet ab ipſo inſtrumento ſecundum ſe ſumpto conſtituitur in ratione inſtrumenti, & vt attingat effectum principalis agentis. §. Non, inquam, id poteſt dici.

Tum,

Tum, quia per ſolam talem aſſiſtentiam principalis agentis ſicut non mutatur intrinſece inſtrumentum, ita nec illius influxus aut actus ſecundus procedit perfectior, aut virtuoſior, quam ab illo ſecundum ſe procederet. Tum, vel maxime, quia cum inſtrumentum ſecundum ſe non ſit potens attingere per ſuum influxum effectum principalis agentis, prius natura, quam in illum influat, debet conſtitui potens ad talem influxum, ac perinde non per ipſum influxum, & actum ſecundum, ſed per aliquid præuium ad illum debet conſtitui inſtrumentum in ratione inſtrumenti, & principij inſtrumentalis in actu primo.

9 Obijcies primo, quod cum, vt oſtendimus quæſtione præcedenti, omnes cauſæ ſecundæ præmoueantur, vt operentur, à prima: & cauſa inſtrumentalis ſit vere cauſa ſecunda creata, & à Deo in ſuo influxu inſtrumentali dependens etiã debet ad illum à prima cauſa moueri. Ergo cum talis præmotio primæ cauſæ ſit efficax, & efficaciter omnẽ cauſam ſecundã applicet ad operandum, non indiget inſtrumentum aliqua alia motione cauſæ ſecundæ principalis, vt inſtrumentaliter ad aliquem concurrat effectum. §. Confirmatur: nam inſtrumentum, quod immediate ad aliquem effectum aſſumitur à Deo, non duplici à Deo præmouetur motione, altera videlicet generali: qua vt cauſa prima vniuerſalis quamlibet cauſam ſecundam creatam præmouet ad operandum, & altera particu-

ticulari, qua vt cauſa particularis principalis alicuius effectus ad illum tale aſſumit inſtrumentum; & illud præmouet, vt ad talem effectum inſtrumentaliter concurrat: non enim videtur qualiter talis duplex immediata Dei præmotio in eodem inſtrumento ſit compatibilis. Ergo ſi tale inſtrumentum ſolum cum generali Dei motione, qua quamlibet cauſam ad operandum præmouet creatam, poteſt inſtrumentaliter concurrere ad aliquem effectũ, cum ſimili generali Dei motione, & abſque alia motione cauſæ principalis particularis, poteſt quodlibet aliud inſtrumentum etiam à cauſa particulari creata aſſumptum, inſtrumentaliter ad illius concurrere effectum.

10 Reſpondetur ad argumentum negãdo conſequentiã, quia vt diximus quæſt. præcedenti in ſolutione ſecundæ obiectionis, motio efficax, qua Deus quamlibet cauſam creatam principalem inſtrumentalem mouet, & applicat ad operandum, non præbet illi aliquam virtutem principaliter, vel inſtrumentaliter operatiuam. Sed quamlibet in ſuo ordine complete per ſuam virtutem operatiuam in actu primo conſtitutam applicat ad operandum, & determinat ad indiuiduam actualem, & ſingularem operationem; inſtrumentum autem indiget motione cauſæ principalis, cuius eſt inſtrumentum vt accipiat virtutem inſtrumentariam, quam ex ſe non habet, & per illam conſtituatur principium

in-

inſtrumentale in actu primo; & vere vt ſic conſtitutum in actu primo per talem motionem, indiget, vt de facto inſtrumentaliter influat in effectum, alia motione cauſę primę, per quam applicetur ad operandum. §. Ad confirmationem reſpondetur, in primis non eſſe inconueniens, quod cum Deus vt agens principale particulare abſque aliqua cauſa ſecunda principali aliquem producit effectum; & ad illum aliquod aſſumit inſtrumentum, duplici motione illud moueat prius videlicet vt tale agens principale particulare ei tribuens virtutem inſtrumentariam, per quā conſtituatur in actu primo, potens inſtrumentaliter concurrere ad talem effectum, & deinde altera motione, qua tale inſtrumentum ſit in actu primo media prima motione conſtitutum, Deus vt cauſa vniuerſalis applicet ad operandum. Vel ſi dicatur, vnica tunc motione Deum tale inſtrumentum mouere, nō erit ſimilis motioni, qua cauſas ſecundas principales prę-mouet ad operandum, quia his, vt diximus, per talem motionem non prębet, ſed ſupponit earum virtutem operatiuam per motionem autem, qua inſtrumentum ab ipſo Deo ad aliquem effectum immediate aſſumptum prę mouet, ſi vnicam tantum admittamus, & prębet ei virtutem inſtrumentariam, & illud ad actualem applicat concurſum inſtrumentalem.

11 Obijcies ſecundo, quod non omnia inſtrumenta concurrunt ad effectus per-

perfectiores ſe ipſis ſecundum ſe ſumptis. Saltem ergo illa vt ad tales effectus concurrant, non indigent aliqua ſpeciali motione cauſę principalis, qua conſtituantur in actu primo in ordine ad tales effectus. Conſequentia patet, quia quodlibet videtur eſſe complete in actu primo abſque noua aliqua ei ſuperaddita virtute ad effectum qui illud ſecundum ſe ſumptum non excedit in perfectione. Antecedens autem probatur. Nam cum quis vtitur malleo, vt inſtrumento ad faciendum clauum, talis malleus nec in eſſe entis naturalis, nec in eſſe artificialis entis eſt minoris, imò potius maioris perfectionis quam clauus medio illo faciendus: & ſimiliter poteſt Deus aliqua ſubſtantia vti, vt inſtrumento ad productionem pręternaturalem alicuius accidentis etiam corporei, quod proculdubio non ſolum non eſt perfectius, ſed imperfectius quacunque ſubſtantia. Aliqua igitur inſtrumenta concurrunt ad effectus ſe ipſis ſecundum ſe ſumptis non perfectiores, ſed æqualis, vel minoris perfectionis cum illis.

12 Reſpondetur, quod pręterquam quod plurima etiam alia ad aliquos effectus illis perfectiores adhibentur inſtrumenta, quę perinde vt conſtituantur complete in actu primo ad concurſum inſtrumentalem in tales effectus indigent motione principalis agentis; omnia in vniuerſum inſtrumenta tali indigent motione, quia licet aliqua illorum (vt ſolum pro-

bat

bat argumentum factum) materialiter, & in eſſe entis ſint æqualis, vel maioris perfectionis cum effectibus, ad quos vt inſtrumenta aſſumuntur, ſemper tamen formaliter vt inſtrumenta, & vt aſſumpta à cauſa principali ſunt minoris perfectionis, quam effectus, vt docet Diu. Thomas in 4. diſtinct. 1. art. 4. quæſtiuncula 1. dicens. *Secundum, quod actio inſtrumenti quandoque pertingit ad vltimam perfectionem, quam principale agens inducit aliquando autem non, ſemper tamen pertingit ad aliquid, vltra id quod competit ſibi ſecundum ſuam naturam, ſiue illud ſit vltima forma, ſiue diſpoſitio*. Hæc D. Thomas, ex cuius doctrina conſtat; quod licet malleus, verbi gratia (vt exemplo ipſius argumenti vtamur) ſit in eſſe entis naturalis, & artificialis perfectior clauo, imò eius forma artificialis ſit diſpoſitio, qua reddatur aſſumptibilis ab artifice, vt inſtrumentū ad conficiendū clauum, adhuc in ipſo ſecundum ſe non continetur clauus, vt ſpeciali artificioſo modo conficiendus, vſque dum per ipſam motionem artificis ei communicetur virtus ad talem effectum ſic artificiosè attingendum, & quia huiuſmodi virtus (vt explicabimus in ſolutione ad vltimam obiectionem huius quæſtionis) non communicatur inſtrumento, niſi per modum formæ incompletæ, imperfectæ, & tranſeuntis, illa eſt imperfectior effectu; ac perinde ipſum inſtrumentum formaliter, vt inſtrumentum, & vt formaliter per talem

for-

formam in ratione inſtrumenti conſtitutũ, eſt imperfectius quolibet effectu, ad quem inſtrumentaliter concurrit:

13 Obijcies tertio, quod inſtrumenta immediata diuinæ virtutis, quæ ipſe Deus immediate aſſumit ad aliquos ſupernaturales effectus, non indigent motione aliqua intrinſeca, per quam Deus va cauſa principalis, particularis illis virtutem aliquam præbeat operatiuam. Ergo multo minus inſtrumenta naturalia, aut artificialia indigent, vt ad ſuos concurrant effectus, motione agentis principalis creati cuius ſunt inſtrumẽta, vt ab illo virtutem inſtrumentariam accipiãt: ſiquidem quo effectus eſt altioris ordinis, eo indiget illius inſtrumentum maiori eleuatione, & agendi virtute. Antecedens probatur: nam vt docet D. Thom. in 1. diſt. 8. q. 2. art. 3. ad 4. *Sicut creaturæ ideſt obedientiæ potẽtia, vt in ea fiat quidquid Creator diſpoſuerit, ita etiam vt ea media fiat, quod eſt ratio inſtrumenti*. Ergo ſicut quæuis creatura per potentiam obedientialem paſſiuam poteſt abſque additione alicuius intrinſeci, & per ſubordinationem ad Deũ concurrere ad recipiendum quodlibet ſupernaturale, cuius receptio, non implicat contradictionem: ita & per potentiã obedientialem actiuam, quam in prædictis verbis videtur admittere D. Thom. & cum prædicta ſubordinatione ad Deum abſque aliqua virtute intrinſeca ei ſuperaddita, videtur, creaturam poſſe concurrere ad

quoſlibet effectus ſupernaturales, qui non implicent contradictionem: & cum in eo aſſerat D. Thomas, rationem inſtrumenti conſiſtere, videtur nullam in inſtrumento ad illius effectum ſuperadditam virtutem ex motione agentis principalis ei communicatam deſiderare.

Reſpondetur negando antecedens, & ad illius probationem dico, quod (vt Deo dante latius explicabo in commentarijs ad 3. p. D. Thom. ſuper q.13.) nulla datur potentia obedientialis actiua, ſed ſolum paſsiua, licet illa aliquando ſit ad recipiẽdum aliquam virtutem actiuam, ipſa tamen potentia obedientialis, nec radicaliter eſt actiua: & ita cũ in allegato teſtimonio aſſerit D.Thom. quod in creatura eſt potentia obediẽtiæ, vt media ea fiat, quod Deus voluerit, non intendit, talem potiam obedientiæ eſſe ad id aliqualiter actiuam, ſed ſolum quod eſt potentia paſſiua ad recipiendum ad id virtutem actiuam, ad differentiam eiuſdem potentiæ, vt eſt potentia paſſiua ad recipiendũ aliquid nõ actiuum. Et cum ſubdit S.D. quod ea potentia obedientiæ, vt media creatura fiat, quod voluerit Deus, eſt ratio inſtrumẽti, loquitur de ratione remota inſtrumentali ſecundum quam eſt capax vt aſſumatur à Deo vt inſtrumentũ ad aliquem effectum; non vero de ratione proxima, & completã inſtrumenti: hoc enim non habet niſi per virtutem actiuã operatiuã, & ex motione agẽtis principalis ei communicatã,

qua-

quatenus per illam conſtituitur in actu primo in ratione principij inſtrumentaliter operatiui: imò etiam ſi admittatur in creatura potentia obedientialis aliqualiter actiua ad effectus ſupernaturales (vt aliqui etiam ex Thomiſtis probabiliter admittunt) nullatenus tamen eſt admittẽdum, quod ſit actiua in ordine ad tales effectus, niſi radicaliter, & remote. Vnde vt de facto creatura concurrat, vel inſtrumentaliter ad aliquem effectum ſupernaturalem indiget alia virtute actiua ſuperaddita, per quam reddatur proxime potens concurrere ad talem effectum.

14 Obijcies quarto, quod in pluribus inſtrumentis non videtur poſſe recipi aliquam virtutem ſuperadditam per motionem agentis principalis illis communicatam. Non ergo tali virtute indigent, vt inſtrumentaliter concurrant ad effectus principalis agentis. Antecedens probatur in inſtrumentis corporeis, quæ ad effectus aſſumuntur ſpirituales, vt phantaſma corporeum, quod virtute intellectus agentis inſtrumentaliter concurrit ad productionem ſpeciei intelligibilis immaterialis: & Sacramenta, quæ ſunt aliquid corporeum, inſtrumentaliter phiſice iuxta probabiliorem ſententiam Thomiſtarum, concurrunt ad productionem gratiæ, quæ eſt maxime ſpiritualis: nam virtus ſuperaddita talibus inſtrumentis ad tales effectus, nec poteſt eſſe corporea, vtpote quæ improportionata effectibus ſpi-

ritualibus, non poſſet eſſe principium illos attingendi: nec poſſet eſſe ſpiritualis, vtpote quæ improportionata ſubiecto corporeo nō poſſet in illo intrinſece recipi: ergo nulla ad tales effectus poteſt dari virtus in prædictis inſtrumētis eis ſuperaddita, & in illis intrinſece recepta. §. Nec valet dicere, quod quia (vt in ſolutione ſequētis argumenti explicabimus) talis virtus non permanenter, ſed per modum tranſeuntis recipitur in inſtrumento, non obſtat, quod ad effectus ſpirituales virtus ſpiritualis inſtrumentalis recipiatur in ipſo inſtrumento corporeo, licet in illo virtus ſpiritualis completa, & permanens recipi nequeat. §. Non, inquam, id valet. Tum, quia quantumuis tranſeunter aliquod accidens in ſubiecto recipiatur, debet pro illa vel breuiſſima morula commenſurari ſubiecto: & commenſurari nequit accidēs indiuiſibile, & ſpirituale ſubiecto corporeo,& extenſo: ac perinde virtus ſpiritualis, neque tranſeunter poteſt recipi in ſubiecto corporeo. Tum etiam, quia nec tranſeunter poteſt recipi accidens corporeum in ſubiecto ſpirituali. Vnde nec tranſeunter poteſt albedo recipi in Angelo. Ergo neque tranſeunter poteſt accidens ſpirituale recipi in ſubiecto corporeo, cum non maior ſit proportio inter accidens ſpirituale, & ſubiectum corporeum, quam è contra inter accidens corporeum, & ſubiectum ſpirituale.

15 Reſpondetur, negando antecedens.

dens; Et ad illius probationem aliqui conuicti argumento facto de impoſſibilitatm inhærendi virtutem ſpiritualem in ſubiecto corporeo, haud improbabiliter aſſerunt, eam virtutem eſſe formaliter corpoream, licet videatur & dicatur ſpiritualis, quatenus non percipitur, nec ſentitur, & in re ſit virtualiter ſpiritualis, quatenus aliquando effectum attingit ſpiritualem. Et in ea ſententia ad probationem aduerſus eam in argumento factam reſponderi poteſt, quod licet corporeum non poſſit principaliter attingere effectum ſpiritualem, & circa ſubiectum ſpirituale, bene tamen inſtrumentaliter, & in virtute agentis principalis ſpiritualis. Sicut licet accidens ſecundum ſe non poſſit productionem attingere ſubſtantiæ, bene tamen in virtute ſubſtantiæ, cuius eſt inſtrumentum, ſeu vt eſt virtus ipſius ſubſtantiæ agentis principalis, vt calor, qui eſt virtus ignis, productionem alterius attingit ignis. §. Probabilius tamen eſt, vt colligitur ex doctrina Diui Thomæ 3. part. quæſt. 62. artul.4. ad 1. & in 4. diſtinct.1. quæſt. 1. artic. 4. quæſtiuncula 2. ad 4. quod virtus inſtrumentaria ad effectus ſpirituales licet in ſubiecto corporeo recepta, eſt formaliter ſpiritualis, quia vt docet D.Thomas 3. part. quæſtion.63. artic.5. ad 1. ea eſt differentia inter formam perfectam, & completam, & formam completam, & imperfectam, qualis eſt virtus inſtrumentaria;

quod prima debet proportionari ſubiecto, in quo recipitur, non autem ſecunda ſed potius principio à quo procedit. Et ſic virtus inſtrumentaria ad effectus ſpirituales non debet eſſe corporea, etiam ſi in inſtrumento corporeo recipiatur, ſed debet eſſe ſpiritualis, vt proportionetur ſuo principio ſpirituali; agenti videlicet principali, à quo procedit: maxime cum vt inter reſpondendum ad argumentum dicebamus tranſeunter in inſtrumento corporeo recipiatur. Vnde ad replicam aduerſus hoc factam neganda eſt conſequentia. Quia quælibet forma vtpote actuans ſubiectum in quo recipitur, debet eſſe actualior ipſo ſubiecto, & nulla forma corporea poteſt eſſe actualior ſubiecto ſpirituali: ac perinde nec tranſeunter poteſt recipi in eo: bene tamen poteſt recipi ſaltem tranſeunter forma ſpiritualis in ſubiecto corporeo. Nec debet ita illi proportionari; quod ſit coextenſa illius extenſioni, ſed potius erit in tali ſubiecto indiuiſibili modo, tota videlicert in toto, & tota in qualibet illius parte.

16 Obijcies quinto, quod talis virtus, quam ſuperadditam dicimus debere eſſe in quolibet inſtrumento, nec poteſt eſſe effectui principalis agentis omnino proportionata, & eiuſdem ſaltem perfectionis cum illo nec improportionata, & inferioris perfectionis ad illum. Nulla ergo talis virtus poteſt dari in inſtrumẽto.

to. Antecedens pro prima parte probatur. Quia alias inſtrumentum per talem virtutẽ cõſtitueretur nõ in rationi inſtrumenti, ſed potius in ratione cauſę principalis ad talem effectum, ſiquidem conſtitueretur per formam, & virtutem eiuſdem perfectionis cum effectu. Pro ſecunda autem parte probatur idem antecedẽs. Quia ſi talis virtus non eſſet æqualis ſaltem perfectionis cum effectu, non ſufficeret proportionari inſtrumentum ad ipſum attingendum effectum, ſed ſicut ſecundum ſe, & ſecundum ſuam formam eſt improportionatum tali effectui, etiam cum prædicta virtute improportionatum maneret.

Reſpondetur, talem virtutem inſtrumentariam, quia non radicatur in ipſo inſtrumento, ſed prouenit ex agentis principalis participatione, dari per modum formæ in completæ, & imperfectæ, & tranſeunter recipi in inſtrumento. Vnde non eſt omnino æqualis perfectionis cum effectu principalis agentis, & ſic non conſtituit inſtrumentũ in ratione cauſæ principalis: tamen quatenus eſt ipſa virtus principalis agentis, eleuat ipſum inſtrumentum, vt quod ſecundum ſe non poterat effectum principalis agentis efficiẽter, vel inſtrumentaliter attingere, poſſit vt per talem virtutem conſtitutum. §. Nec huic obſtat; quod character ſacramentalis datur per modum formæ permanentis, vt docet D.Thom. 3. part. quæſt. 63.

articul. 5. ad 1. vt proportionetur æterno Chriſti Sacerdotio, à quo procedit.

§. Non, inquam, id obſtat, quia character eſt quidem forma qua miniſter deſignatur permanenter inſtrumentum aſſumptibile à Deo ad effectus Sacramentales, nō autem eſt ipſa virtus, per quam ad tales effectus mouetur à principali agente, ſed præter talem characterem requiritur ad quemlibet talem effectum noua motio Dei principalis agentis, & virtus per talem motionem ipſi inſtrumento tranſeunter communicata, quæ virtus, vt conſtituat inſtrumentum in ratione principij operatiui, ad genus qualitatis, & ad ſpeciem potentiæ reductiue pertinet.

QVÆSTIO XVI.

Vtrum omne inſtrumentum phiſicum debeat habere virtute propria aliquam actionem, per quam diſpoſitiue operetur ad effectum principalis agentis.

CVm omne phiſicum inſtrumentum (vt quæſt. reſoluimus præcedenti) non propria virtute, ſed virtute per motionem principalis agentis ei communicata ad effectum concurrat ipſius princi-

pa-

palis agentis, vt ſerra ad artificioſam ſciſionem, inquirimus in præſenti, an vt ad id inſtrumentum concurrat, debeat virtute propria, aliquam habere actionem præuiam, per quam reddatur capax talis inſtrumentarij concurſus, cui difficili quæſtioni occaſionem præbuit doctrina Diui Thom. 1. part. quæſt. 45. vbi dicens, nullam creaturam poſſe à Deo aſſumi vt inſtrumentum creationis, huius reddens rationem, ait. *Cauſa ſecunda inſtrumentalis non participat actionem cauſæ ſuperioris niſi in quantum per aliquid ſibi proprium diſpoſitiue operatur ad effectum principalis agentis. Si igitur nihil ibi ageret ſecundum illud quod eſt ſibi proprium, fruſtra adhiberetur ad agendum, nec oporteres eſſe determinata inſtrumenta determinatarum actionum: ſic enim videmus, quod ſecuris ſcindendo lignum quod habet ex propietate ſua forma, producit ſi omni formam; quæ eſt effectus proprius principalis agentis. Illud autem, quod eſt proprius effectus Dei creantis, eſt, quod præſupponitur omnibus aliſs, ſcilicet eſſe abſolute. Vnde non poteſt aliquid operari diſpoſitiue & inſtrumentaliter adhunc effectum, cum creatio non ſit ex aliquo præſuppoſito, quod poſſit diſponi per actionem inſtrumentalis agentis.* Hæc D. Thom. cuius doctrina, ſatis difficilis aliquibus videtur. Vnde in varias abiere ſententias. Aliqui namque vniuerſaliter omni denegant inſtrumento phiſico, aliquam debere habere virtute propria actionem præuiam ad

effectus principalis agentis. Alij autem id concedentes inſtrumentis naturalibus, negant vllatenus requiri in inſtrumētis ſupernaturalibus, quæ immediate à Deo ad aliquos ſupernaturales effectus aſſumuntur. Alij denique id in omnibus inſtrumentis phiſicis exiſtimant eſſe neceſſariū. Ex his autem qui in omnibus vel aliquibus phiſicis inſtrumentis talem exiſtimant debere virtute propria dari præuiam actionem, aliqui aſſerunt, debere eſſe realiter entitatiue ſtiſtinctam ab actione, qua medio ipſo inſtrumento principale agens attingit effectum: alij verò exiſtimant, ſufficere, quod talis actio virtute propria inſtrumēti ſit formaliter diſtincta ab actione ipſius inſtrumenti virtute cauſæ principalis, & ab actione ipſius cauſæ principalis mediante inſtrumento. Quid autem inter hæc probabilius iudicem, quia ſæpius de hoc in alijs materijs Theologis redibit ſermo, breuiter explicare conabor.

2 Dico igitur primo, omne inſtrumētum phiſicum naturale, vt condiſtinguitur ab inſtrumento, ad ſuper naturalem effectum, vt concurrat ad effectum principalis agentis, debet habere virtute propria aliquam actionem præuiam, per quā diſpoſitiue operetur ad ipſum effectum principalis agentis, quatenus per talem actionem redditur capax vt ad illum virtute inſtrumentaria concurrat. Concluſio deducitur ex D.Tho. loco citato, & proba-

ba-

batur. Nam ſi talem præuiam actionem noſi deberent habere naturalia inſtrumenta, non eſſet vnum magis quam aliud capax recipiendi virtutem inſtrumentariam à principali agente ad illius determinatũ effectum: ac perinde poſſet ad illum indifferenter quodlibet aſſumi naturale inſtrumentum, poſſetque, v.g. ad ſcribendũ æqualiter aſſumi glouus ſpheticus ac calamus, atque ad ſcindendum æqualiter aſſumi butirum, ac ferra, quod manifeſte eſt falſum.

3 Dico ſecundo: Actio præuia, quam virtute propria ad effectum principalis agentis debet habere inſtrumentum phiſicum naturale, non eſt neceſſarium, quod ſit realiter entitatiue diſtincta ab actione ipſius principalis agentis, ſed ſufficit, quod formaliter ſit ab illa diſtincta & quaſi prius intelligatur ſecundum aliquam formalitatem procedere virtute propria ab inſtrumento, quam quod ſecundum aliam formalitatem ab ipſo virtute inſtrumentaria & ab agente principali procedat: & prima formalitas talis actionis quaſi præintelligatur diſpoſitiue ad effectum principalis agentis. Explicatur ſimul & probatur concluſio. Nam cum ferra vt inſtrumentum artificis concurrit ad artificioſam ſciſionem, non datur ibi duplex realiter entitatiue diſtincta ſciſio, ſicut nec duplex terminus realiter entitatiue diſtinctus correſpondens, ſed vnica dumtaxat entitatiue actio, vt eſt ſciſio, correſpon-

det ſerræ ſecundum illius virtutem propriam, quia in ſerra ad ſcindendum intelligimus virtutem propriam & connaturalem, & quaſi præintelligimus ſciſionem abſolute, & contactum durum & acutum ſerræ circa paſſum ante ipſam ſciſionem, vt artificioſam, in qua conſiſtit effectus principalis agentis. Ideoque ad ſcindendum arttificioſe potius ratione talis virtutis propriæ & connaturalis ſerræ & contactus duri & acuti, quem ex ſe habet ſerra, aſſumitur illa vt inſtrumentum connaturale ſciſionis artificioſæ, quam alia quælibet res, v.g. butirum. Idque etiam manifeſte deducitur ex doctrina D. Thom. 3. p. quæſt. 26. art. 1. ad 2. dicentis. *Quod inſtrumentum habet duas actiones, vnam inſtrumentalem, ſecundum quam operatur non in virtute propria, ſed in virtute principalis agentis. Aliam autem habet actionem propriam, quæ competit ſibi ſecundum propriam formam, ſicut ſecuri competit ſcindere ratione acuitatis, facere autem lectum, in quantum eſt inſtrumentum artis; non autem perficit inſtrumentalem actionem, niſi exercendo actionem propriam: ſcindendo enim facit lectum.* Hæc D. Thom. vbi manifeſte indicat, non entitatiue diuerſam, ſed eandē ſecundum diuerſam formalitatem actionē exercere inſtrumentum virtute propria, & virtute principalis agentis.

4 Dico tertio. Inſtrumentum etiam ad ſupernaturales effectus aſsūptibile à Deo, [illegible]t virtute propria habere aliquid præ-

uium

niũ ad tales ſuper naturales effectus: id tamẽ nõ debet eſſe aliqua actio propria determinata ad aliquẽ illorum, ſed proportio dumtaxat entis ad ens, qua mediante indifferenter ad quemlibet poſſet aſſumi ſupernaturalem effectum. Prima pars concluſionis deducitur ex D.Thoma, qui loco citato primæ partis vniuerſaliter videtur id exigere in quolibet inſtrumento, & ob defectum talis præuij in creatura ad effectum creationis negat, illam poſſe à Deo ad creationem aſſumi, vt inſtrumentum: & id etiam præuium exigit S.Doctor loco proxime citato 3.part.& alibi ſæpius in Sacramentis, & alijs inſtrumentis ad productionem gratiæ. Et probatur, quia alias fruſtra talia inſtrumenta ad ſupernaturales aſſumerentur effectus, imò nec ad illos poſſent aſſumi, ſiquidem in ſe non haberent aliquid, per quod rederentur aſſumptibilia, nec eſſet cur ad tales effectus, & non ad creationem poſſent aſſumi.

5 Secunda autem pars concluſionis probatur, retorquendo argumentum Diu. Thomæ, quia ad huiuſmodi effectus ſupernaturales, non magis vnum quam alterum eſt à Deo aſſumptibile inſtrumentum. Sed æqualiter quodlibet illorum poteſt aſſumi. Ergo ipſa talia inſtrumenta virtute propria non habent aliquid præuium determinatum magis ad vnum, quam ad alternm ſupernaturalem effectum, ſed ſi quid præuium virtute propria habent, illud eſt

ita commune, & indifferens, vt æqualiter medio illo ad quoslibet poſſint aſſumi ſupernaturales effectus.

6 Tertia denique pars concluſionis, videlicet, quod id præuium, quod ad effectus ſupernaturales virtute propria debent habere inſtrumenta, ſit ſolum illorum proportio entis ad ens cum ſubiecto talium ſupernaturalium effectuum, probatur. Tum, quia quodlibet aliud ſuper hoc non erit omnino commune, & indifferens ad omnes effectus ſupernaturales, ſed ad aliquem illorum aliqualiter determinatum: cuius oppoſitum oſtendimus, cum ad quemlibet ſupernaturalem effectũ, æqualiter quodlibet poſſit aſſumi inſtrumentum. Tum etiam, quia licet aliquod inſtrumentum aliquam aliam maiorem virtute propria habeat proportionem cum aliquo ſupernaturali effectu, cum illa non ſufficiat, vt poſſit eſſe naturale illius inſtrumentum, vt de facto Deus ad talem effectum illud aſſumat, omnino materialiter, & per accidens ſe habet talis maior illius proportio cum effectu, & ſolum pertinebit ad aliquam ipſius aſſumptibilitatis congruentiam: vt congruentius aſſumitur aqua baptiſmalis ad regenerationem, & lauacrum animæ, quatenus virtute propria poteſt attingere lotionem corporis: per ſe tamen ſolum ad id conducit proportio entis ad ens, quam ex ſe habeat inſtrumentum cum ſubiecto effectus ſupernaturalis principalis agentis. Tum denique

que quia per hoc ſolum ſaluatur intentum D.Thom. quod creatura non poſſit aſſumi vt inſtrumentum creationis quia cum actio cuiuſcumque agentis creati etiam virtute diuina operantis, ac perinde & actio inſtrumentaria inſtrumenti ſi ſit productio alicuius, extra ipſum agens debeat eſſe actio formaliter tranſiens, & inferens in aliquo paſſo mutationem, & hanc non inferat creatio,quia non ſupponit aliquod ſubiectum, optime D.Thomas ex deffectu proportionis entis ad ens cum ſubiecto creationis, quia nullum tale eſt, intulit, nullam creaturam poſſe aſſumi, vt inſtrumentum creationis, quia ei deficit illud communiſſimum præuium ad talem effectum, proportio videlicet entis adens, quam cum ſubiecto cuiuslibet ſupernaturalis effectus debet virtute propria habere quodlibet inſtrumentum vt ad illius productionem inſtrumentariè attingendam aſſumatur. Et hæc modo inſinuaſſe ſufficiat, prouectioribus lectoribus in diuerſis Theologiæ materijs amplius explicanda.

QV-

QVÆSTIO XVII.

Quid & quotuplex ſit finis, & an inter cauſas reales enumeretur.

FInis, teſte Ariſtot. hic, cap.3. tex.31. cum communi eius interpretum ſententia, *eſt id cuius gratia aliquid fit*: finis enim mouet & alicit voluntatem ad electionem & executionem mediorum, vt ſanitas mouet infirmum ad potionem amaram, & alia media ad conſecutionem ipſius ſanitatis adhibenda. Huiuſmodi autem finis definitio licet aliqui illam ad finem *cui* ſtatim explicandum extendant, re vera ſolum competit fini, quem quis conſequi deſiderat, vtpote qui ſolum ſimpliciter eſt finis, licet aliquando coincidat materialiter finis *qui*, & finis *cui*, vt cum quis non ſolum ſibi ſed & propter ſemetipſum aliquid appetit, vel deſiderat.

2 Plures ſunt diuiſiones finis hic potius inſinuandæ, quam ex profeſſo explicandæ, vtpote quæ magis ad Theologum, vel Philoſophum moralem, quam ad naturalem ſpectant. Finis ergo alius eſt finis *qui*, id ſcilicet, quod voluntatem mouet, cuius conſecutio deſideratur, & cuius gratia aliquid fit. Alius vero eſt finis *cui*, ille videlicet cui finis *qui*, deſideratur, vt cum quis appetit ſalutem, ſalus ipſa

ſa eſt finis *qui* cuius gratia eligit media; & ipſemet appetens eſt finis *cui* quia ſibi appetit ſalutem, & licet finis *qui* debeat eſſe nobilior appetente, non tamen oportet ſemper, quod finis *cui* ſit nobilior. Et finis *qui* alter eſt obiectiuus, alter formalis. Obiectiuus eſt id, quod quis appetit. Formalis autem eſt ipſa conſecutio finis obiectiui; vt Deus eſt finis vltimus obiectiuus hominis, & actio viſionis beatæ qua homo talem finem obiectiuum conſequitur, eſt finis illius formalis. Ex vtroque autem tali fine vnus totalis conflatur, & finis obiectiuus, vt conſequendus per finem formalem allicit, & mouet appetitum. Finis denique alius eſt vltimus, alius non vltimus. Non vltimus eſt, qui ad alium vlteriorem finem ordinatur. Vltimus vero, qui non ordinatur ad alium, ſed omnia alia ordinantur ad illum: non enim admittimus cum aliquibus finem vltimum negatiue, qui cum ad alium non ordinetur, non tamen omnia ordinantur in illum: vt enim communiter docent Theologi 1.2.quæſt.1. nullus talis datur finis vltimus negatiue.

3 His ergo ſuppoſitis, vt ad vltimam partem quæſtionis reſpondeamus, dicendum eſt, finem eſſe vere, & proprie cauſam realem, quod præter authoritatem Ariſtotelis, & eius interpretum illum inter cauſas reales enumerantium, probatur. Quia quilibet realis effectus maxime in his, quæ proprie agunt propter finem, ab

ab ipſo fine per ſe realiter dependet, imò priuſquam omnes aliæ cauſæ ad illum finis concurrit, cum agens non operetur, niſi prius à fine realiter moueatur, & alliciatur ad operandum, & ideò de facto aliquid operatur, vt finem conſequatur intentum. Ergo finis inter veras reales cauſas debet enumerari. §. Confirmatur, quia voluntatem eſſe inclinatam ad aliquid faciendum, eſt verus effectus realis ab ipſo fine ipſam mouente dependens. Ergo finis eſt cauſa realis talis effectus.

4 Nec obſtat, quod communiter finis cauſa dicatur metaphorica, ac perinde non videatur eſſe proprie cauſa, cum id cui ſolum metaphorice aliquid conuenit, non videatur illud ei proprie conuenire. §. Non, inquam, id obſtat, quia finis diditur cauſa metaphorica, non quia proprie non ſit cauſa, imò & realis cauſa, ſed quia non cauſat vt exiſtens realiter, ſicut efficiens, ſed exiſtens tantum in appræhenſione, quamuis enim realem etiam, & non ſolum in apprehentione aliquando finis cum finalizat, poſſit habere exiſtentiam, ea non requiritur ad finalizandum, ſed ſufficit, quod exiſtat in apprehenſione. Vnde finis non dicitur abſolute cauſa metaphorica, ſed ad contrapoſitionem dumtaxat cauſæ efficientis, quæ maiorem, vt cauſet, exigit exiſtentiam, & perfectiorem magiſque phiſicum habet influxum.

5 Nec obſtat, quod i... m cauſam

ſam realem, & effectum debet eſſe relatio realis: & hæc cum non ſit niſi inter extrema realia, & realiter exiſtentia inter finem non poteſt eſſe, & illius effectum, vtpote qui, vt ad illum concurrat, realem non exigit exiſtentiam. §. Non, inquam, id obſtat; nam licet cuiuslibet effectus ad ſuã cauſam, vtpote ab illa dependentis, ſit reſpectus tranſcandentalis; cauſa tamen & præcipue finalis, quæ à ſuo dependet effectu, non dicit reſpectum tranſcendentalem ad illum, ſicut illum non dicit Deus ad aliquem ſuum effectum. Et licet inter cauſam, & effectum, cum vtrumque eſt reale, & realiter exiſtit, reſultet relatio realis prædicamentalis fundata in prædicta dependentia, & reſpectu tranſcendentali effectus ad cauſam, ſicut hæc non reſultat, cum effectus realiter non exiſtit: ita non eſt inconueniens, quod non reſultet inter cauſam finalem, & ſuum effectum, quia licet ſit cauſa vera, & realis, non indiget, vt in ſuo genere cauſet, reali; ſed ſolum in appræhenſione exiſtentia.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrum apprehenſio, an ipſa bonitas finis ſit ratio formalis finalizandi.

CVm voluntas, vt nunc ſuppono, non poſſit ferri in malum, & vt etiam eſt certum, non poſſit ferri in incognitum, opportet vt aliquis finis voluntatem moueat, & alliciat (in quo, vt quæſt. ſequenti dicemus, eius cauſalitas finalis conſiſtit) quod ab intellectu proponatur & apprehendatur ſub ratione boni. Et hinc oritur difficultas, an in fine ratio formalis finalizandi ſit talis apprehenſio, vt aliqui autumant: an vero vt communior fert ſententia ipſa ſua bonitas finis ſit ratio formalis ſub qua mouet, & finalizat, & apprehenſio ſit ſolum conditio mouendi, & finalizandi?

2 Dico primo. In fine ratio formalis finalizandi non eſt illius apprehenſio, ſed ſua bonitas realis. Concluſionem cum communi ſententia tenet noſter Author Ss.Magiſter Soto hic quæſt.3. §. *cauſa finalis*. Et vt videbimus magnum habet in D.Thoma fundamentum. Et probatur primo, quia finis eſt id cuius gratia aliquid ſit, & eſt idem quod bonum, cum bonum teſte Philoſopho 1. Ethicorum ſit

quod

quod omnia appetunt. Sed ratione ip ſi u bonitatis finis, & non ratione illius ap prehēſionis finis cōſtituitur in ratione boni, & illius gratia, omnia fiunt. Ergo bonitas realis ipſius finis, & non illius apprehēſio eſt ratio formalis finalizandi. Minor probatur. Quia non appetit infirmus apprehendere ſanitatem, imò potius vt illam appetat, ſupponitur iam apprehenſa, & nemo appetit id, quod iam habet, ſed potius illo fruitur: nec gratia apprehenſionis ſanitatis, ſed gratia bonitatis realis ipſius ſanitatis infirmus eligit media, & potionem ſumit, aliaque adhibet ad conſequendam ipſam ſanitatem. Ergo bonitas realis finis, non autem illius apprehenſio eſt, quæ illum conſtituit in ratione finis, & vt gratia illius omnia fiant: ac perinde talis bonitas eſt ratio formalis ſub qua finis mouet, & finalizat.

3 Secundo probatur, quia finis formaliter finalizat per id, per quod, cum obtinetur, faciat appetitum; cum illum vt deſideratus moueat. Sed per ſuam realem bonitatem, non autem per ſuimet apprehenſionem faciat appetitum. Ergo per ſuam realem bonitatem, & non per ſui apprehenſionem ipſum appetitum mouet, & finalizat. Minor probatur. Quia apprehenſio, dum quis bonitatem realem finis non conſequitur, tantum abeſt, quod illius faciet appetitum, quod potius quanto magis finem apprehendit, illum magis deſideret, & in illius conſecutionem inquie-

tus,

tus, & inſatiatus anhelet. Confirmatur; quia finis ſub ea ratione formaliter finalizat, ſub qua ſi ab agente non conſequatur, eius fruſtratur actio: ſed non poteſt agens non conſequi apprehenſionem finis, qui ipſum mouet, quia vt ipſum moueat, iam ſupponitur apprehenſio, & ſolum quod poſt motionem finis poteſt non conſequi, eſt ipſa bonitas realis finis. Ergo ſub illa, & non ſub apprehenſione, tanquam ſub ratione formali finalizandi finis mouet, & allicit appetitum agentis.

4 Nec valet his rationibus cum auctoribus contrarijs dicere, illis ſolum probari, quod ipſa bonitas realis finis ſit ratio quæ mouens appetitum, & obtenta illum ſatiat, & ſi non conſequatur, actio fruſtatur agentis; non tamen probatur, quod apprehenſio non ſit ratio formalis ſub qua. In quolibet enim obiecto actus, aut potentiæ aſſignabilis eſt ratio formalis, quæ attingitur, & ratio formalis, ſub qua attingatur: ſicut in obiecto viſus color eſt ratio formalis attacta, & lux eſt ratio formalis ſub qua attingitur: ita ergo aſſerunt, quod ipſa bonitas realis finis eſt ratio formalis, quæ voluntatem mouet, apprehenſio autem eſt ratio formalis, ſub qua mouet, & finalizet. §. Non, inquam, id valet, quia cum in ipſa bonitate finis, qui voluntatem mouet, ſit ratio entis, ratio veri, & boni: ſicut ratio veri eſt ratio ſub qua attingitur ab intellectu; ita ratio boni non ſolum eſt ratio quæ, ſed ratio

for-

formalis ſub qua attingitur à voluntate, & ratio formalis ſub qua ipſam voluntatem mouet, & allicit. Cum ergo vnicam tantum rationem formalem ſub qua mouendi in fine debeamus aſſignare, illa non poteſt eſſe illius apprehenſio, ſed ſolum illius bonitas realis. Vt tamen amplius prædicta impugnetur ſolutio, & ſimul noſtra confirmetur ſententia, oſtendere oportet, quod non apprehenſio finis, ſed illius realis bonitas eſt ratio formalis ſub qua finis mouet, & finalizat.

5 Id in primis deducitur ex diuerſis teſtimonijs D.Thomæ, quæſtio enim 22. de verit. art.4. ad 1. docet diuerſitatem appetibilium non deſumi directe ex diuerſitate huius, vel diuerſæ apprehenſionis.. Sed ſi apprehenſio eſſet ratio formalis, ſub qua finis moueret appetitum, directe ex diuerſitate apprehenſionum diuerſitas formalis appetitus deſumeretur; ſicut directe diuerſitas cuiuſcumque potentiæ ex diuerſitate rationis formalis ſubqua ſui obiecti deſumitur. Ergo in ſententia Diui Thomæ apprehenſio non eſt ratio formalis ſub qua finis mouet, & finalizat. §. Similiter quæſt. 25. de veritate, artic.1. ad 6. ait Diu.Thomas, quod diuerſitas apprehenſionum per accidens ſe haberet ad appetitiuas vires, niſi diuerſitati apprehenſionem diuerſitas apprehenſorum coniungeretur. Sed ſi apprehenſio eſſet ratio formalis ſubqua finis apprehenſus mouet vires appetitiuas, eo ipſo

ſo quod eſſet diuerſa apprehenſio, faceret ipſum apprehenſum formaliter diſtinctum. Ergo cum Diu. Thomas in prædicto teſtimonio videatur ſupponere diuerſitati apprehenſionum poſſe non coniungi diuerſitatem apprehenſorum, ſentit apprehenſionem non eſſe rationem formalem ſub qua apprehenſum in ratione mouentis, & finalizantis conſtituitur.

6 Præterea id probatur, quia apprehenſio ſeu eſſe apprehenſum eſt quid commune, & omnino eodem modo requiſitum ad quodlibet voluntatis obiectum, ſiue vt per modum finis, ſiue præciſſe per modum medij illam terminet. Ergo nequit eſſe ſpecialis ratio ſub qua finis per modum finis, & vt diſtinguitur à medijs voluntatem moueat, & alliciat. Antecedens eſt certum, quia cum voluntas in nullum incognitum, ſiue per modum finis, ſiue per modum medij poſſit ferri; eodem prorſus modo ratio apprehenſi in quolibet obiecto voluntatis, vt illam terminet, concurrit. Conſequentia autem etiam patet, quia diuerſi actus, qualis eſt actus voluntatis intentionis in finem, & electionis mediorum non poſſunt ad obiectum ſub eadem prorſus ratione formali ſub qua terminari. §. Confirmatur, nam apprehenſio eſt in linea intelligibili. Ergo nequit eſſe ratio formalis ſub qua finis mouet, & allicit voluntatem. Conſequentia probatur. Nam finis vt ſic mouens voluntatem eſt in linea appetibilis.

Ergo

Ergo non poteſt formaliter tanquam ſub ratione ſub qua conſtitui per apprehenſionem pertinentem ad lineam intelligibilis, qui ad eam lineam debet pertinere conſtitutum, & eius ratio formalis ſub qua conſtitutiua: ſicut ad eandem lineam viſibilis pertinet color: & lux per quam tanquam per rationem formalem ſub qua in eſſe viſibilis conſtituitur.

7 Id denique ab inconuenienti probatur. Quia ſi apprehenſio finis eſſet ratio formalis ſub qua ille terminet, & moueat appetitum, ſequeretur charitatem viæ, & patriæ eſſe formaliter diſtinctas. Cõſequens autem aduerſari videtur Apoſtolo 1.ad Corinth.13. dicenti, quod charitas numquam excidit, neque euacuabitur: quod vtique non eſſet; ſi eadem formaliter, quæ eſt in via, non maneret in patria, ſed alius formaliter diſtinctus ei ſuccederet amor. Sicuti, quia non eadem formaliter in via, & in patria manet cognitio fidei, ſed alia diſtincta ſuccedit, fides excidit, & euacuatur. Ergo apprehenſio non eſt ratio formalis ſub qua aliquod obiectum moueat voluntatem. Sequela probatur, quia variata ratione formali ſub qua alicuius obiecti, ipſum obiectum formaliter variatur: ac perinde, & actus ad ipſum ſub tali ratione formali terminatus, neceſſum eſt, quod formaliter ſit diſtinctus. Ergo ſi ratio formalis ſub qua obiecti voluntatis eſſet apprehenſio,

illa formaliter variata, ſicut variatur apprehenſio, & cognitio; quia in via, & in patria cognoſcitur Deus, & voluntati proponitur, ipſi etiam actus amoris, & charitatis viæ, & patriæ formaliter diſtinguerentur.

8 Nec valet dicere cum Magiſtro Medina, qui oppoſitam tuetur ſententiam, quod tunc ſolum diuerſitas apprehenſionum diuerſificat actus voluntatis, cum ſimul accedit diuerſitas apprehenſorum; quod cum non contingat reſpectu actus charitatis viæ, & patriæ, illi non diſtinguuntur formaliter, quamuis ſub diuerſa apprehenſione ſuum attingat obiectum.

§. Non, nunquam, id valet, nam ſi apprehenſio eſſet ratio formalis ſub qua obiecti voluntatis, quamuis illud in eſſe entis eſſet idem, diuerſa formaliter illius apprehenſio faceret illud diuerſum formaliter, licet præter illam nulla alia in illo eſſet diuerſitas. Sicuti propter ſolam diuerſam formaliter abſtractionem à materia, quia illa eſt ratio formalis ſub qua obiecti ſcientiarũ, idem in eſſe entis obiectum, ſit formaliter in eſſe ſcibilis diuerſũ, & diſtinctas formaliter terminat ſcientias. Ergo ſi ſola diſtincta formaliter apprehẽſio eundem in eſſe entis Deum non ſufficit cõſtituere diuerſũ formaliter obiectũ voluntatis, & ſpecificatiuũ diſtinctorum formaliter actuum illius; re vera apprehenſio nõ eſt ratio formalis ſub qua conſtitutiua voluntatis obiecti: ac perinde nec finis,

cum

cum ille ſub ſpeciali ratione obiecti volũtatis illam moueat, & finalizet.

9 Dico ſecundo. Apprehenſio eſt cõditio neceſſaria finis, vt ſuam finalem exerceat cauſalitatem; non quidem per modũ applicationis ad cauſandum, ſed per modum exiſtentiæ requiſitæ, vt finaliter cauſet. Explicatur, & probatur concluſio. Sicut enim in cauſa efficienti duplex, vt cauſet, requiritur conditio, exiſtentia videlicet realis ipſius cauſæ, & applicatio illius ad paſſum; & licet hæc fit ſupernaturaliter ſupplebilis, & abſque tali applicatione poſſit ſupernaturaliter aliqua cauſa in paſſum diſtans efficienter operari, nõ tamen abſque reali exiſtentia ipſius cauſæ; ipſa exiſtentia non eſt ratio formalis efficiẽter cauſandi, ſed ſolum ad id inſupplebilis conditio: & ratio formalis efficienter agendi eſt ipſa forma cauſæ efficientis: ita proportionabiliter dicimus, quod ratio formalis ſub qua finis mouet, & finaliter cauſat, eſt ſua bonitas realis; apprehenſio autem eſt applicatio illius ad cauſandum, & ſimul exiſtentia illius intentionalis, quã neceſſario, & inſupplebiliter exigit, vt ſuam exerceat cauſalitatem finalem. Et hoc intendit Philoſoph. 3. de anima cap. 10. dũ aſſerit appetibile non mouere, niſi mente, aut imaginatione perceptum. Et hoc probat commune proloquium, quod volũtas in incognitum ferri non poteſt. Et hoc denique oſtendit inſinuata proportio, & differentia inter cauſam efficientem, &

finalem, quod vtraque vt cauſet, aliquam neceſſario exigit exiſtentiam: cauſa autem finalis,quia cauſat metaphorice, & intentionaliter exigit ſolum exiſtentiam in apprehenſione; efficiens vero, quia cauſat in executione producendo effectum exigit exiſtentiam realem. §. Ex his autem duabus concluſionibus ſequitur, quod cũ dicitur finem mouere ſecũdum quod apprehenſum, aut ſecundum quod eſt in apprehenſione, ſi ly ſecundum denotet rationem formalem mouendi, propoſitio eſt falſa; vera tamen, ſi ſolum denotet conditionem mouendi, & finalizandi.

10 Aduerſus primam concluſionem obijcies primo, quod D. Thom. pluries oppoſitum illius videtur docere, præcipue 1.p. q.80. art.2. ad 1. aſſerens: *Appetibili non accidit eſſe apprehenſum per ſenſum, vel intellectum, ſed per ſe ei conuenit, nam appetibilem non mouet appetitum, niſi in quantum eſt apprehenſum. Vnde differentia apprehenſi ſunt differentia appetibilis. Vnde potentia diſtinguuntur ſecundũ differentiã apprahenſorũ, ſicut ſecundum propria obiecta.* Hæc D.Tho. vbi cum aſſerat, quod appetibili non accidat eſſe apprehenſum, ſed ei per ſe conueniat, manifeſte indicat apprehenſionem non eſſe ſolum conditionem, ſed rationem formalem appetibilis, vt appetatur: hæc enim per ſe conuenit, illa vero tantum per accidens. Et cum ſubdat differentiam apprehenſi eſſe differentiam appetibilis, & quod potentiæ appetitiuæ diſtin-

ſtinguuntur ſecundum differentiam apprehenſorum, idem videtur confirmare: non enim niſi per id, quod ſe habet vt ratio formalis in obiecto aliquæ diſtinguuntur potentiæ.

Reſpondetur quod D. Thom. ſolum intendit, quod apprehenſio ſit conditio per ſe, & neceſſario requiſita vt appetibile terminet appetitum, & illum, quatenus diuerſa apprehenſio ſenſus, vel intellectus diuerſam applicat ratione obiecti, cauſaliter diſtinguat, licet formaliter non à tali apprehenſione, ſed à diuerſo apprehenſo diſtinguatur. Conſulto enim non dixit D. Thom. quod differentiæ apprehenſionis, ſed quod differentiæ appetibilis, vt indicaret, quam per diuerſam apprehenſionē ſenſus, vel intellectus diuerſum obiectum apprehenditur, & voluntati proponitur. Nam vt docet idem S. D. q. 25. de veritate art. 1. ad 6. *Senſus qui non eſt niſi particularium, non apprehendit bonitatem abſoluta, ſed hoc bonum: intellectus vero, qui eſt vniuerſalium, apprehendit bonitatem abſolutam, ex quo diuerſificatur appetitur inferior à ſuperiori*. Ecce qualiter D. Thom licet radicaliter, & cauſaliter ex diuerſitate potentiæ apprehenſiuæ, & illius apprehēſionis deſumat differentiam potentiæ appetitium, illam tamen ex diuerſo apprehenſo formaliter deſumit.

11 Obijcies ſecundo, quod diuerſi actus eiuſdem potentiæ appetitiuæ circa idem prorſus in eſſe entis obiectum, di-

uerſa dumtaxat apprehenſione formaliter diuerſificantur. Ergo talis apprehenſio eſt ratio formalis prædictorum actuum obiecti, illudque facit formaliter eſſe diſtinctum. Antecedens probatur, nam idemmet bonum apprehenſum vt præſens cauſat gaudium, & apprehenſum vt abſens cauſat deſiderium. Et idemmet malum apprehenſum vt præſens cauſat triſtitiam, & apprehenſum vt abſens cauſat timorem, qui ſunt actus formaliter diuerſi. Et cum in eſſe entis idem ſit malum, & bonum, quod ſic diuerſimode apprehenditur, ſolum videtur illud formaliter in eſſe obiecti talium actuum diuerſificari penes diuerſam talem apprehenſionem: ac perinde illa ſe habet, vt ratio formalis ſub qua conſtitutiua obiecti in eſſe obiecti talium diuerſorum actum.

Reſpondetur, quod licet diuerſa talis apprehenſio, quatenus diuerſum applicat obiectum, ſit cauſa, & radix diuerſitatis talium actuum, illi non per talem diueſam apprehenſionem, ſed per diuerſum obiectum apprehenſum formaliter diuerſificantur. Nam cum obiectum appetitus non ſit bonum tranſcendentale, ſed vt relatum ad ipſum appetitum per modum illi conuenientis; & diuerſam conuenientiam ad appetitum habeat bonum præſens, & abſens: quamuis illud in eſſe boni tranſcendentalis ſit idem, in eſſe boni relati eſt diuerſum. Vnde cum potentia

ap-

apprehenſiua idem bonum vt abſens, vel vt præſens appetitui proponit, non ſolum eſt diuerſa propoſitio, & apprehenſio: ſed & diuerſum relatum bonum propoſitum, & apprehenſum: & ex tali illius diuerſitate, non autem ex diuerſa ſolum apprehenſione prædicti actus appetitus formaliter diuerſificantur. Et idem dico de malo, quod cum ſit obiectum fugæ appetitus non abſolute vt malum, ſed vt malum ad ipſum appetitum per modum ei diſconuenientis relatum, & diuerſam diſconuenientiam habeat malum præſens, ac abſens, cum idem abſolute malum vt præſens, vel vt abſens appetitui proponitur, non ſolum diuerſa interuenit propoſitio, ſed & diuerſa malitia relatiue in obiecto propoſito, à qua diuerſi formaliter actus triſtitiæ, & timoris formaliter diuerſificantur.

12 Obijcies tertio. Quod ſi obiectum, quod nullam habet realem bonitatem per modum boni intellectus voluntati proponat, ſufficit illam mouere, & finalizare. Ratio ergo formalis in tali obiecto mouendi, & finalizandi voluntatem non poteſt eſſe illius realis bonitas, vtpote quam nullam habet, ſed ſolum apprehenſio illius ſub ratione boni. §. Confirmatur, nam ſi obiectum, vel intrinſece malum moraliter, vel malum quia prohibitum, intellectus inuincibiliter ſub ratione boni moralis voluntati proponat, actus voluntatis erit bonus moraliter, & ta-

talem ſui ſpecificationem non à bonitate morali obiecti, ſed ſolum à tali illius apprehenſione accipiet. Apprehenſio igitur eſt ratio formalis ſub qua actum bonum moraliter terminet voluntatis.

Reſpondetur ad argumentum, quod licet apprehenſio in tali caſu falſo applicet bonitatem realem obiecto, quam non habet, non tamen ipſa apprehenſio, ſeu applicatio talis bonitatis; ſed ipſamet bonitas realis falſo tali obiecto applicata eſt ratio formalis ſub qua illud voluntatem moueat & finalizet. §. Et eodem modo reſpondetur ad confirmationem, quod licet intellectus per ſuam apprehenſionem bonitatem aliquam moralem falſo alicui applicet obiecto; non talis apprehenſio, ſed ipſa moralis bonitas obiecto ſic licet falſo applicata eſt ratio formalis mouendi voluntatem, & illius actum moraliter bonum ſpecificandi. Et idem dico cum falſo inuincibiliter intellectus obiecto ſecundum ſe moraliter bono applicat malitiam moralem; quod actus voluntatis obiectum ſic propoſitum proſequens erit moraliter malus, & ſpecificabitur moraliter non apprehenſione talis obiecti, ſed à malitia morali ei licet falſo per apprehenſionem applicata.

13 Obijcies quarto, quod intellectus eſt principium formale voluntatis. Ergo & actus intellectus eſt principium formale, & ratio ſpecificatiua actus voluntatis: eandem enim dependentiam formalem

de-

debent habere actus aliquarum potentiarum inter ſe, quam habent ipſæ potentiæ. Sed non aliter ſaluari poteſt, quod actus intellectus ſit principium formale actus voluntatis, niſi per id, quod cognitio & apprehenſio obiecti voluntaria ſit ratio formalis ſub qua illud actum terminet voluntatis: ergo ita re vera cognitio & apprehenſio ſe habet vt ratio formalis ſub qua obiecti voluntatis. Primum antecedens probatur, quia per intellectum, vt per principium formale ipſius voluntatis probatur & demonſtratur voluntas: ergo intellectus ſe habet vt principium formale voluntatis.

Reſpondetur, quod intellectus ſolum eſt principium formale voluntatis, quatenus quodam modo eſt principium emanationis illius; licet enim omnes proprietates dimanent ab eſſentia, non tamen ex æquo, ſed ſuo ordine & vna mediante alia dimanant ab illa: & ſic voluntas medio intellectu dimanat ab anima: & quia principium emanationis, licet poſſit reduci ad genus cauſæ efficientis; quatenus ita eſſentialiter præſupponitur ad effectum, quod per ſe petat ab illa emanare; dicitur etiam ad talem effectum concurrere in genere cauſæ formalis: ſicut ob id etiam dicitur, quod actus vitales dependent formaliter à principio vitali: eo igitur ſolummodo intellectus poteſt dici principium formale voluntatis, & etiam actus intellectus princium actus vo-

luntatis, quatenus ad illum per ſe, & neceſſario præſupponitur. Tamen nec intellectus eſt principium formale voluntatis, vt illius ſpecificatiuum, aut ratio formalis illius ſpecificatiui cum illud non pertineat ad lineam intelligibilem; nec actus intellectus eſt ſpecificatiuum, aut ratio formalis ſub qua obiecti ſpecificatiui voluntatis, ſed ſolum applicatio, & exiſtentia intentionalis illius.

QVÆSTIO XIX.

Quæ ſit cauſalitas finis?

SIcut in cauſa efficienti datur ipſa cauſa; & ratio formalis per quam conſtituitur in actu primo ad cauſandum, eius cauſalitas, ſcilicet ipſius actio, & illius effectus, id videlicet quod per talem actionem prodncitur: ita proportionabiliter id debemus in cauſa finali indagare. Et ex quæſtione præcedenti conſtat cauſam finalem eſſe ipſam entitatem finis, & illius bonitatem eſſe rationem formalem ſub qua finalzandi, & per quam conſtituitur in actu primo ad finalizandum. Vnde ſolum de cauſalitatē, & effectu finis poteſt iam dubitari. Et de effectu certum eſt, quod eſt actus voluntatis, quo appetit finem: & præter hunc immediatum effectū cauſæ finalis, etiam dantur alij illius effe-

ctus

ctus non ita immediati, vt electio mediorum, illorum executio, & ipſius finis intenti conſecutio. Vnde ſolum reſtat difficultas in aſſignando cauſalitatem cauſæ finalis.

22 Quæſtio quidem ex ſe difficilis, & difficilior facta ſententiarum varietate. Quæ tamen ad duos poſſunt reduci: altera plurium aſſerentium, quod ipſe actus, quo voluntas appetit finem, licet vt à voluntate procedit ſit cauſalitas illius, vt efficientis, & effectus finis, tamen vt procedit à fine eſt ipſiuſmet finis cauſalitas. Altera ſententia eſt aliorum, quod in aliquo prævio ad ipſum actum voluntatis, nempe in motione, & excitatione, qua finis mouet, & excitat & inclinat voluntatem ad talem actum eliciendum, ipſins finis cauſalitas conſiſtit. Defenſores tamen huius ſententiæ in duos modos ſunt diuiſi: aliqui enim completam cauſalitatem finis in tali motione conſtituunt: ita vt actus voluntatis ſolum ſit complementum illius per modum effectus, non autem vt habens aliqualiter rationem cauſalitatis finis: alij in vtroque completam cauſalitatem finis conſiſtere aſſerunt. Authores etiam primi modi, alij exiſtimant finem media tali ſua motione, in qua illius cauſalitatem conſtituunt, aliquid intentionaliter cauſare in ipſa voluntate antecedēter ad ipſius actum appetendi finē, per quod voluntas intrinſece inclinetur ad proſecutionem finis. Alij autem nihil

tale intrinſecum in voluntate per motionem, & cauſalitatem finis cauſari admittunt: ſed cum ex citatio, qua finis determinat, mouet, & inclinat voluntatem ſit obiectiua, nihil per illam reale exiſtimant cauſari in voluntate.

3 Dico primo. Cauſalitas finis non eſt ipſemet actus, quo voluntas appetit finem; ſed quædam motio, excitatio, & inclinatio voluntatis à fine, vt voluntas ipſum appetat finem. Concluſio magis conſonat cum communi Ariſtotelis, & omnium philoſophorum ſententia: quod cauſalitas finis eſt metaphorica, id eſt cauſalitas intentionalis per modum obiectiuæ excitationis, motionis, & inclinationis voluntatis ad actum. Et probatur primo. Nam illud eſt cauſalitas cuiuslibet cauſæ, quod ſupponens illam in actu primo complete conſtitutam ad cauſandum, mediat inter ipſam cauſam ſic conſtitutam, & illius effectum. Sed talis excitatio, & motio voluntatis à fine mediat inter ipſum finem in actu primo conſtitutum ad cauſandum, & illius effectum. Ergo eſt ipſa cauſalitas finis. Maior patet exemplo cauſæ efficientis, cuius actio eſt eius cauſalitas, vtpote quæ ſupponens illam conſtitutam in actu primo ad cauſandum, & præcedens illius effectum mediat inter vtrumque.

Minor probatur. Quia talis motio ſupponit cauſam finalem conſtitutam complete in actu primo ad cauſandum;

&

& præcedit illius effectum. Ergo mediat inter vtrumque. Maior probatur. Quia cauſa finalis conſtituitur in actu primo ad cauſandum per ſuam bonitatem, & applicatur per apprehenſionem. Sed vtrumque illud talis motio, & excitatio voluntatis à fine ſupponit: ideò enim finis mouet voluntatem, quia habet bonitatem, & applicatur per apprehenſionem intellectus. Ergo talis motio, & excitatio voluntatis ſupponit finem in actu primo conſtitutum ad cauſandum, immo & applicatum vt cauſet. Minor autem, quod talis motio ipſum effectum finis præcedat probatur. Quia primus effectus finis eſt actus voluntatis, quo voluntas ipſum appetit finem. Sed hunc talis motio, & excitatio præcedit, ideò enim voluntas appetit finem, quia ad illum appetendum eſt ab ipſo fine meta excitata, & inclinata. Ergo talis voluntatis motio ipſum primum effectum finis præcedit. §. Confirmatur, quia non poteſt negari, quoad præter ipſum actum voluntatis, quo appetit finem intelligitur aliqua motio, & excitatio voluntatis ad talem actum eliciendũ, quia ad illius elicientiam eſt mota, excitata, & inclinata, & etiam non poteſt negari, quod talis motio pertinet ad cauſam finalem: ſed non pertinet ad actum primum cauſandi, cum omnino completum illud ſupponat: nec pertinet ad effectum ipſius cauſæ finalis niſi lato modo, qualiter

cau-

cauſalitas cuiuſcumque cauſæ quatenus ab ipſa cauſa dependet , poteſt aliqualiter dici effectus illius . Ergo pertinet ad cauſam finalem tanquam cauſalitas illius .

4 Si dicas quod talis motio , quamuis non ſit ratio finalis conſtituens finem in actu primo , quia hæc ſolum eſt ipſius bonitas ; quia tamen talis motio nihil aliud eſt quam ipſa apprehenſio & propoſitio bonitatis finis , non eſt illius cauſalitas , ſed applicatio illius ad cauſandum : & ita pertinet ad finem , & non vt effectus , neque vt cauſalitas , nec vt ratio formalis cauſandi , ſed vt illius applicatio ad cauſandum . Et ſic etiam talis motio non mediat inter finem conſtitutum in actu primo & applicatum ad cauſandum , & illius effectum ; qualiter requireretur quod mediaret vt eſſet ipſius finis cauſalitas . Sicut vt actio ſit cauſalitas cauſæ efficientis mediat inter illius effectum & illam non ſolum vt in actu primo conſtitutam , ſed vt applicatam ad operandum . §. Non inquam , id valet , falſum enim eſt quod talis motio & excitatio voluntatis ſit ipſa finis apprehenſio & applicatio illius ad cauſandum , ſed quid ſubſequens ad talem apprehenſionem & applicationem finis . Tum quia ideo finis mouet & excitat voluntatem , quia apprehenditur & proponitur ei ab intellectu , ly quia non dicendo rationem formalem , ſed conditionem & applicationem finis vt moueat : ergo talis conditio ,

tio, apprehenſio, & applicatio finis non eſt ipſa motio & excitatio voluntatis, ſed quid præuium & requiſitum ad illam. Tum etiam quia ſtat bonitatem finis eſſe applicatam voluntati per apprehenſionem & propoſitionem intellectus; & tamen de facto propter indiſpoſitionem & duritiem voluntatis illam à fine non moueri aut excitari ad illius appetitum: ergo talis motio non eſt ipſa apprehenſio bonitatis finis, & illius applicatio ad cauſandum; ſed cauſalitas quæ ſtante tali applicatione poteſt propter indiſpoſitionem voluntatis non ſequi: ſicut ſtante ſu cauſa efficienti ratione formali agendi, & illius applicatione ad paſſum poteſt propter illius indiſpoſitionem non ſequi actio quæ eſt cauſalitas agentis: vt applicato igne ad paſſum poteſt propter illius indiſpoſitionem non ſequi combuſtio aut calefacio, in quibus cauſalitas ignis per modum efficienti conſiſtit.

5 Secundo principaliter probatur concluſio, quia cauſalitas finis nullatenus poteſt eſſe actus, quo voluntas ipſum appetit finem: ergo ſolum poteſt eſſe motio quædam præuia, qua finis mouet, allicit, & excitat voluntatem ad talis actus elicientiam. Antecedens probatur. Tum, quia talis actus voluntatis eſt ipſiuſmet finis effectus non per immediatam emanationem ab ipſo fine, qualiter cu-

iu-

iuslibet cauſæ cauſalitas, & ipſa etiam actio efficientis, quatenus ab ipſa immediate dimanat, poteſt aliqualiter dici effectus illius. Sed talis voluntatis actus eſt effectus finis dependenter in ſui elicientia ab ipſa voluntate. Ergo non poteſt talis actus voluntatis eſſe ipſa cauſalitas finis. Patet conſequentia, quia omnes effectus alicuius cauſæ, qui eſt proprie effectus illius, & immediate non dimanat ab illa, diſtinguitur ab illius cauſalitate, & eſt tali cauſalitate poſterior. §. Tum etiam, quia ideò voluntas efficienter elicit talem actum, quia ad illius elicientiam eſt mota, excitata, & inclinata à fine. Ergo prius intelligitur finem exercuiſſe ſuam erga voluntatem cauſalitatem, quam quod talis eliciatur à voluntate actus: ac perinde non poteſt in illo cauſalitas finis conſiſtere. §. Tum denique, quia talis voluntatis actus eſt ipſius voluntatis, vt cauſæ efficientis cauſalitas. Ergo non poteſt eſſe cauſalitas finis. Cauſæ enim diuerſæ, & maxime in tam diuerſo genere cauſandi, ſicut cauſa efficiens, & finalis, diuerſam debent habere cauſalitatem.

6 Dices, quod idem materialiter actus voluntatis vt ab illa efficienter procedit, eſt illius cauſalitas; & vt à fine dependet eſt cauſalitas ipſius finis. Neque enim obſtat eandem materialiter entitatem ſecundum diuerſam formalitatem, & dependentiam eſſe cauſalitatem dupli-

cis cauſæ etiam in diuerſo genere cauſantis. Sicuti idem modus vnionis inter materiam, & formam eſt ſecundum diuersã formalitatem, vtriuſque talis cauſæ cauſalitas. Et actio vt egreditur ab agente, eſt illis cauſalitas, & recipitur in paſſo eſt cauſalitas materiæ. Ac denique actio, qua creatura concurrit ad effectum eſt etiam in ordine ad eundem effectũ ipſamet cauſalitas Dei, vt à Deo talis actio creaturæ dependet. Non igitur eſt inconueniens, quod idemmet actus voluntatis, vt ab illa dependet ſit cauſalitas illius, vt efficientis, & vt dependet à fine ſit cauſalitas ipſius finis.

Contra hoc tamen eſt, quod quidquid ſit de exemplis adductis, de quorum veritate non opportet modo diſputare, actus ipſe voluntatis nullatenus poteſt eſſe cauſalitas finis, quia ſub nulla formalitate talis actus poteſt intelligi, vſque dum intelligatur efficienter procedens à voluntate. Sed priuſquam intelligatur efficienter procedens à voluntate, intelligitur cauſalitas finis. Ergo illa non poteſt in tali actu voluntatis ſecundum aliquam formalitatem illius conſiſtere. Minor probatur. Quia ideò voluntas in talem actum efficienter prorumpit, quia ad illum eliciendum eſt mota, & excitata à fine. Ergo prius intelligitur cauſalitas finis in voluntatem, quam quod actus appetitus in finem ab illa efficienter procedat.

8 Ex dictis ſequitur completam cauſalitatem finis ſaluari in tali motione, & excitatione voluntatis à fine, abſque eo quod actus voluntatis vllatenus vt cauſalitas finis, tanquam totalis, vel partialis cauſalitas, nec tanquam complementum ipſius cauſalitatis finis ingrediatur. Sed ſolum poteſt dici cauſalitatem finis compleri per actum voluntatis tãquam per illius effectum: ſicut cauſalitas cuiuſcumque cauſæ, quia eſt via, & tendentia ad ipſius cauſæ effectum dicitur per talem effectum compleri, & quælibet tendentia completur per coniunctionem cum ſuo termino.

9 Dico ſecundo. Talis motio & excitatio finis, qua ad ſui amorem mouet, & excitat voluntatem, & in qua diximus cauſalitatem finis conſiſtere, nihil reale etiam intentionale imprimit voluntati; ſed ſolum per quandam ſimpathiam, cum ipſa illam ſic mouet & excitat. Prima pars concluſionis probatur. Quia id reale quantumuis intentionale productum in voluntate debet habere aliquam cauſam ſui efficientem: non enim poteſt dari effectus realis ſine cauſa efficienti; ſed non poteſt illius eſſe cauſa efficiens finis. Ergo finis per ſuam propriam cauſalitatem nihil reale etiam intentionale poteſt cauſare, & imprimere voluntati. Minor probatur. Tum, quia cauſalitas finis non eſt cauſalitas efficiens. Tum etiam, quia poteſt finis non realiter phiſice, ſed ſolum

in

in apprehenſione exiſtens ſuam exercere cauſalitatem finalem. Sed nihil reale poteſt efficere, niſi realiter exiſtat. Ergo in cauſalitate finis nulla inuoluitur efficientia: ac perinde nihil prorſus reale poteſt efficienter cauſare, aut imprimere in voluntate.

Secunda autem pars concluſionis explicatur, quia propter ſimpathiam, quam habet voluntas cum bonitate ſibi conuenienti, eo ipſo quod aliqua bonitas ſibi conueniens ab intellectu ei proponatur, ſi aliàs voluntas propter inclinationem ad aliud obiectum non ſit ad *iſtud in diſpoſita*, aut indurata, inclinatur, mouetur, & excitatur, vt *iſtud* appetat, & in amorem, et appetitum elicitum illius prorumpat. §. Et ſi dicas, quod in voluntate ſolum illius actus elicitus circa aliquod obiectũ habet rationem inclinationis ad illud. Ergo antecedenter ad actum elicitum, quo voluntas appetit finem nulla intelligitur inclinatio aut propenſio ipſius voluntatis ad illum. §. Reſpondetur negando antecedens, nam voluntatem prius quaſi per modum cuiuſdam ponderis, et inclinationis naturalis intelligimus inclinatam ad finem, et poſtea per actum elicitum appetitus ipſius finis ad ipſum finem libere, et virtualiter inclinare.

10 Aduerſus primam concluſionem obijcies primo. Quod illius oppoſitum manifeſtę videtur docere D.Thomas, et omiſſis alijs illius teſtimonijs, quæ ad id

ad

adducuntur, quod alicuius eſt difficultatis habetur quæſt.22. de veritate art.2 vbi ita ait: *Sicut influere cauſa efficientis eſt agere, ita & influere cauſa finalis eſt appeti, & deſiderari.* Sed finem appeti, & deſiderari nihil eſt aliud, quam ipſemet actus voluntatis, quo finis ab illa appetitur, & deſideratur. Ergo in ſententia D. Thomæ ipſum influere cauſæ finalis, ac perinde ipſa illius cauſalitas eſt ipſemet actus voluntatis, quo finis à voluntate appetitur, & deſideratur.

Ingenue fateor hoc teſtimoniũ eſſe difficile, & prima facie non parum oppoſitæ fauore ſententiæ: illud tamen dupliciter poteſt explicari. Primo quod ibi D. Tho. influere finis non accepit formaliſſime pro ipſa finis cauſalitate, vt à ſuo diſtinguitur effectu, ſed ſolum pro cauſalitate finis terminatiue, ideſt pro ſuo termino ſumpta. Quia cum cauſalitas ipſa formaliter finis ſit ita ignota, cognoſcitur & explicatur per ſuum terminum. §. Secundo & forſan melius reſpondetur, quod cum (vt proxime dicebamus) duplex intelligatur inclinatio voluntatis ad finem, altera videlicet, qua per ſimpathiam, quam ipſa voluntas habet ad bonitatem finis, quadam quaſi naturali propenſione inclinatur & mouetur, vt illum poſtea appetitu elicito appetat, & deſideret, cum D. Thomas in præfato teſtimonio aſſerit influere finis, eſt ipſum appeti, & deſiderari, loquitur non de actu elicito voluntatis, quo ab illa ap-

peti-

petitur, & deſideratur finis: ſed de prima tali voluntatis inclinatione, & propenſione ad finem, qua etiam quaſi quodam appetitu innato finis appetitur, & deſideratur.

11 Obijcies ſecundo, quod talis motio; & excitatio voluntatis à fine, ſi antecedenter ad ipſum actum voluntatis intelligeretur, pertineret ad conſtituendum voluntatem in actu primo ad eliciendum ſuum actum; ſiquidem non eſſet ipſemet actus ſecundus voluntatis, & eſſet quid in voluntate ad elicientiam talis ſui actus ſecundi requiſitum. Ergo id non poſſet eſſe ipſa cauſalitas finis. Conſequentia probatur retorquendo noſtrum aduerſus nos argumentum: nam si idemmet actus voluntatis non poteſt eſſe illius cauſalitas, & cauſalitas finis; nec eadem motio, et excitatio voluntatis poteſt eſſe cauſalitas finis, et conſtituens voluntatem in actu primo ad efficienter eliciendum ſuum actum. Si enim cauſalitas vnius cauſæ non poteſt eſſe cauſalitas alterius diuerſi generis, nec poterit eſſe conſtitutiuum in actu primo alterius.

Reſpondetur, quod cum cauſa licet efficiens dependeat in cauſando à concurſu cauſæ finalis, ipſa cauſalitas cauſæ finalis eſt quid requiſitum in voluntate, vt in actu primo complete conſtituatur ad efficienter operandum, ſicuti cognitio intellectus, quæ eſt ipsius, intellectus cauſalitas, quatenus eſt propoſitio obiecti voluntatis;

tatis, requiritur vt voluntas in actu primo conſtituatur ad efficienter operandum, quod ſolum eſt vnam cauſam dependere ab alia in cauſando. Tamen quia cauſæ diuerſi generis, quamuis ſic vna ab altera dependeat, ſunt diuerſæ, & vna in cauſando prior altera, non poteſt eadem eſſe cauſalitas vtriuſque.

Obijcies tertio, quia illa eſt cauſalitas alicuius cauſæ, qua ipſa de actu primo reducitur ad actum ſecundum: ſed per actum voluntatis, quo finis apetitur & deſideratur, ipſe finis reducitur de actu primo ad actum ſecundum: ergo talis actus voluntatis eſt ipſius finis cauſalitas. Conſequentia eſt bona, maior certa, & minor probatur. Quia ratio formalis finis in actu primo eſt ratio appetibilis: ſed hæc reducitur ad actum ſecundum per ipſummet actum voluntatis, quo finis appetitur & deſideratur: ergo per illum reducitur finis de actu primo ad actum ſecundum.

Reſpondetur negando minorem, quia actus voluntatis ſolum eſt reductio ad actum ipſius voluntatis vt appetitiuæ, & illius actum *paſſiue* terminat finis; non autem eſt reductio ad actum ipſius finis vt cauſæ finalis, & vt quaſi actiue potens eſt voluntatem finaliter mouere, & ad ſui amorem & appetitum illam excitare. Pro quo eſt aduertendum, quod dupliciter poteſt conſiderari finis, vno videlicet modo, vt paſſiue appetibile, & paſſiue terminatiuum appetitus voluntatis; alio modo vt mo-

motiuum et excitatiuum voluntatis ad ipſius finis appetitum: et hæc ſecunda eſt propria ratio formalis finis vt cauſæ finalis, et hæc non reducitur ad actum per ipſum appetitum voluntatis (ille enim potius eſt effectus finis) ſed reducitur ad actũ per motionem et excitationem, qua priuſquam voluntas exeat in actum intelligitur illam inclinare et excitare ad ſui actus elicientiam. An vero actus voluntatis ſit reductio ad actum ipſius finis, quatenus eſt appetibile paſſiuè, ſeu terminatiuum voluntatis, non multum intereſt; licet potius dicatur, quod non ipſe actus voluntatis, ſed potius terminatio paſsiua qua appetibile talem terminat actum eſt reductio ad actum ipſius appetibilis ſub ea ratione conſiderari.

13 Obijcies quarto, quod cum cauſalitas finis debeat eſſe cauſalitas realis, cum ille inter cauſas phiſicas reales enumeretur per illam debet aliter realiter ſe habere finis cum actu cauſat, quam cum actu non cauſat: ſed per talem excitationem actiuam finis, ille non aliter realiter ſe habet, ac cum actu non cauſat: ergo illa non eſt cauſalitas finis. §. Confirmatur, quia vt in ſecunda concluſione fatemur per talem excitationem et motionem nihil realę ponitur in voluntate: ſed omnis realis cauſalitas aliquid reale ponit in ſubiecto circa quod exercetur: ergo talis motio et excitatio voluntatis à fine non eſt ipſius finis cauſalitas. §. Reſpondetur ad

ar-

argumentum, quod finis cum actu finaliter cauſat non ſe habet aliter realiter quā antea per aliquid reale in ipſo fine receptum, vel ab ipſo fine procedens, cum finis vt finaliter cauſet, non exigat realem exiſtentiam, ſed ſolum in apprehensione; et nihil eſt capax realis mutationis, niſi vſque dum realiter exiſtat; ſed ſolum finis aliter ſe habet per connotationem ad voluntatem ab illo motam, et excitatam: imò etiam si in oppoſita ſententia cauſalitas finis ſit actus ipsius voluntatis, cum ille nec recipiatur in fine, neque ab illo efficienter egrediatur, non magis per illū, quam per talem motionem et excitationē voluntatis ipſe mutabitur finis. §. Ad confirmationem reſpondetur, quod cum motio finis non ſit per modum efficientis non requiritur, quod in paſſo, ſcilicet in voluntate aliquid realiter ab ipſo diſtinctum cauſet et imprimat; ſed ſufficit quod per ſimpathiam, quam voluntas habet cū ipsius finis bonitate reddatur inclinata, mota, et affecta ad eliciendum actum amoris, ſeu appetitus erga ipſum finem.

14 Vltimo tandem obijcies præcipuum oppoſitæ ſententiæ fundamentum, quod nullatenus poteſt dari cauſalitas alicuius cauſæ abſque eo, quod detur effectus illius. Sed poteſt dari talis motio, et excitatio voluntatis à fine abſque eo quod aliquis detur effectus, aliquis videlicet actus voluntatis. Ergo in tali motione voluntatis à fine præuia ad omnem actum ip-

ipſius voluntatis cauſalitas finis conſiſtere nequit. Maior patet, quia licet cauſa in actu primo poſſit dari abſque ſuo effectu, non tamen vt in actu ſecundo cauſans. Ergo nullius cauſæ cauſalitas abſque ſuo effectu poteſt reperiri. Minor autem probatur. Quia adhuc poſita tali motione, & excitatione voluntatis à fine, voluntas manet libera ad elicientiam, & non elicientiam ſui actus appetitus ad finem. Ergo poteſt dari talis motio, & excitatio voluntatis à fine, abſque eo quod in voluntate aliquem habeat effectum.

Reſpondetur dupliciter: primo, quod effectus primus, & immediatus talis motionis,& excitationis finis,in qua eius cauſalitas finalis conſiſtit, eſt voluntatem ipſam eſſe inclinatam, motam & excitatam per modum naturalis cuiuſdam propenſionis ad eliciendum actum appetitus eliciti circa finem: & is primus effectus nunquam ſeparatur à cauſalitate finis, & quantum eſt ex ſe infert etiam in voluntate alium quaſi mediatum effectum, ſcilicet appetitum elicitum ipſius volũtatis circa finem: licet quia voluntas adhuc ſic prius mota, & excitata à fine manet libera ad talem actum appetitus eliciti, poteſt in illum adhuc vt ſic prius mota, & excitata non prorrumpere. §. Secundo reſpondetur; quod ſemper quod adeſt motio, & excitatio voluntatis à fine, in qua eius cauſalitas conſiſtit, voluntas aliquem actum appetitus eliciti efficacem, vel inefficacem habet

T cir-

circa finem, vt experientia quiſque agnoſcere poteſt, etſi nullum elicit eſt, quia re vera finis, quantumuis ex ſe in actu primo potens voluntati propoſitus illam mouere, de facto tamen propter ipſius voluntatis indiſpoſitionem, & duritiem, aut illius ad aliud obiectum cõtrariam inclinationem, nullatenus talis finis illam mouet aut excitat; & ita nunquam ſaluatur cauſalitas finis abſque eo quod de facto inferat aliquem circa illum actum efficacem, vel inefficacem à voluntate elicitum.

QVÆSTIO XX.

Vtrum idem numero effectus poſsit à duplici cauſa efficienti totali diuiſiue procedere?

SEnſus huius quæſtionis (ex cuius reſolutione maxime reſolutio quæſtionis ſequentis dependet) eſt, an idem numero effectus, qui ab aliqua cauſa efficienti totali producitur, poſſit abſque illa ab alia cauſa totali creata, vel increata produci. In quo plures exiſtimant non ſolum eundem numero effectum, qui ab aliqua cauſa totali creata particulari producitur, poſſe abſque illa à ſolo Deo, vt agente particulari produci, ſed etiam ab alia cauſa creata particulari; & quod ignis idem numero, qui de facto ab hoc igne produ-

ci-

citur, poſſet abſque illo ab alio igne æqualis actiuitatis produci.

2 Nihilominus dicendum eſt primo, non poſſe eundem numero effectum à duplici cauſa totali particulari creata diuiſiue produci: & quod idem numero effectus, qui ab aliqua cauſa particulari eſt producibilis, aut producitur, nullatenus poteſt, etiam tali cauſa non exiſtente, ab alia cauſa particulari creata produci. Deducitur manifeſte concluſio ex D. Thom. quodlib. 5 art. 8. dicente: *Impoſſibile eſt eundem filium naſci, ſiue ſit alius Pater, ſiue alia mater, ſicut etiam non eſt idem numero ſigillum, ſiue ſit alia cera, ſiue aliud corpus ſigilli, ex cuius impreſſione cera ſigillatur.* Hæc D. Thom. vbi manifeſtè docet noſtram concluſionem. Et probatur, quia quælibet cauſa efficiens creata ſingularis, & indiuidua, licet conueniat ſpecifice in forma cum alio indiuiduo eiuſdem ſpeciei, hoc eſt, quod quodlibet tale indiuiduum habet ſuam formam ſimilem in prædicatis eſſentialibus cum forma alterius; tamen quodlibet habet ſuam formam indiuidualiter diſtinctam, & diuerſimode indiuidualiter limitatam. Ergo ſicut quodlibet agens ratione formæ talis ſpeciei in tali ſpecie conſtituitur in ratione principij ad determinatos ſpecifice effectus, qui non poſſunt ab agente per formam diuerſæ ſpeciei produci: ita quodlibet agens creatum per ſuam formam indiuidualem conſtituitur in tali ratione indiuidua, &

ſingulari principij in ordine ad tales ſingulares effectus, qui à nullo alio agente creato particulari indiuidualiter ab ipſo diſtincto poſſunt produci: ac perinde idẽ numero effectus, qui ab aliquo agente creato particulari producitur, non poteſt abſque illo ab alio agente creato particulari formaliter aut ſolum materialiter diſtincto produci. Conſequentia probatur, quia differentia indiuidualis non ſolum limitat formam ſpecificam in ratione eſſentię, ſed in ratione naturæ, & principij operationis. Sed per id quod aliqua forma v.g. anima rationalis limitatur in ratione eſſentiæ per differentiam indiuidualem, limitatur ad talem indiuidualem effectum formalem; ita vt hæc numero anima ſic indiuidualiter determinata, ita conſtituat hunc numero hominem, quod alium numerice diſtinctum conſtituere non poſſit, & quod hic numero homo à nulla alia forma indiuidualiter ab iſta diſtincta poſſit conſtitui. Ergo per id quod aliqua forma per differentiam indiuidualem, limitetur, & determinetur etiam in ratione naturæ, & principij operationis, limitatur, & determinatur ad particulares indiuidualiter operationes, & effectus, quos videlicet, & non alios poſſit elicere, & producere, & qui à tali ſolum forma, & non ab alia formaliter, vel indiuidualiter ab illa diſtincta poſſint elici, & produci.

§. Confirmatur, nãm ſicut in forma ſpecifica abſtracta ab omnibus indiuiduis cõtine-

tinetur radicaliter vis operandi communis omnibus indiuiduis, ita etiam per differentias indiuiduales talis forma; & radicalis virtus operandi coarctatur, determinatur, & limitatur. Ergo ſic indiuidualiter determinata, & limitata non poteſt eſſe principium radicale, niſi in ordine ad aliquos indiuidualiter determinatos effectus, ita ſibi vt ſic indiuidualiter determinatæ proprios, vt nec poſſit aliorum indiuidualiter effectuum eſſe radicale principium, nec illi poſſint ab alia indiuidualiter forma prodire. Imò licet quælibet forma indiuidualis ſit ex ſe principium non vnius tãtum, ſed aliquorum effectuum, qui media alia indiuidualiter forma non poſſunt produci, ipſa tamen forma media ſua indiuiduali actione determinatur, vt ex eiſdem effectibus, quorum poteſt eſſe principium, ad aliquem ita media tali actione concurrat, quod media illa non poſſit ad alium etiam ex his qui in potentia talis formæ continetur concurrere.

3 Dico ſecundo. Exceptis effectibus qui eſſentialiter exigunt cauſam ſecundã vt effectus vitales: enim viſio v.g. per quã videt homo nõ poteſt eſſe viſio vitalis illius, neq; per illam homo videre, ſi ab alio efficiẽter procedat: exceptis inquam his effectibus, (de quibus nunc non diſputo) eundem numero effectũ, qui producitur à Deo media cauſa ſecũda poteſt Deus ſe ſolo producere, vt eundem numero calorem, quem Deus ſimul cum igne producit, poſſet ſe ſolo, &

abſque igne producere. Probatur concl. quia Deus cum contineat omnem virtutem etiam indiuidualem cuiuſcumque creaturæ, non determinatur, neque coartatur ad aliquem effectum, ſed omnem etiam eundem numero, quem ſimul cum creatura poteſt producere, poteſt producere ſe ſolo. §. An vero tunc Deus concurrat ad talem effectum non vt cauſa vniuerſalis, ſed particularis, vtrumque quodammodo poteſt dici, quia quatenus non aliam cauſam particularem ad talem admittit effectum, poteſt Deus dici cauſa particularis illius quatenus tamen eodem concurſu Deus ſe ſolo talem effectum producit, ac illum produceret ſimul cum cauſa particulari creata, quia non mutatur intrinſece concurſus Dei per id quod ſimul admittat concurſum cauſæ creatæ poteſt dici, quod tunc concurrit etiam Deus, vt cauſa vniuerſalis, quia ſub omni ratione etiam communiſſima entis talem tunc effectum producit.

4 Ad id ergo probandum obijcies primo. Quia ſi alicui paſſo, in quo aliquis ignis ei applicatus producit calorem, ſi talis ignis nõ applicaretur, ſed alius æqualis omnino quantitatis, & actiuitatis æque proxime applicaretur, produceret in illo eundem numero calorem. Ergo idem numero effectus à duplici cauſa totali particulari ſaltem diuiſiue eſt producibilis. Antecedens probatur. Quia calor, qui à tali ſecundo igne produceretur, præter-

quam

quam quod in eodem reciperetur paſſo, eſſe prorſus eiuſdem intentionis, & perfectionis indiuidualis, nec aliquid in eo reperiretur, per quod indiuidualiter diſtingueretur à calore, qui per alterum ignem eſſet producibilis.

Reſpondetur negando antecedens, quia licet talis calor eſſet æqualis intenſionis cum eo, qui ab altero igne produceretur: haberet tamen aliquam perfectionem intrinſecam diſtinctam, licet non facile, præcipue ad ſenſum perceptibilem, per quam indiuidualiter diſtingueretur à calore per alterum ignem producibili. Sicut duo ignes poſſunt, licet indiuidualiter diſtincti, eſſe æqualis intenſionis, & habere nihilominus aliquam conditionem indiuiduantem, per quam vnus ab altero indiuidualiter, & numerice diſtinguatur.

5 Obijcies ſecundo, quod ſpecies, verbi gratia, leonis eſt virtus productiua cuiuſlibet leonis. Sed in quolibet ſingulari leone ſaluatur tota ſpecies leonis. Ergo & virtus ad productionem cuiuſlibet leonis: ac perinde idem numero leo, qui ab aliquo leone producitur, ſi ab illo non produceretur poſſet ab alio leone eiuſdem ſpeciei produci, quod eſt eundē numero effectum diuiſiue ſaltem poſſe produci à duplici cauſa totali.

Reſpondetur ex dictis in probatione concluſionis, quod licet in quolibet ſin-

gulari leone ſaluetur tota eſſentia leonis, limitata tamen, & determinata per differentiam indiuidualem: ac perinde determinata etiam, & limitata in ratione principij radicaliter operatiui. Vnde non, poteſt aliquis leo, quemlibet leonem producere, ſed illud ſolum, qui in eius virtute operatiua vt ſic indiuiduata, determinata, & limitata continetur.

6 Obijcies tertio, quia idem numero cadauer producitur à quolibet occidente animal, vt ab illud iugulante, & ſuffocāte, non diuerſum, ſed idem prorſus numero cadauer reſultat. Ergo talis effectus idem numero, qui producitur v.g. à iugulante leonem poſſe: diuiſiue produci ab alio aliter eundem leonem occidente, vt illum ſuffocante.

Reſpondetur, quod iugulans nec ſuffocans, aut aliter occidens animal eſt cauſa principalis cadaueris ad illius occiſionem reſultans, ſed cœlum, vel elementum tūc prædominans, & iuxta ſuam diuerſitatem diuerſum producens cadauer. Vnde non ſaluatur, quod idem numero cadauer, quod à tali cauſa procedit, ſi illa deeſſet, ab alia cauſa produceretur.

7 Obijcies quarto, quod idemmet numero corpus Chriſti, & ſub eadem numerice ratione corporis diuiſiue à diuerſis Sacerdotibus conſecrantibus producitur. Ergo cum quilibet eorum ſit cauſa totalis iuſtrumentalis conuerſionis, iam

idem

idem numero effectus à duplici diuiſiue producitur cauſa totali. §. Si dicas, quod cum corpus Chriſti per conuerſionē Sacramentalem non abſolute fiat, aut producatur, ſed formaliter vt ex pane, cum ex diuerſo numerice pane à quolibet tali Sacerdote fiat corpus Chriſti, ipſum corpus Chriſti formaliter, vt ex pane factū, & in ratione talis effectus diuerſum numerice eſt & indiuidualiter: ac perinde non idem numero effectus à duplici cauſa inſtrumentali totali, vel diuiſiue producitur. §. Contra ideſt, quod cum panis, ex quo fit corpus Chriſti, ſit ſolum terminus à quo conuerſionis Sacramentalis, ex diuerſitate indiuiduali illius, nullatenus, vel indiuidualiter terminus diſtinguitur ad quem: licet enim diuerſitas formalis termini à quo aliquando refundatur in terminum ad quem, diuerſitas tamen ſolum numerica, & materialis termini à quo nullatenus videtur poſſe eſſe principium, aut cauſa alicuius diuerſitatis in termino ad quem.

Reſpondetur ſolutionem aſſignatam eſſe optimam. Et ad replicam dico, quod licet diuerſitas ſolum materialis termini à quo non refundatur in termino ad quem, cum ille abſolute producitur: refunditur tamen quælibet materialis diuerſitas termini à quo conuerſionis Sacramentalis in corpus Chriſti, quia illud per talem conuerſionem non fit abſolute, ſed formaliſſime vt ex pane. Vnde vt formaliter ex di-

uerſo numerice pane factum diuerſum, & diſtinctum indiuidualiter eſt ipſum corpus Chriſti?

QVÆSTIO XXI.

Vtrum etiam ſi idem numero effectus à duplici cauſa efficienti creata particulari, & totali poſſet diuiſiue procedere; poſſit etiam ab vtraq. ſimul prodire.

QVæſtionem hanc ſic ſolum conditionaliter proponimus, quia abſolute ex reſolutione quæſtionis præcedentis, quod quælibet cauſa indiuidualis ita ad ſuos determinatos effectus eſt limitata, vt illi non poſſint, etiam tali cauſa deficienti, ab alia cauſa produci, manifeſte, & à fortiori ſequitur non poſſe eundem numero effectum à duplici cauſa totali particulari creata ſimul produci: vnde ſolum prædicta conditionalis quæſtio poteſt habere locum, an videlicet etiamſi idem numero effectus à tali duplici cauſa poſſet diuiſiue produci: non tamen ab vtraque ſimul, propter ſpecialem difficultatem concurrendi ſimul duplicem cauſam totalem eiuſdem generis, & ordinis ad eundem effectum.

2 Et

2 Et loquimur de cauſis totalibus eiuſdem generis, & ordinis, quia certum eſt quemlibet effectum de facto à multiplici cauſa diuerſi generi ſimul dependere, vt à finali, efficienti, materiali, & formali. Vnde difficultas ſolum poteſt eſſe de dependentia illius à duplici eiuſdem generis cauſa totali finali: quod eſt idem quod Theologi 1. 2. quæſtion. 1. inquirunt, an operans propter finem poſſit eiuſdem operationis duplicem vltimum ſimul habere finem, vnum videlicet alteri non ſubordinatum. Vel à duplici cauſa formali: quod eſt idem ac quod in libris de anima inquiritur, an duplex forma ſubſtantialis eandem ſimul poſſit informare materia, quam etiam quæſtionem in prædictum locum remittimus. Et an eadem natura duplici totali ſubſiſtentia, perſonalitate, aut hypoſtaſi poſſit ſimul terminari; ſed id etiam diſputandum relinquimus in commentarijs ad 3. par. Vnde quæſtionem hanc ſolum de cauſis efficientibus diſputamus.

3 Loquimur autem de cauſis efficientibus totalibus eiuſdem ordinis, vt de cauſis ſecundis particularibus. Certum eſt enim ad eundem effectum ſimul efficienter concurrere plures cauſas totales diuerſi ordinis, vt cauſam primam, & ſecundam; & cauſas vniuerſales, & particularem. §. Et loquimur de cauſis totalibus, ideſt quarum quælibet habet ſufficientem virtutem ad aliquem effectum, &

illam cum altera cauſa non attemperans totam talem ſuam virtutem in effectu explicat; ſi enim tota tali ſua virtute non vtantur, vt duo portantes lapidem, quãuis talis effectus poſſent eſſe cauſæ totales, de facto nõ ſunt niſi cauſæ partiales illius. Et quæſtio poteſt procedere tam in ordine ad potentiam Dei ordinariam, quam in ordine ad potentiam illius abſolutam.

4 Dico primo. Naturaliter ſaltem, & ſecundum potentiam Dei ordinariam non poteſt idem numero effectus à duplici ſimul cauſa totali produci. Concluſio præter vnum, & alterum eſt omnium communis, & probatur, quia ad minus ſeperfluus eſt talis duplicis cauſæ ſimul ad eundem numero effectum concurſus; & cum natura omne reſpuat ſuperfluum, id ſaltem naturaliter fieri nequit.

5 Dico ſecundo, id etiam omnino repugnat. Vnde nec miraculoſe, aut per potentiam Dei abſolutam fieri poteſt. Oppoſitum tenent plures præcipuè extra ſcholam D. Thomæ. Sed concluſio inter illius diſcipulos vno, vel altero dempto eſt communis. Et probatur primo, quia in eo manifeſta inuoluuntur contradictoriæ. Tum, abſolute, & iuxta reſolutionem quæſtionis præcedentis. Tum etiam in hypoteſi, quod idem numero effectus poſſet duplici cauſa totali diuiſiue procedere. Abſolute quidem, quod eſſet idem numero & non idem numero effectus. Eſſet enim idem vnus numero, vt ſuppo-

ni-

nimus: & non eſſet idem numero, quia à duplici cauſa totali creata particulari prc. duceretur, & quælibet cauſa indiuidualiter ab alia diſtincta ad diuerſos numero effectus eſt determinata, & limitata.

§. Et ſpecialiter, in eo quod à duplici cauſa totali creata idem numero effectus ſimul prodiret, inuoluuntur contradictoriæ, quod quælibet talis cauſa eſſet totalis, vt ſupponitur; & non eſſet totalis, quia cauſa actualiter totalis eſt, quæ ita totaliter aliquem producit effectum, vt nihil illius relinquat alteri producendum. Ergo ſi quælibet talis cauſa ita ad effectum concurreret, vt aliquid illius, imò totus talis effectus alteri cauſæ relinquatur producendus; neutra talis cauſa eſt totalis in exercitio, & in actu ſecundo.

6 Secundo id ſpecialiter probatur. Nam duæ cauſæ totales non poſſunt ad eundem numero effectũ vnica nec diuerſa actione ſimul concurrere. Antecedens quoad primam partem patet. Nam cum media actione agens ad effectum cõcurrat, ſi non eſſet duplex actio in tali duplici diſtincto agente non vtrumque ad talem effectum concurreret, ſed illud dumtaxat à quo progrederetur actio. Quod vero non poſſent duplici diſtincta actione ad talem effectum concurrere probatur. Nã cum actio, vt infra oſtendemus, recipiatur in paſſo, & in eodem numero ſubiecto, vt in libris de generatione probauimus, duo accidentia ſolo numero diſtin-

cta non poſſint eſſe talis duplex actio, vtpote quæ in eodem ſimul deberet recipi ſubiecto, non poſſet eſſe ſolo nomero vna ab altera diſtincta; nec poſſent eſſe ſpecifice diſtincta: alias non ſolum eiuſdem numero effectus, ſed nec eiuſdem ſpecifici effectus talis duplex actio poſſet eſſe productio.

7 Accedit etiam ad hoc, quod in alijs generibus cauſarum non poteſt idem numero effectus actualiter ſimul à duplici cauſa totali dependere, vt eadem materia à duplici ſimul forma ſubſtantiali informari. Et eadem numero actio agentis propter finem eſſe ſimul propter duos vltimos fines totales, vt vtrumque in proprijs materijs oſtenditur. Ergo nec idem numero effectus poteſt ſimul à duplici cauſa totali efficienti procedere: non enim minus in genere cauſæ efficientis, quam in alijs prædictis generibus cauſarum dātur cauſæ totales, nec minus effectus ab illis, quam à cauſa finali, aut formali proprius illarum effectus dependet.

8 Obijcies primo, quod non ſolum miraculoſe, & ſupernaturaliter, ſed etiam naturaliter poſſunt adhiberi duo corpora luminoſa ſimul, & coniuncta: ſed tunc in ſpacio circūſtanti eundem prorſus cauſabunt illuminationis effectū quem quodlibet illorum ſeorſum poſſet cauſare. Iam igitur duæ cauſæ totales eundem numero poſſunt ſimul producere effectum.

Dices, quod cum talia corpora lumino-

noſa non poſſint ita eſſe coniuncta, quin vnum ſit proximius aliquibus partibus ſpacij, quam alterum: quodlibet illorum intenſius illuminabit eas partes ſpacij, quæ ſibi fuerint proximiores, & ſic non idem numero, ſed diuerſus à tali duplici corpore luminoſo procederet effectus.

§. Contra hoc eſt, quod ſupernaturaliter poſſunt talia duo corpora luminoſa in eodem loco penetrata exiſtere. Et tunc vtrūque æque proximum erit omnibus partibus ſpacij. Ergo in illis eundem prorſus illuminationis effectum, & æqualis omnino intenſionis, & perfectionis indiuidualis vtrumque tale corpus ſimul cauſabit, ac alterum tantum illorum ibi exiſtens: ſi enim vtrumque tale corpus ſit luminoſum v.g. vt duo, quodlibet ſeorſum illuminabit vt duo, & vtrumque ſimul ſic penetratiue in eodem loco exiſtens nō poteſt amplius illuminare, quam vt duo, quia etiam per coniunctionem vnius cum altero non poteſt quodlibet illorum vltra virtutem ſuæ actiuitatis agere. Ergo vtrūque ſic tale corpus eundem prorſus numero effectum, & eiuſdem perfectionis & intenſionis eliciet.

Reſpodetur ſolutionem ad argumentū principale aſſignatam eſſe optimam, & ad hanc replicam, quæ difficilis eſt, omiſſa ſolutione aliquorum, quod in ea hypoteſi, nullum tale corpus ſuum effectum cauſabit. id enim videtur difficile, cum agentia eiuſdem ſpeciei non ſolum non ſe im-

pe-

pediant, ſed mutuo ſe adiuuent: potius eſt dicendum, quod tale tunc vtrumque corpus producet perfectiorem, & intenſiorem illuminationis effectum, quam quodlibet illorum, ſeorſum: quia licet per id quod ſimul ſic coniungantur, cuiuslibet illorum virtus actiua non augeatur, quaſi confortatur & adiuuatur à virtute alterius; ſicut virtus cuiuslibet duorum portantium lapidẽ licet non augeatur per coniunctionem ad virtutem alterius, poſſunt ſimul portare lapidem, quem quilibet eorum ſeorſum portare non poſſet & ſicut vterque illorum ad talem effectum eſt cauſa partialis, ita & vtrumque tale corpus luminoſum ad talem perfectiorem, & intenſiorem illuminationis effectum eſt cauſa partialis. Vnde ex hoc non colligitur eundem numero effectum à duplici cauſa totali procedere. Quod ſi paſſum eſſet incapax effectus ita perfecti & intenſi, & ſolum capax caloris, vel illuminationis vt duo, talis effectus prodiret tunc à duplici tali agente, ſuam propter incapacitatem paſſi temperante virtutem & actiuitatem: ſicuti duo ſimul portantes lapidem, quorum quilibet habet virtutem ſufficientem ad illum portandum attemperant ſuam virtutem & non ſecundum totã illam operantur, & talis effectus, ſic attẽperata virtute, vtraque cauſa actualiter ſolum eſt cauſa partialis.

9 Obijcies ſecundo, quod cum plures ſacerdotes ſimul proferunt verba cõſecratio-

tionis, vt contingit, cum ea die, qua ordinantur, ſimul conſecrant cum Epiſcopo, quilibet illorum totaliter conuertit corpur Chriſti ex eodem numero pane, & ſub eiſdem numero ſpeciebus, illud conſtituit, quia quilibet eorum ad id concurrit medio ſuo charactere ſacerdotali, qui eſt cauſa totalis inſtrumentalis talis effectus; ſiquidem mediante tantum vno charactere poſſet fieri: ergo iam plures cauſæ totales ſimul totaliter eundem cauſant effectum. Nec intereſt quod ſint cauſæ inſtrumentales. Tum quia, licet inſtrumentales ſint, ſunt vere efficientes; & iam aliquæ cauſæ totales efficientes ad eũdem numero poſſent concurrere effectum. Tum etiam quia ſi in cauſis inſtrumentalibs id non repugnat, nec repugnaret in cauſis principalibus, quia ſi ex primo non ſequitur, quod quælibet talis cauſa inſtrumentalis totaliter inſtrumentaliter, & nõ totaliter concurrat, neque ex eo quod duæ cauſæ efficientes principales totales eundem numero producant effectum ſequeretur, quod quælibet illarum totaliter & nõ totaliter ad illum concurrat.

Reſpondetur quod in tali caſu nullus talium ſacerdotum erit actualiter cauſa totalis inſtrumentalis, ſed ſolum partialis conuerſionis corporis Chriſti, quia licet quilibet illorum habeat characterem per quem deſignatur in miniſtrum conſecrationis non poteſt medio ſolum tali charactere abſque alia virtute inſtrumentaria

ei

ei ex motione Dei agentis principalis ſuperaddita ad effectum conuerſionis ſacramentalis inſtrumentaliter concurrere. Et ex ſuppoſitione, quod Deus plures ſimul Sacerdotes aſſumat, vt inſtrumenta ad eandem conuerſionem Sacramentalem, cuilibet illorum non virtutem totalem, ſed virtutem tantum partialem inſtrumẽtariam communicabit: omneſque prædictos Sacerdotes per modum vnius totalis inſtrumenti ad talem effectum aſſumet, & ſic ad illum quilibet illorum, vtpote per virtutem ſolum partialem inſtrumentariam concurrens, ſolum erit cauſa partialis inſtrumentalis: licet quilibet illorum habeat ſufficientem characterem, vt ſi Deus illi virtutem totalem inſtrumentariam communicaret, poſſet ille ſolum, & ſeorſum ab alio Sacerdote conuerſionem Sacramentalem efficienter inſtrumentaliter cauſare.

10 Obijcies tertio: Quod duo corpora penetratiue ſe habentia poſſunt totaliter ſimul replere eundem numero locum: ita vt quodlibet eorum totaliter illum repleat. Ergo duæ cauſæ totales efficientes poſsunt ſimul producere eundem numero effectum. Conſequentia probatur, quia ſicut ex eo, quod vnum corpus totaliter talem repleat locum, non ſequitur aliud corpus illum etiam ſimul totaliter non replere: ita nec ex eo, quod vna cauſa efficiens totaliter aliquem producat effectum; non ſequitur eundem numero effectum

ctum ab alia cauſa adæquate, & ſimul totaliter non produci.

Reſpondetur negando conſequentiam, quia eo ipſo, quod duo corpora penetrentur, licet vtrumque habeat ſuam extenſionem in ordine ad locum, cum tamen ex tali penetratione vtraque talis extenſio coexiſtat, & commenſuretur vnicæ extenſioni loci, reſpectu illius vtraque talis extenſio locati habet ſe per modum vnius in ordine ad repletionem loci: & ita non ſaluatur, quod à duobus corporibus per modum duorum, ſed potius per modum vnius idem repleatur locus. Præterquam quod non repletio loci, ſed vbi intrinſecum, qui in talibus locatis exiſtit eſt effectus eorum quantitatis, & locationis, & ſicut duo ſunt corpora, diſtinctamque quodlibet illorum habet quantitatem, ita diſtinctum vbi in quolibet illorum reſultat; & ita non ſaluatur, quod à duplici cauſa idem numero procedat effectus.

QVÆSTIO XXII.

Quæ ſit fortuna, caſus & fatum.

DE caſu, & fortuna, quæ inter cauſas per accidens numerantur, late in hoc libro diſerit Ariſtoteles. Vnde vt illius doctrinam explicet, de illis diſputat

no-

noſter Author Ss. Mag.Soto quæſt. 5. huius libri, & in 2. art. eiuſdem quæſtionis aliqua docet de fato, quæ omnia in hac quæſt. breuiter perſtringemus: aduertendo prius cũ eodem noſtro Authore, quod fortuna dicitur à ſorte, & cum ſorte dicat illud eſse, quod eſt præter intentionem, fortuna non eſt cauſa per ſe; hæc enim ex intentione operatur.

2 Dico igitur primo. (*Fortuna* teſte Ariſtotele) *eſt cauſa efficiens in his, quæ ſecundum propoſitum fiunt, raroque contingunt.* Quæ definitio quinque continet particulas. Prima ſcilicet, quod fortuna non inueniatur, niſi in his quæ ex intentione operantur, & cum ſolum cauſa efficiens ex intentione operetur, ad cauſam efficientem reducitur fortuna. Secunda autem particula, ſcilicet per accidens ponitur ad differentiam cauſæ per ſe, quia omnis fortuna eſt cauſa per accidens. Quia tamen multiplex eſt cauſa per accidens, nõ omnis illa eſt fortuna, ſed ſolum illa quæ præter intentionem operantis aliquem attingit effectum: vt cum fodiens terram ex intentione ſepeliendi defunctum, inuenit theſaurum. Vnde ponitur in definitione tertia particula, quod fortuna eſt in his quæ agunt propter finem ad differentiam effectus omnino indeliberati. Et ponitur quarta particula, quod datur fortuna in his, quæ raro contingunt: nam in his quæ frequenter accidunt, etim ſi præter intentionem agentis contingant, pro-

prie

prie non eſt fortuna. Et fortuna ſolum reperitur in his quæ operantur ſecundum propoſitum; in alijs autem effectus per accidens, & præter intentionem agentis ſecutus non erit à fortuna, ſed à caſu: Vnde definitio caſus erit eadem ac definitio fortunæ, hac vltima particula dempta.

3 Dico ſecundo. Reſpectu agentium particularium poteſt reperiri caſus & fortuna, non vero reſpectu Dei. Explicatur, & probatur concluſio, quia effectus fortuitus contingit ex concurſu duarum cauſarum præter intentionem illarum, vt in exemplo adducto à D. Thom. 1. part. quæſtion. 116. articul. 1. ſi dominus duos ſeruos ad eundem locum mittat ſeorſum vtrumque intentione, vt tali loco mutuo ſint ſibi obij, occurſus illorum erit reſpectu illorum fortuitus, & præter illorum intentionem non tamen erit fortuitus reſpectu Domini illos in talem locum dirigentis, ſiquidem non erit præter intentionem illius, qui vt ſibi occurrerent, illos in talem locum deſtinauit ac miſſit. Cum igitur reſpectu cauſarum inferiorum poſſit aliquid hoc modo contingere præter illarum intentionem, nihil tamen poſſit eſse præter intentionem Dei, qui omnia præuidet, & determinat, reſpectu cauſarum inferiorum poteſt eſse fortuna, & effectus fortuitus, non tamen reſpectu Dei. Et hoc modo concedere fortunam, nullum eſt inconueniens, ſolumque inconuenit il-

illam concedere, vt aliqui Gentiles exiſtimantes fortunam eſse aliquam primam cauſam effectuum per accidens, qui in Deum non reducuntur.

4 Dico tertio. Fatum eſt ipſa infallibilis diſpoſitio cauſarum creatarum deriuata à diuina prouidentia ad executionem effectuum. In hoc opponimur duplici extremo errori, alteri aliquorum exiſtimantium fatum eſse ſeriem, & ordinem naturalium cauſarum, quæ ineuitabili neceſſitate effectus operatur: alteri aliorum, vt Ciceronis in libris de natura Deorum, & de diuinatione, qui vt neceſſitatem fati aduerſus ſtoicus negaret incidit in aliam amentiam, vt diceret Deũ non eſse præſcium omnium futurorum. Arguebat enim, quod ſi præſcita ſunt à Deo omnia futura, eo ordine necesſario euenient, quo futura eſse preſcita ſunt: ob idque non eſset in noſtra poteſtate euitare mala; quæ facimus, aut facere quæ omittimus bona. Et ita inquit Auguſtinus vt homines faceret liberos, fecit ſacrilegos. Fatum igitur eo modo quo Gẽtiles aſſerebant negamus, & cum Ariſtotele, & D.Thoma 3. contra Gentiles capit. 92. Fatum concedimus, prout eſt ordo cauſarum naturalium præuiſus, & prædefinitus à Deo, & cum Deus quantumuis cauſas ſecundas prædefiniat, & determinet, quia tamen earum operationem, non ſolum quoad ſubſtantiam, ſed

etiam quadmodum libertatis, vel neceſſitatis definit, & determinat, ex ea Dei ordinatione non tollitur cauſæ ſecundæ libertas. Vnde fatum licet ſit infallibilis ordinatio cauſarum naturalium à Deo, nō tamen omnibus cauſis ſecundis infert neceſſitatem, ſed quamlibet illarum iuxta eius naturam, Deus infallibili ſuo fato, & prædefinitione ordinat & determinat.

nitionem infiniti ab aliquibus traditam, veramque illius definitionem aſsignat.

§. In octauo denique argumentis occurrit, quæ in 4. capite ad infinitum in actu adduxerat.

QVAESTIO I.

Vtrum definitio motus ſit bona?

Reſolutorie cum noſtro Authore hic quæſt 1. dicendum eſt motum optime definiri, quod ſit *actus entis in potentia, ſecundum quod in potentia*. Quod vtique præter authoritatem Ariſtotelis, & omnium eius interpretum non aliter melius, quam eam definitionem explicando probabitur. Pro illius igitur explicatione eſt aduertendum ex Diu. Thoma 3. Phiſicorum, lection. 2. quod antequam aliquid moueatur eſt in potentia ad actum perfectum, qui eſt terminus motus, & ad imperfectum, qui eſt motus: ſicut aqua, antequam incipiat calefieri, eſt in potentia ad calidam eſſe: cum autem calefit, reducitur in actum imperfectum, qui eſt motus, ſed reſpectu ſui termini adhuc remanet in potentia. Ex quo colligitur, quod mobile poteſt eſſe in triplici ſtatu, videlicet omnino in potẽtia, & tunc non mouetur, vel in actu perfecto, & ſub termino ad quẽ, & tũc iam ceſſat motus, &

ſuccedit mutatum eſſe: vel denique in actu imperfecto, & vt eſt in via, & acquiſitione ad actum perfectum, & in tali actu imperfecto conſiſtit illius motus. Vnde cum in definitione motus dicitur, quod eſt actus entis in potentia, actus ſumitur quaſi indifferenter ad actum perfectum, & imperfectum, & ponitur loco generis, & quaſi per differentiam conſtitutiuam motus determinatur per alteram definitionis particulam, ſcilicet ſecundum quod in potentia, per quam diſtinguitur motus ab omni alio actu, qui quamuis ſit actus entis præexiſtentis in potentia ad illum, non tamen relinquit illud in potentia formaliter ad alterum perfectiorem actum, qualiter illud relinquit motus, quatenus eſt tendentia, & via ad terminum ad quem per modum acquiſitionis illius.

2 Obijcies primo, quod nullus actus relinquit ſubiectum in potentia; cum proprium munus cuiuſlibet actus ſit actuare, & reducere potentiam ad actum. Ergo vel motus non eſt actus; vel ſi eſt actus nõ eſt in potentia ſecundum quod in potentia, ſed potius ſecundum quod per ipſum motum eſt in actu.

Reſpondetur, quod licet actus non relinquat ſubiectum in potentia ad ipſummet actum, & ſic motus non relinquit mobile in potentia ad ipſum motum: actus tamen imperfectus, & vialis, qualis eſt motus, taliter actuat mobile, quod relinquit

quit illud in potentia ad vlteriorem perfe-ctiorem actum, ſcilicet ad terminum ad quem reſpectu cuius motus eſt via, & tendentia per modum acquiſitionis illius. Et ita in definitione intelligitur, quod motus eſt actus entis in potentia ſecundum quod in potentia, non quidem ad ipſum motum, quem iam habet, ſed ad terminum ad quem in facto eſſe, cuius motus eſt ipſum fieri, & ad quem mobile per motum tendit.

3 Obijcies ſecundo, quod formæ imperfectæ ſubſtantiales, vel accidentales, quæ per ſe ad alias formas perfectiores ordinantur, vt forma ſeminis ordinatur ad genitum; & forma embrionis, quæ magis proxime etiam ad genitum ordinatur, & calor remiſſus, qui ordinatur ad calorem intenſum, & perfectum, videntur eſſe actus entis in potentia ſecundum quod in potentia: ſiquidem ex natura ſua taliter actuant materiam, vel ſubiectum, vt illud ex vi actuationis talis formæ ſic imperfectæ, & quam natura ordinauit ad aliam formam perfectiorem, relinquant in potentia ad talem perfectiorem formã. Et tamen nullæ tales formæ habent rationem motus, cum potius ſint termini motus, aut mutationis per quam acquiruntur. Ergo prædicta definitio motus, vtpote alijs à motu competens non eſt bona.

Reſpondetur, quod licet aliquæ prædictarum formarum natura ſua ordinen-

tur ad perfectiores formas, quia ſunt formæ imperfectæ, & quas natura non intendit, niſi propter formas perfectiores, nulla tamen illarum ordinatur ad perfectiorem formam per modum viæ, fluxus, & tendentiæ & per modum ipſius fieri, & acquiſitionis talis formæ; ſed per modum formæ, licet imperfectæ, in facto eſſe, in qua ſiſtere, & quieſcere poteſt mobile priuſquam aliam formam perfectiorem acquirat. Et ſic talis forma imperfecta non relinquit mobile formaliter vt in potentia ad aliam formam, hoc eſt vt per primam tendens actualiter ad acquiſitionem ſecundæ. Motus autem, qua eſt ipſa via, tendentia, & acquiſitio alterius formæ taliter actuat mobile, quod relinquit illud formaliter, vt in potentia ad alteram formam, & vt actualiter per ipſum motum tendens ad acquiſitionem illius. Et ſic intelligitur definitio motus: ſicque intellecta nulli prædictarum formarum quantumuis imperfectæ, & ad aliam ordinatæ competit.

4 Obijcies tertiò, quod motus formaliter conſtituitur, & ſpecificatur per ordinem ad terminum ad quem, talis autem ordo in prædicta definitione non explicatur, ſed dumtaxat exprimitur ordo motus ad mobile. Cum igitur cuiuslibet rei definitio eius naturam debeat explicare, non recte ſic definitur motus.

Reſpondetur negando minorem, in eo enim, quod in definitione motus dici-

citur ipſum eſſe actum entis in potentia, ſecundum quod in potentia, in quo (vt diximus) ſignificatur motum ita actuare mobile, vt illud relinquat in potentia ad vlteriorem actum, explicatur ordo motus ad vlteriorem actum, qui eſt illius terminus ad quem. Imò explicatur etiam ordo motus ad terminum à quo, ſub quo erat mobile, cum erat in potentia tam ad actũ imperfectum ipſius motus, quam ad actum perfectum, ſcilicet ad terminum ad quem.

QVÆSTIO II.

Vtrum definitio motus competat etiam mutationibus inſtantaneis?

PRo tituli intelligentia eſt ſupponendum. Motum poſſe accipi ample, prout quamlibet mutationem ſucceſſiuam amplectitur, vel inſtantaneam: & ſpecialiter pro motu ſucceſſiuo habente partes priores, & poſteriores, quarum vna ſuccedit alteri: Vnde in his, quæ ſic per motum acquiruntur, non eſt ſimul fieri, & factum eſſe. Mutatio autem inſtantanea, vt generatio ſubſtantialis, volitio aut intellectio non habet partes priores, & poſteriores, ſed indiuiſibili temporis coexiſtit inſtanti; in quo eſt ſimul

fieri, & factum eſſe termini, qui per talem mutationem acquiritur. Hoc ergo explicato vnum ſupponimus, & alterum inquirimus. Supponimus quidem definitionem motus motui ſaltem competere ſucceſſiuo: vtpote in quo cum prius ſit actus imperfectus, quam perfectus, facile intelligitur, quod actu & mobile, relinquendo illud in potentia ad vlteriorem actum. Inquirimus autem, an præfata definitio mutationibus etiam cōpetat inſtantaneis, in quibus cum in eodem temporis inſtanti ſit ſimul fieri & factum eſſe non facile intelligitur, qualiter actuet mobile, relinquendo illud in potentia ad vlteriorem actum.

2 Pro definitione tamen eſt aduertendum mutationes inſtantaneas alias eſſe naturales, & phiſicas, per quas phiſice tranſmutatur materia, vt generatio ſubſtantialis; alias vero eſſe intentionales, ſiue ſint pure ſpirituales, vt intentiones, & volitiones angelicæ: ſiue quoad ſubſtantiam corporeæ, vt viſio corporalis, ſiue quoad modum dependentes à materia, vt intellectio, & volitio hominis pro hoc ſtatu. Et de omnibus his inquirimus, an illis præfata competat definitio motus.

3 Dico primo. Mutationi inſtantaneæ phiſicæ naturali, vt generationi ſubſtantiali vere competit definitio motus. Ita plures communiter, & colligitur in primis ex Ariſtotele, qui poſt traditam

præ-

præfatam definitionem motus, exemplum illius inter alia adduxit generationem, & corruptionem. §. Nec valet dicere, quod accepit ibi generationem pro alteratione. §. Non, inquam id valet, quia cum prius poſſuiſſet exemplum alterationis, & poſtea generationis, manifeſte de generatione vt condiſtincta ab alteratione videtur fuiſſe locutum. §. Nec etiam valet dicere, quod Ariſtoteles non poſuit exemplum in generatione, niſi tanquam in termino motus alterationis: §. Non inquam id valet, quia cum ibi intendat Ariſtoteles apponere exempla eorum, quibus competit definitio ab ipſo tradita motus, licet generatio ſubſtantialis ſit terminus alterationis: ſi tamen ipſi generationi non competeret ratio motus ab Ariſtotele ibi definita, non apponeret exemplum illius: ſicut nnn appoſuit in alijs terminis motus, vt in quantitate, qualitate, quia præciſe ſunt termini motus, & nullatenus illis ratio motus ibi definita competit.

4 Id etiam expreſſe docet D. Tho. 5. phiſicorũ lect. 2. in principio dicens: *Ariſtoteles ſupra in 3. vbi motum definiuit, accepit nomen motus ſecundum quod eſt cõmune omnibus ſpeciebus mutationis, & hoc modo accepit hic nomen mutationis: motus autem accipitur magis ſtrictè pro quadam mutationis ſpecie*. Vbi manifeſte D. Tho. docet motũ hic definiri ab Ariſtotele pro motu vt abſtrahit à mutatione inſtantanea, & à motu

ſtricte ſumpto qui eſt motus ſucceſſiuus, & de quo Ariſtoteles dicit terminari ad qualitatem, quantitatem, vel vbi.

5 Id denique ratione probatur, quia prædictæ mutationi inſtantaneæ competit per omnia definitio motus: illa enim eſt actus entis in potentia ſecundum quod in potentia, quia actuat materiam, vt actus imperfectus, vt via, & tendentia, & vt acquiſitio formæ ſubſtantialis, atque vt ipſum fieri illius: ergo vt ſic, & vt diſtincta à tali forma ſubſtantiali relinquit materiam vt in potentia ad ipſam formam ſubſtantialem. §. Confirmatur, quia materia antequam ſit generatio ſubſtantialis eſt in potentia non ſolum ad formam ſubſtantialem, ſed ad fieri ipſius formæ, in quo ipſa generatio ſubſtantialis conſiſtit: & quamuis ſimul in eodem inſtanti temporis ſit in materia forma ſubſtantialis, & fieri illius, tamen prius natura intelligitur talem potentiã materiæ reduci ad actum per ipſum fieri formæ, quã per ipſam formam in facto eſſe: ergo in illo priori naturæ intelligitur actus imperfectus in materia, qui ſit ipſa generatio, & quæ tunc intelligatur relinquere materiam in potentia ad formam, in facto eſſe: ac perinde tali generationi competit ratio motus, quæ hic definitur, & omnes illius definitionis particulæ.

6 Dico ſecundo. Mutationibus inſtantaneis intentionalibus, ſiue pure ſpiritua-

tualibus, ſiue corporeis non competit hæc definitio motus. Concluſio eſt communis, & ratio illius eſt, quia hic ſolum definitur motus, qui eſt actus imperfectus relinquens mobile in potentia ad perfectiorem actum. Sed prædictæ mutationes intentionales actuant perfecte ſubiectum, nec per ſe ordinantur ad vlteriorem terminum. Tum, quia plures illarum nullius termini ſunt productiones. Tum etiã, quia etſi per aliquas illarum producatur terminus, vt per intellectionem creatam producitur verbum, præterquam quod id eis non competit ſub ratione eſſentiali intellectionis, quælibet talis actio perfecte actuat ſubiectum, quia perfectio illius in ipſa tali operatione, ſeu mutatione intentionali, non autem in termino per illam producto conſiſtit: & ipſa intellectio non eſt propter verbum, motus autẽ debet eſſe quid imperfectum, & non propter ſe, ſed propter terminum, cuius eſt acquiſitio competens ſubiecto.

7 Aduerſus primam concluſionem obijcies primo, quod terminus mutationis inſtantaneæ ſtatim ac ipſa ponitur mutatio, totaliter acquiritur. Ergo non relinquit ſubiectũ vt in potentia ad talẽ terminũ. Ergo cũ motus, qui hic definitur, debeat relinquere ſubiectũ in potentia ad vlteriorem, & perfectiorem actũ (alias non erit actus entis in potentia ſecundũ quod in potentia) talis definitio non conuenit prædictis mutationis inſtantaneis.

Reſpondetur, quod licet in eodem inſtanti temporis ſit fieri, & factum eſſe formæ ſubſtantialis, prius tamen naturæ intelligitur fieri, quam factum eſſe. Et in illo priori naturæ intelligitur ſubiectum imperfecte actuatum per ipſum fieri, quod eſt ipſa generatio ſubſtantiali, vt in potētia ad vlteriorem perfectiorem actum, ſcilicet ad formam ſubſtātialem in facto eſſe: quod ſufficit, vt talis mutatio ſit actus entis in potentia: ac perinde, vt illi præfata competat definitio motus.

8 Obijcies ſecundo, & eſt replica præcedentis ſolutionis, quod quidquid eſt in potentia ad aliquid, prout eſt in potentia ad illud eſt cum priuatione illius: quia prout ſic non habet illud, & poteſt illud habere. Sed generatio ſubſtantialis non relinquit materiam cum priuatione formæ. Ergo nec relinquit illam in potentia ad talem formam: ac perinde non eſt actus entis in potentia ſecundum quod in potentia. Minor probatur, quia quæcūque ſunt in eodem inſtanti tempori, etiam ſi prius natura vnum quam alterum, in eodem inſtanti temporis realiter coexiſtunt. Ergo ſi in eo inſtanti temporis, in quo eſt generatio formæ ſubſtantialis, eſſet in materia priuatio ipſius formæ, cum alias in eodem temporis inſtanti ſit etiam in materia ipſa forma ſubſtantialis, ſequeretur in eodem tempoi is inſtanti eſſe in materia formam ſubſtantialem, & priuationem illius, quod omnino videtur impoſ-

poſſibile; cum enim priuatio formæ dicat negationem illius in ſubiecto, in eodem temporis inſtanti verificaretur materiam habere formam, & non habere illam.

Reſpondetur, quod priuatio realis alicuius formæ in aliquo ſubiecto, vt probat argumentum, non poteſt eſſe in illo in eodem temporis inſtanti cum ipſa forma. Vnde cum intelligitur forma inſtantanea in fieri, iam non intelligitur in materia priuatio illius, in eodem tamen inſtanti temporis compatibile eſt in eodem ſubiecto fieri, & factum eſſe formæ, ſolum cum proprietate naturæ fieri ad factum eſſe: & id ſufficit vt ſubiectum in aliquo priori naturæ per ipſum fieri termini intelligatur in potentia ad ipſum terminum in facto eſſe. Vnde ad argumentum neganda eſt maior; non enim quodcumque eſt in potẽtia ad aliquid eſt cum priuatione illius, ſed ſolum id quod prius tempore eſt in potentia ad aliquid, quam illud actu recipiat.

9 Obijcies tertio, quod ſi mutationi inſtantaneæ, eo quod in priori naturæ præintelligitur ad illius terminus in facto eſſe competeret ratio motus, quæ hic definitur, illa etiam competeret creationi, quia etiam prius natura intelligitur terminus creationi in fieri, quã in facto eſſe. At creationi, nec ratio motus, imò nec ratio mutationis cõpetit: ergo nec generationi ſubſtantiali competit ratio motus hic definita.

Reſpondetur negando maiorem, ſiue ſequelam, quia ad rationem motus, quæ hic definitur, requiritur, quod dicat reſpectum & ad terminum à quo, qui ipſum motum præcedat,& ad ipſam formam quæ habet rationem termini ad quem ipſius motus; creatio autem nec eſt motus, nec mutatio, quia non ſupponit aliquod ſubiectum,quod fuerit ſub termino à quo, ſcilicet ſub non eſſe: generatio vero ſubſtantialis eſt vera mutatio, & illi hæc cōuenit definitio motus, quia præſupponit materiam, quæ ſit ſub termino à quo, ſcilicet ſub negatione, & priuatione formæ, ad quam generatio ſubſtantialis terminatur.

QVÆSTIO III.

Vtrum motus realiter diſtinguatur à termino ad quem.

LOquimur de motu prout comprehendit quamlibet mutationem etiam inſtantaneam, & motum ſtrictè dictum, qui eſt motus ſucceſſiuus. Imò cum vt in ſequentibus videbimus, motus identificetur cum actione, & paſſione, quidquid dixerimus de diſtinctione motus à termino ad quem, proportionabiliter dicitur de diſtinctione actionis ab illius termino ad quem.

2 Solum autem inquirimus de diſtin-ctione motus ab illius termino ad quem, vt certum ſupponentes, quod à termino à quo realiter diſtinguitur motus; realiter inquam poſitiue, vel negatiue. Si enim terminus à quo fuerit poſitiuus, vt in motu ſtricte dicto, realiter poſitiue diſtinguetur à motu: ſi autem terminus à quo fuerit negatiuus, vt in mutationibus inſtantaneis, diſtinguetur realiter negatiue, vt ens videlicet, & non ens: ita tamen, vt numquam identificetur motus cum termino à quo, quia terminus à quo non fit per motum, nec motus eſt fieri illius; ſed potius relinquitur per motum. Difficultas igitur, vt diximus, ſolum procedit de diſtinctione motus ab illius termino ad quem.

3 Dicendum eſt motum eſſe quandam entitatem vialem, modalem, & imperfectam, non identificatam realiter cum entitate illius termini ad quem: ac perinde diſtingui realiter, non tanquam entitatem, & entitatem, ſed tanquam entitatem, & modum cum ipſa entitate termini realiter non identificatum.

Concluſio quoad id quod negat realiter identificari motum, & illius terminum ad quem. Probatur primo, quia omnis motus tranſit & deſinit eſſe permanente illius termino, vt tranſit calefactio permanente calore per illam producto; imò cũ eſt verum dicere, quod eſt calor productus, eſt verum, dicere quod iam non eſt

mo-

motus. Ergo motus non eſt eadem entitas cum ſuo termino, alias eadem entitas permaneret, & deſineret eſſe.

Nec valet dicere, quod ad hoc ſufficit diſtinctio rationis, vel ſaltem diſtinctio realis formalis, & quod licet maneat entitas caloris non remanet ſub formalitate motus: quamuis re vera maneat entitas, quæ prius fuit ſub formalitate motus.
§. Non, inquam, id valet quia motus nō ſolum quoad formalitatem, ſed quoad entitatem tranſit, & deſinit eſſe. Imò in motu ſucceſſiuo, qui habet partes priores, & poſteriores aduenienti parte poſteriori prior pars totaliter, & entitatiue deſinit eſſe; aliàs omnes partes motus quoad earum entitatem ſimul exiſterent, & permanerent, & ſic non eſſet ens ſucceſſiuum, ſed permanens.

4 Secundo probatur concluſio, quia omnis motus aut mutatio eſt realis influxus in terminum, realiſq; productio illius; terminuſque realiter dependet ab illo, non tanquam à cauſa, ſed tanquam ab agentis cauſalitate, & ipſius termini productione. Ergo non poteſt eſſe eadem entitas termini, ac motus ſeu mutationis per quam producitur. Patet conſequentia, nam alias eadem entitas realiter à ſemetipſa dependeret, & ſuimet eſſet realis productio, quod omnino videtur impoſſibile.

5 Tertio probatur. Quia idemmet entitatiue terminus poteſt duplicem realiter entitatiue diſtinctum motum, aut muta-

tationem terminare. Ergo cum neutro tali motu ipſe terminus realiter idẽtificatur. Patet cõſequentia, quia quæ realiter identificantur cum vno tertio, realiter etiam identificantur inter ſe. Ergo ex oppoſito ſi duo motus, aut mutationes inter ſe realiter non identificantur, nec poſsunt cum eodem termino ad quem vtriuſque motus realiter identificari. Antecedens autem multiplici probatur exemplo. Idem enim entitatiue eſt homo genitus, ac poſt mortem per reſurrectionem reproductus idem entitatiue eſt corpus Chriſti genitum, & ex pane per conuerſionem Sacramentalem productum. Idemque entitatiue eſt habitus ſcientię per primã demonſtrationem productus, & per ſecundam demonſtrationem perfectus in ſententia Thomiſtarum, quod quælibet ſcientia eſt ſimplex qualitas, & per ſecundam demõſtrationem nihil reale in habitu ſcientiæ producitur: & tamen certiſſimum videtur, quod ad prædictos terminos realiter entitatiue diſtinctæ terminantur actiones, cum aliquæ illarum, vt generatio, & reproductio, generatio corporis Chriſti, & illius in panem conuerſio à diſtinctis realiter agentibus, & diuerſis temporibus procedant. Ergo ad eundem entitatiue terminum poſsunt actiones, motus, aut mutationes realiter entitatiue diſtinctæ terminari.

6 Vltimo tandem id ſpecialiter proba-

batur de mutatione quæ eſt generatio ſubſtantialis, illa enim eſt verum accidens, & vere, & realiter inhærens, vel in materia prima (vt aliqui exiſtimant) vel in ipſo genito (vt vera docet ſententia) ergo non poteſt realiter identificari cum termino ad quem formali, vel totali ipſius generationis. Terminus enim formalis eſt forma ſubſtantialis, & totalis ipſum compoſitum genitum: quorum, cum vterque terminus ſit ſubſtantia, non poteſt realiter identificari cum accidente. Præterquam quod nullatenus intelligi poteſt, quod generatio ſit forma accidentalis realiter inhærens compoſito genito & ſit eadem entitas cum ipſo compoſito.

7 Dicimus tamen in concluſione motum, & illius terminum ad quem non diſtingui realiter entitatiue, ſed realiter modaliter, quia cum motus ſit quædã entitas modalis, vialis, & imperfecta, diſtinguitur à ſuo termino nõ tanquã entitas, & entitas, ſed tanquam modus ab entitate: non tamen id facit, quod aliqualiter realiter identificentur; ſed ſolum facit, quod cum tota entitas, & eſſentia motus, vtpote imperfecta, & vialis ſit ordinari ad ſuũ terminum, pertineat reductiue ad prædicamentum, & ſpeciem ſui termini: & ob id motus ſub ratione motus eſt poſt prædicamentum, quia per diuerſa prædicamenta diuagatur, & in particulari quilibet motus ad prædicamentum,
&

& ſpeciem ſui termini reductiue pertinet.

8 Obijcies primo, quod oppoſitum concluſionis videtur docere Ariſtoteles, dum hic tex. 4. aſſerit: quod motus non eſt aliud præter res ad quas eſt motus, non igitur ab illis realiter diſtinguitur; aliàs aliquid eſſet præter illas. §. Sed dupliciter poteſt hoc teſtimonium explicari. Primo, quod ſolum in illo intendit Philoſophus motum non eſſe aliquam entitatem perfectam, & completam præter res ad quas eſt motus, ſed entitatem quandam imperfectam, modalem, & vialem. Vel ſecundo poteſt intelligi, quod ſolum intendat motum non eſſe aliquid ad diuerſam ſpeciem & prædicamentum pertinens, ac res ad quas eſt motus, quia vt in fine concluſionis diximus, cum motus ſit entitas imperfecta, & vialis ad terminum, ad ſpeciem, & prædicamentum ſui termini reductiue pertinet.

9 Obijcies ſecundo, quod terminus alicuius motus in facto eſſe, & in fieri eadem entitas eſt: eadem enim entitas caloris, quæ eſt in fieri, & produci, manet poſtea in facto eſſe. Sed motus eſt ipſemet terminus in fieri, & motus v.g. ad calorē eſt ipſemet calor in fieri. Ergo motus idētificatur cum ſuo termino, & eadem eſt entitas termini, & motus; & dū terminus eſt in fieri, talis entitas habet formalitatē motus, dum autem terminus eſt iam in facto eſſe, eademmet entitas admittit for-

malitatem motus, & manet ſub formalitate termini,

Reſpondetur conceſsa maiori diſtinguendo minorem. Si enim de fieri actiue loquimur, motus eſt ipſum fieri termini, quia eſt effectio, & productio illius. Si autem loquamur de termino in fieri paſſiue, pro entitate videlicet ipſius termini, vt actualiter eſt in ipſo fieri, & produci, hæc diſtinguitur realiter à motu, ſicuti effectus à ſua reali productione, à qua realiter dependet, & media illa realiter dependet à cauſa.

10 Obijcies tertio, quod ſi motus eſſet aliquid realiter non identificatum cum ſuo termino, quotieſcumque aliquod mobile mouetur, duplici mutatione moueretur, quia duplici v.g. aqua cum calefit acciperet realitatem, alterã videlicet ipſius motus calefactionis, & alteram ipſius caloris à motu realiter diſtincti: & quodcumque de nouo aliquam diſtinctam acquirit realitatem, per illam realiter mutatur: conſequens autem videtur falſum; alias cum aqua calefit, duplex interueniret ipſius aquæ mutatio.

Reſpondetur, quod licet cum aqua calefit (& idem dico de quolibet alio mobili) recipiat duplicem realitatem, motus videlicet & termini; quia tamen entitas motus, vt ſæpius diximus, eſt vilis & ordinata ad terminum, vnica totali mutatione, aqua per receptionem motus, & caloris mutatur, nec ibi interuenit duplex

mo-

motus aut mutatio, ſed vnicus tantum motus cum ſuo termino, & per motum incipit mutari aqua, perficiturque eius mutatio per receptionem termini: & quia terminum non poteſt recipere, niſi medio motu, vt mutetur per receptionem termini, opportet quod vialiter etiam, & imperfecte mutetur per receptionem motus.

QVÆSTIO IV.

Qualiter diſtinguantur actio, paſsio, & motus, & quem inter ſe ordinem habeant.

Aliqua circa hoc breuiter diximus in logica libr. 7. quæſtion. 31. num. 5. quæ tamen nunc opportet amplius explicare, omiſſiſque varijs circa hoc ſententijs, breuiter aliquibus concluſionibus reſpondetur.

2 Dico igitur primo. Actio, paſſio & motus antecedenter, & independenter ad operationem intellectus diſtinguuntur realiter formaliter. Ita cum communi ſententia noſter Author hic quæſtion. 1. & probatur, nam actio, & paſſio pertinent ad diuerſa prædicamenta. Sed vt ſæpius oſtendimus in logica omnia prædicamenta ſunt inter ſe primo diuerſa; & ante omnem operationem intellectus realiter formaliter diſtinguuntur. Ergo ſic di-

diſtinguuntur actio, & paſſio: motus; etiam cum vt ſæpius diximus, reductiue pertineat ad prædicamentum, & ſpeciem ſui termini, & terminus cuiuſcumque motus diſtinguatur realiter formaliter ab actione, & paſſione, ab illis etiam realiter formaliter diſtinguitur motus.

Confirmatur, nam antecedenter ad omnem diſtinctionem factam per intellectum actio, paſſio, & motus habent ſuas diſtinctas rationes formales; actio videlicet prout egreditur ab agente, & eſt cauſalitas ipſius agentis: paſſio vero prout recipitur in paſſo, ſeu eſt ipſa receptio actionis in paſſo, & media illa terminus actionis etiam in paſſo recipitur; motus vero vt eſt via, fluxus & tendentia in terminum. Et ita actio formaliter vt actio dicit reſpectum tranſcendentalẽ ad agens, paſſio reſpectum tranſcendentalem ad paſſum, & motus reſpectum tranſcendentalem ad terminum. Actio igitur, motus, & paſsio ante omnem operationem intellectus reales formalitates important.

3 Dico ſecundo actio, paſſio, & motus non diſtinguuntur realiter entitatiue, ſed vnica, & eadem eſt entitas cum triplici prædicta formalitate. Hæc concluſio, & ſimul etiam precedens manifeſte habetur apud Ariſtotelem hic cap. 3. de actione, & paſsione dicente. *Hac enim vnã quidem ſunt, ratio tamen non vna eſt: ſimiliter*

liter & in mouente, & in motu, & text 22. aſſerit: *Omnino vero dicere eſt, quod nec doctio cum diſciplina, nec actio cum paſſione idem proprie eſt, ſed cui in ſunt hæc motus: nam huius in hoc actu eſſe, & huius ab hoc ratione diuerſum eſt.* Et probatur ratione, quia idem eſt entitatiue, id quo mouens mouet, mobile mouetur, & paſſum patitur. Ergo eadem eſt realis entitas motus, actionis, & paſſionis. Antecedens probatur, nam ſicut eodem impulſu, quo quis impellit lapidem, lapis impellitur; ita idemmet actus, quo agens aliquid mouet eſt, quo mobile ab agente mouetur, & qui recipitur in ipſo mobili, & hic habet rationem paſſionis, & medio illo recipit terminum.

Confirmatur, nam ſi motus diſtingueretur ab actione, & paſſione, duplici vel triplici motu moueretur quodlibet mobile in ordine ad eundem terminum, ſiquidem moueretur per entitatem motus, & per entitatem paſſionis, quæ cum ſit actio vt recepta in paſſo realiter per illam moueretur, & diſtincta motione amotione per motum, ſi eſſet entitas diſtincta ab entitate motus. Conſequens autem eſt impoſſibile, quia non poteſt dari duæ ſa realis motio, niſi mobile media illa diſtinctum acquirat terminum.

4 Dico tertio, motus ſecundum formalitatem motus non ſe habet vt genus, neque vt aliquid eſſentialiter ſuperius ad formalitatem actionis, & paſſionis.

Con-

Concluſio eſt communis, & probatur. Tum, quia cum actio, & paſſio pertineāt ad prædicamenta omnino diuerſa, nullam poſſunt habere rationem genericam, in qua conueniant; imò nec rationem aliquā eſſentialiter etiam analogice ſuperiorem, niſi rationem entis, & accidentis. Tum etiam, quia ſi ratio motus eſſet actioni,& paſſioni eſſentialiter ſuperior, quotieſcūque datur actiò, & paſſio, licet non daretur duplex formaliter motus, quia multiplicatis formaliter rationibus inferioribus, multiplicari etiam debet formaliter ratio illis eſſentialiter ſuperior. Sed vbi tantum vnica eſt actio & paſſio non poteſt duplex formaliter eſſe motus: cum non ſit duplèx formaliter, ſed vnicus dumtaxat formaliter illius terminus. Ergo formalitas motus non comparatur ad formalitatem actionis, & paſſionis, tanquam quid eſſentialiter illis ſuperius. Tum denique, quia cum motus; vt ſæpius diximus reductiue pertineat ad prædicamentum ſui termini,& quilibet terminus motus ad diuerſum prædicamentum pertineat atque actio, & paſſio, nec motus in communi, nec aliquis motus in particulari poteſt eſſe eſſentialiter ſuperior àd actionem aut paſſionem, quia pertinens formaliter ad vnum prædicamentum non poteſt eſſe eſſentialiter ſuperius ad id quod ad alterum prædicamentum pertinet, quia omnia prædicamenta ſunt inter ſe primo diuerſa.

5 Dico

¶ Dico quarto, motus, actio, & paſſio ſunt eadem entitas cum triplici formalitate, quæ neceſſario in illa coincidit, & inter quas formalitates prius intelligitur formalitas actionis, & deinde formalitas paſſionis, ſecundum quod eſt receptio ipſius actionis in paſſo, non tamen ſecundum quod eſt receptio termini: ad receptionem enim termini præintelligitur formalitas motus ſecundum quod eſt via, & tendentia ad ipſum terminum; & in hoc ſenſu verificatur, quod Ariſtoteles, & Diuus Thomas inſinuant, quod motus eſt ſubiectum quo actionis, & paſsionis, quia cum motus formaliter conſiſtat in via, & tendentia ad terminum, eſt medio quo terminus recipitur in paſſo, per quam receptionem termini formalitas actionis & paſsionis perficitur, & completur.

QVÆSTIO V.

Vtrum actio formaliter tranſiens ſit in agente?

Actio quæ ſecundum Ariſtotelem 3. Phiſicorum text. 9. eſt actus actiui; vel vt alij aſſerunt eſt cauſalitas, & actualitas agentis; vel vt docet D. Thomas opuſculo 48. tractatu de actione, *eſt forma*

ma qua in id, quod ſubijcitur, denominamur agere. Diuiditur in actionem formaliter tranſeuntem,& formaliter immanentem: non poſſumus autem nunc ſupponere quid ſit actio formaliter tranſies; nam vt videbimus in diſcurſu huius difficultatis, aliqui exiſtimant, quod vt actio ſit formaliter tranſiens ſufficit, quod habeat effectum extra ipſum agens: alij vero aſſerunt, quod non ſolum effectus actionis formaliter tranſeuntis, ſed & ipſa actio debet eſſe extra ipſum agens. Difficultas ergo ſolum procedit de actione formaliter tranſeunte; de actione enim formaliter immanente non eſt dubium quod ſit in agente, cum illudmet reſpectu illius ſit paſſum. Et loquimur de actione formaliter tranſeunte creata,& diſtincta ab ipſo agente, quia actio increata cum ipſo agenti identificatur.

2 Pro reſolutione tamen prius ſuppono, quod actio creata realiter ab agente diſtincta eſt verum accidens; ac perinde eſſentialiter dicit inhærentiam in aliquo ſubiecto; id enim eſt commune eſſentialiter omni accidenti. Vnde licet actio formaliter vt actio non explicet reſpectum inhærentiæ ad ſubiectum, ſed reſpectum egreſſus ab agente: & (vt aiunt) non explicet *in*, ſed *ab*, reuera dicit *in*, & formaliter diſtinctam inhærentiam ab inhærentia cuiuslibet accidentis; ac perinde diſtinctam etiam formaliter ab inhærentia paſſionis, quia cum inhærentia ſit modus

dus communis cuiuslibet accidentis, formaliter in quolibet accidenti diuerſificatur, ſecundum quod per conceptũ ſpecialem, & proprium talis accidentis determitur. Exemplum huius eſt manifeſtum in relatione, quæ licet non explicet inhærẽtiam in ſubiecto, ſed ordinem ad terminũ, & non explicet *in*, ſed *ad*, reuera eſſentialiter dicit in, & ſpecialem inhærentiam in ſubiecto, vt determinatur per ordinem ad terminum.

3 Dicendum eſt actionem formaliter tranſeuntem egredi realiter ab agente; & in ipſo ſubiectari, et inhærere, ſed in paſſo. Oppoſitum aliqui etiam ex Thomiſtis defendunt. Sed concluſionem plures alij communiter docent: illamque manifeſte videtur docere Ariſtoteles: in hoc enim lib. tex. 20. dixit, quod idem actus eſt mouentis, et mobilis: et cum ſibi obieciſſet, quod actus vnius eſset in altero, reſpondet dicens: *Aut neque actum alterius in altero eſſe incõueniens eſt, eſt enim doctio actus docentis, in quodam enim, & non deciſus, ſed huius in hoc.* Quod explicans D. Tho. ibidem ait: *Dicit ergo primo, quod non eſt inconueniens actũ vnius eſſe in altero; quia doctio eſt actus docentis, ab eo tamen in alterum tendens continue, & ſine aliqua interruptione. Vnde idem actus eſt huiuſmodi, ideſt agentis vt a quo, & tamen eſt in patiente vt receptus in eo: eſſet tamen inconueniens, ſi actus vnius eo modo quo eſt actus eius, eſſet in alio*, et 9. methaphiſicæ texr. 16. ait Philoſophus:

Ædifficatio namque in ædefficato ſimul, & ſit, & eſt cum domo, & de anima tex. 138. ait: *Agentis mouentiſque operatio in ipſo patiente ſuſcipitur, atque ineſt, atque adeo actio, & paſsio non in agente eſt, ſed in eo quod patitur*. Et vt in probatione concluſionis videbimus, cum Ariſtoteles ſentiat actionem identificari cũ motu, & motum aſſerat eſſe in mobile, quod eſt paſſum, manifeſte ſentit actionem formaliter tranſeuntem, quæ ſola identificatur cum motu (in actione enim immanente non interuenit motus cum quo identificetur) eſſe, ſubiectari, & inherere in paſſo. §. His omnibus addi poteſt, quod Ariſtoteles in hoc libro text. 17. ex eo, quod actio non eſt in agente, ſed in paſſo intulit, quod agens, vt agens non mouetur, quod etiam repetit 3. de anima text. 138. & cum Ariſtoteles loquatur de agente, quod motu mouet, loquitur ſolum de agente per actionem formaliter tranſeuntem. Ergo cum de illo aſſerat, quod vt ſic mouens, & agens non mouetur, aut mutatur, ſentit in illo non eſſe actionem, per quam mouet, & agit: alias formaliter vt ſic mouens, & agens ipſam actionem mutaretur.

4 In eadem etiam ſententia eſt D. Th. vt conſtat ex illius teſtimonijs in explicatione illorum, quæ adduximus ex Ariſtotele, & in pluribus alijs ſuæ doctrinæ locis inter quæ 1. part. quæſt. 18. art. 3. ad. 1. aſſerit: *Quod ſicut dicitur in 9. Metaphiſicæ duplex eſt actio, vna quæ tranſit in exterio-*

rem

rem materiam vt calefacere, & ſecare: alia quæ manet in agente; vt intelligere, ſentire, & velle. Quarum hæc eſt differentia, quia prima actio non eſt perfectio agentis quod mouet, ſed ipſius moti; ſecunda autem actio eſt perfectio agentis. Hæc D. Thom. ſed certum eſt, quod ſi actio formaliter tranſiens inhæreret, & ſubiectaret in agente, & non in paſſo, contradictoriæ ad id, quod aſſerit Diuus Thomas eſſet perfectio agentis, & non moti, ſeu paſſi, quælibet enim forma eſt perfectio eius cui inhæret. Ergo cum D. Thom. aſſerat actionem formaliter tranſeuntem non eſſe perfectionem agentis, ſed moti ſeu paſſi, ſentit proculdubio illam non ſubiectari in agente, ſed in paſſo. Alia teſtimonia D. Thom. expendentur in probatione concluſionis.

5 Prima ergo concluſionis ratio ſit ex Ferrarienſi 2 contra gentes, cap. 1. deſumpta ex doctrina D. Thomæ, quæ ſic procedit: actio formaliter tranſiens nihil abſolutum importat præter motum. Sed motus vt dicitur in 3. Phiſicorũ, & 3. de anima, eſt in mobili: non autem in mouente, ſeu agente. Ergo actio formaliter trãſiens non eſt in agente, ſed in mobili, quod eſt paſſum, quod mouetur, & patitur ab agẽte. Maior eſt D. Thomæ 1. par. quæſt 41. art. 1. ad 2. & q. 45. art. 2. ad 2. vbi aſſerit, quod actio tranſiens nihil importat præter motum, & habitudinem, ſeu relationem agentis ad paſſum. Ergo nihil abſolutum,

importat præter motum. §. Confirmatur, quia actio formaliter tranſiens identificatur cum motu, vt ſæpius docet Ariſtoteles, & Diu. Thomas: ſed motus non eſt in mouente, ſed in mobili. Ergo & actio tranſiens non eſt in agente, ſed in mobili, quod eſt paſsum. Patet conſequentia, quia implicat eandem entitatem in diuerſi eſſe ſubiectis. Ergo ſi actio tranſiens, & motus identificantur, non poteſt motus eſſe in mobili, & actio in agente.

6 Dices primo ad hanc rationem, & ad omnia teſtimonia Ariſtotelis,& D.Th. adducta, quod illa intelliguntur de actione concomitanter ſeu ſubſequenter ſumpta, quæ ſola identificatur cum motu, & eſt perfectio moti, & eſt in ipſo mobili: non autem intelliguntur de actione formaliter accepta,quæ denominat agens. illud perficit, & reducit de potentia ad actum; hæc enim nec identificatur cũ motu, nec eſt perfectio moti, ſed mouentis, nec denique eſt in mobili, ſed in mouente ſeu agente. §. Contra hoc tamen eſt primo, quod actio ſic improprie non formaliter, ſed conſequenter, vel concomitanter accepta, non ſolum identificatur cũ motu, ſed nec ab ipſo formaliter diſtinguitur. Loquuntur autem Ariſtoteles, & D.Thomas de actione licet identificata cum motu ab ipſo tamen formaliter diſtincta, & de ipſo motu prout eſt ab agente, in quo formalitas actionis conſiſtit. Ergo

non loquuntur de actione conſequenter, ſed formaliter accepta. §. Secundo, quia ſi actio formaliter accepta eſſet in ipſo agente, falſo diceret Philoſophus, vt in vltimo illius adducto vidimus teſtimonio, quod mouens, vt mouens per motum non mouetur, moueretur enim per actionem formaliter ſumptam in ipſo receptam.

7 Dices ſecundo, ad omnia prædicta cum alijs, quod quoties agens agit per actione tranſeuntem, duplex interuenit actio, alia quæ eſt actu actualitas agentis, & in ipſo manet, & eſt illius intrinſeca perfectio, & illud reducit de potentia ad actum, quam vocant actionem methaphiſicam. Alia vero eſt actio phiſica, quæ trãſit ad paſſum, ſeu mobile, & eſt perfectio illius, & hæc identificatur cum motu, & de illa intelligitur Ariſtoteles, & D. Thomas in prædictis teſtimonijs, non vero de prima actione.

Contra hoc tamen eſt primo, quod talis prima actio, nec ab Ariſtotele, aut Diu. Thoma conceditur, ſed potius negatur, cum ſolum vterque agnoſcat actum motiui in ipſo motu, ſeu paſſo, & in hoc 3. lib. text. 17. ait Ariſtoteles: *Motiui autem actus alicuius non eſt oportet enim eſſe actum vtriuſq; motiuum quidem eſt in ipſo paſſo, mouens autem in ipſo operari, vel agere, quare ſimiliter vnus vtriuſque actus.* Quem locum explicat D. Thomas dicens: *Oſtendit quomodo ſe habeat motus ad mouens,*

& primo proponit quod intendit dicens; quod actus motiui non eſt alius ab actu mobilis, vnde cum motus ſit actus mobilis, eſt etiam quodammodo actus motiui. Hæc D.Thom. Vnde aduerſus illum, & Ariſtot. conceditur aliquis actus agentis, qui non ſit actus mobilis, & ab actu mobili ſit realiter diſtinctus. §. Secũdo aduerſus id facit, quod ſi talis daretur prima actio, quæ eſſet in ageate, per illam agens, vt agens moueretur, contra id, quod in vltimo illius teſtimonio adduximus ex Philoſopho. §. Tertio, quia alias non diceret Philoſophus, vt in primo teſtimonio illius adduximus, quod actus agentis eſt in mobili, & quod non eſt inconueniens quod actus vnius ſit in alio, in hac enim quam impugnamus ſolutione, actus agentis, qui denominat agens, in ipſo eſſet agente, & non in paſſo, & ſolum eſſet in paſſo alia actio, quæ non denominat agens, nec eſſet actus agẽtis, ſed potius effectus illius. §. Vltimo denique, quia omnino ſuperfluit talis prima actio, quia per ſecundam actionem mobile ab agente mouetur, & in illo ab agente producitur effectus (alias talis actio nullo modo eſſet actio, ſed ſolum effectus, & nullatenus de illa poſſent intelligi teſtimonia Ariſtotelis, & D.Thomæ, quæ de vera actione loquuntur) ergo cum agens ſolum intendat mouere paſſum, & in illo producere effectum, omnino omnis alia prior actio ſuperfluit: ipſum enim agere agentis eſt mouere

paſ-

paſsum, & producere in illo effectum; ac perinde per eandemmet actionem, quam agens mouet paſsum, & producit in illo effectum, ipſum agens agit, & reducitur de potentia ad actum.

8 Vltimo tandem cum alijs dices, quod actio inchoatiue eſt in agente, conſumatiue vero in paſso. Et ſic explicant teſtimonia Ariſtotelis, & D. Thomæ, illaque conciliant dicentes, quod cum aſserunt Ariſtoteles, aut D Thomas actionem eſse in agente, aut eſse perfectionem agentis, loquuntur de actione inchoatiue; cũ vero aſserunt actionem non eſse in agente, ſed in paſso, aut non eſse perfectionem agentis ſed paſsi, loquuntur de actione conſumatiue. §. Sed certe, vel hæc ſolutio intendit, quod quotieſcumque agens agit per actionem tranſeuntem, duplex interuenit actio realiter entitatiue diſtincta, altera inchoata, in ipſo agente realiter recepta, & altera conſumata, quæ recipiatur in paſso. Etſi hoc hæc ſolutio intendit, coincidit cum præcedenti, & eiſdem rationibus atque illa impugnatur. §. Si autem hæc ſolutio intendat eandem entitatem actionis inchoatiue, & in egreſsu ab agente in ipſo agente recipi, & inhærere: & poſtea conſumatiue eſse in paſso, & in illo realiter recipi. Id certe videtur omnino falſum, & improbabile: cum enim in ſentẽtia D. Thomæ omnes accidens indiuidueretur à ſubiecto, implicat eandem entitatiue formam

accidentalem in agente prius, & poſteà in paſſo realiter entitatiue ab agente diſtincto recipi, aut inhærere. §. Si deniq; hæc ſolutio intendat, quod tota entitas actionis ſit in paſſo, & ſolum formalitas ab actione proueniens ſit in agente, ſi talis formalitas ſit vel denominatio extrinſeca agentis ab actione proueniens, vel relatio agentis ad paſsű fundata: in ipſa actione ab agente egrediente, & in paſſo recepta, id quidem vtrumque verum eſt, ſed per id non ſaluatur actionem eſſe in agente, quia actio nec conſiſtit in tali denominatione extrinſeca, ſed illa prouenit ab actione: neque actio conſiſtit in relatione agentis ad paſſum; ſed potius hæc in actione fundatur: quomodolibet ergo prædicta ſolutio intelligatur, non ſaluat actionem tranſeuntẽ eſſe in agente.

9 Secunda principalis concluſionis ratio eſt, quod vt ex Diu. Thoma conſtat 1. part. quæſt. 18. art. 3. ad 1. actio adæquate diuiditur in actionem immanentem, & tranſeuntem: ergo præterquam quod ibidem, vt ſupra vidimus, conſtituit inter illas diſcrimen Diu. Thomas, quod actio immanens eſt perfectio agentis, actio vero tranſiens non eſt perfectio agentis, ſed moti: ex quo, vt ſupra expendimus, deducitur actionem tranſeuntem non eſſe in agente, ſed in paſſo; alias eſſet perfectio agentis, & non paſſi. Præter hoc, inquam, actio tranſiens, vt nomen ſonat, debet tranſire in aliud ab agente; & per id di-

diſtingui ab actione immanenti, quæ in aliud ab agente non tranſit, ſed in ipſo permanet agente. §. Nec valet dicere, quod actio tranſiens diſtinguitur ab immanenti, quia hæc nullum effectum habet extra ipſum agens: bene tamen actio tranſiens, licet vtraque maneat, & recipiatur in agente. §. Non,inquam,id valet, quia licet habere effectum extra agens ſufficiat, vt actio ſit virtualiter tranſiens: nõ tamen vt ſit formaliter tranſiens; niſi ipſa actio recipiatur extra agens, in ipſo videlicet paſſo: actiones enim diuini intellectus, & volũtatis ſunt formaliter immanentes, & ſolum virtualiter tranſeuntes, & identificantur cum ipſo Deo: ac perinde non petunt aliquod ſubiectum inhæſionis; quia licet habeant effectum extra ipſum Deum, ipſæ tamen actiones non tranſeunt extra Deum, nec in aliquo mobili, aut effectu recipiuntur. Ergo vt aliqua actio ſit formaliter tranſiens non ſufficit, quod habeat effectum extra ipſum agens, ſed requiritur quod ipſa actio ſit extra agens, & in mobili, ſeu paſſo recipiatur.

10 Obijcies primo varia teſtimonia Diui Thomæ ſeorſum proponenda, & explicanda. Sit primum ex 2. ſent. diſtinction. 40. quæſtion.1. artic.4.ad 1.vbi lõquens Sanctus Doctor de actione formaliter tranſeunte, nempe de actione Chriſtum crucifigentiũ ſupponit illam eſſe in agente dicens: *Cum actio ſit in agente, &*

paſſio in patiente non poteſt eſſe idem numero accidens, quod eſt actio & quod eſt paſsio: cum vnum accidens non poſſit eſſe in diuerſis ſubiectis. §. Reſpondetur, quod non loquitur D. Thomas ibi de actione in eſse phiſico, ſed in eſse morali, & de malitia, & peccato, quod cum præcipue ſit in actu voluntatis regulante actionem exteriorē, et actus voluntatis ſit in ipſo agente, in illo eſt actio moraliter ſumpta.

11 Secundum eſt in quæſt. 7. de potentia, art. 10. ad 1. vbi de actione tranſeunte ait D. Thom. eſse perfectionem agentis. Ergo eſt in ipſo agente: perfectio enim debet eſse in eo, quod perficit. §. Reſpodetur, cum Ferrarienſi 2. contra gentes, cap. 1. quod D. Thomas non intendit actionem tranſeuntem eſse perfectionem intrinſecam agentis, cum oppoſitum expreſse dixerit 1. part. quæſt. 18. art. 3. ad 1. ſed hic ſolum intendit, quod actio eſt perfectio agentis, quatenus id ad quod terminatur actio eſt bonum ipſius agentis, vel quia per actionem conſeruatur ſpecies ipſius agentis, vel ſaltem quia cum quodlibet ſit propter ſuam operationem, operando quodlibet agens ſuum conſequitur finem.

12 Tertium D. Thomæ teſtimonium eſt in 2. contra gentes, capit. 9. vbi ait: *Actio quæ non eſt ſubſtantia agentis ineſt ei ſicut accidens ſubiecto: & ideò inter nouem genera computatur*. Et ad idem facit, quod S. Doctor quæſt. 7. de potentia, art. 9. ad 7. ait:

ait: *Actio ex hoc, quod eſt actio conſideratur vt ab agente: in quantum vero eſt accidens conſideratur, vt in ſubiecto agente.* Et idem denique habet quæſt.8. de potentia art.2. dicens: *Nihil prohibet aliquid eſſe inhærens, quod tamen non ſignificatur, vt inhærens: ſicut etiam actio non ſignificatur vt in agente, ſed vt ab agente, & tamen conſtat actionem eſſe in agente.* §. Reſpondetur cũ Ferrarienſi loc.cit. D.Tho. in his tribus locis loqui de actione creata immanenti, vt in primo teſtimonio aſſignaret differentiam inter illam & actionem, quæ eſt ſubſtantia agentis, quod hæc nõ eſt accidens, nec ineſt agenti: actio vero creata immanens eſt accidens, & ineſt agenti, & eodem modo poſset aſsignare differentiam inter actionem increatam, & creatam tranſeuntem, quod increata nec eſt accidens, nec ineſt agenti, aut paſso: actio vero creata tranſiens eſt accidens, & ineſt paſſo. In duobus autem alijs teſtimonis ex quæſtionibus de potentia ſolum intendit D.Thom. quod licet nulla actio creata explicet inhærentiã, ſed egreſsum ab agente, omnis tamen illa habeat inhærentiam: actio videlicet immanens (de qua ſolum exempli gratia locutus eſt D.Thom. inhærentiam in agente: actio vero tranſiens inhærentiam in paſso.

13 Secundo principaliter obijcies, quod quælibet actio etiam tranſiens vere, & realiter egreditur ab agente. Ergo in illo, ſaltem in ipſo egredi oportet quod ſit;

& cum nō poſſit eadem entitas in duplici eſse ſubiecto, talis actio non poteſt eſſe in paſſo. Conſequentia probatur, quia non poteſt aliquid realiter ab altero egredi, niſi in ipſo ſaltem egreſſu ſit coniunctum cum illo, & realiter ſit in illo. Ergo actio, quæ realiter egreditur ab agente, in ipſo ſaltem egredi debet eſse realiter in illo.

Reſpondetur negando conſequentiam; nam vt aliquit realiter egrediatur ab aliquo, ſufficit quod fuerit in potentia illius; nec requiritur, quod aliquando ſit actu in illo: ſicuti ipſe effectus, qui media actione realiter egreditur ab agente, non requiritur quod aliquando ſit in ipſo agēte. Imò, nec id requiritur in effectibus, qui immediate, & abſque media actione diſtincta ab agente ab ipſo agente dimanant; vt in effectibus, qui per creationem producuntur à Deo, & tamen non ſunt in ipſo Deo.

14 Obijcies tertio, quod forma eſt in ſubiecto, quod denominat, ſed actio denominat agens: ergo in ipſo agente debet eſſe. §. Nec vales dicere, quod forma non eſt in ſubiecto, quod ſolum denominat extrinſece; & actio ſolum extrinſece denominat agens. §. Non quidem id valet, quia omnis forma, quæ aliquid denominat extrinſece debet intrinſece aliud denominare; ſicut viſio quæ extrinſece denominat parietem viſum, intrinſece denominat potentiam videntem: ſed actio nul-

nullum aliud præter agens denominat intrinſece. Ergo ipſum agens nō extrinſece, ſed intrinſece denominat. Minor prob. quia ſi aliquid præter agens actio intrinſece denominaret, maxime paſsū. Sed illud nullatenus denominat; aliàs paſsum reſpectu eiuſdem actionis denominaretur agēs, & patiens: ergo nullum ſubiectum præter agens actio denominat. §. Confirmatur, nam actio debet habere ſaltem formaliter diſtinctam inhærentiā ab inhærentia paſſionis. Sed hanc nō poteſt habere in paſso. Ergo illam habet in agente. Minor prob. quia motus vt in paſso habet ſolum inhærentiam paſſionis: ergo actio non poteſt habere inhærentiam formaliter actionis paſso. §. Reſp. ad argum. ſolutionem datam eſse optimā, quia ſicut paries, quia terminat viſionem, & illam non recipit; ſolèm extrinſecem denominatur viſus ita & agens, quia eſt principium viſionis; & illam non recipit, ſolum extrinſece denominatur agens. §. Ad replicam autem dico; verum quidem eſse omnem formam extrinſece aliquid denominantem intrinſece aliud denominare, illud videlicet in quo intrinſece recipitur, quia oportet in aliquo intrinſece recipi: actio autem ſicut intrinſece eſt in paſso, ita intrinſece ei tribuit denominationem, non quidem agentis, ſed habentis actionem. Non enim oportet, quod forma denominationem eiuſdem rationis intrinſece, & extrinſece tribuat, ſicut viſio extrinſece

de-

denominat parietem viſum, & intrinſece potentiam non viſam, ſed videntem.

§. Ad confirmationem reſpondetur, actionem in paſſo, ſicut diuerſa eſt formaliter à paſſione in eodem paſſo exiſtente, diuerſam etiam formaliter habere inhærentiam: actio enim ineſt paſſo ſecundum quod ſub conceptu, & formalitate actionis reſpicit agens; & paſſio ineſt paſſo ſecundum quod ſub formalitate paſſionis non ad agens, ſed ad paſſum dicit reſpectum tranſcendentalem.

15 Obijcies quarto, quod per actionem tranſeuntem agens intrinſece perficitur, intrinſeceque mutatur. Ergo in ipſo agente talis actio intrinſece recipitur. Conſequentia patet, & antecedens probatur, quia per actionem tranſeuntem agens reducitur de intrinſeca potentia ad actum, & quod antea erat in potentia, cũ agit, iam talis intrinſeca eius potentia perficitur, & reducitur ad actum. Ergo per actionem agens intrinſece perficitur, & intrinſece mutatur. §. Nec valet aliquorum recurſus, quod agens non perficitur intrinſece per actionem tranſeuntẽ, nec per illam reducitur de potentia ad actum, ſed per præuiam Dei motionem in quolibet agente creato receptam, illud applicantem ad operandum, illudque reducentem ad potentia ad actum.

§. Non, inquam id valet, quia licet per talem præuiam motionem Dei moueatur agens creatum, & applicetur ad operandum:

dum: tamen non per illam, ſed per ſuammet actionem tranſeuntem reducitur formaliter & complete de potētia ad actum: Ergo etiam per ipſam ſuam actionem tranſeuntem perficitur, & mutatur intrinſece agens.

Reſpondetur omiſſa ſolutione in argumento aſſignata, negando antecedens, cum vt ex D. Thom. vidimus, ea ſit differentia inter actionem immanentem, & tranſeuntem, quod hæc non eſt perfectio agentis, ſed paſſi. Vnde ad probationem antecedentis eſt dicendum, quod id quod eſt in potentia intrinſeca paſſiua ad aliquid recipiendum non poteſt reduci de potentia ad actum, niſi per aliquid intrinſece in ipſo receptum, ipſumque intrinſece perficiens. Id autem, quod eſt in potentia intrinſeca ad agendum non reducitur de tali potentia ad actum, per id quod ipſummet intrinſece perficiatur, ſed per id quod ipſum agendo perficiat aliud, eique intrinſecam perfectionem communicet, & quia agens eſt hoc modo in potentia, cum actu agit non reducitur talis ſua potentia ad actum, per hoc quod ipſummet intrinſece perficiatur, aut intrinſece mutetur, ſed per id dumtaxat, quod ipſum agens perficiat intrinſece paſſum per actionem, & effectum in ipſo intrinſece receptum, & ſolum actio arguit intrinſecam perfectionem in agente, quatenus argui in ipſo eſſe formam intrinſecam, quæ ſit principium actionis ab ipſo

ipſo agente realiter procedentis.

7 Vltimo tandem obijcies, quod in agente non ſolum eſt relatio actiui ad paſſibile fundata in illius potentia operatiua, ſed cum actualiter trãſeunter operatur eſt intrinſece relatio actu agentis ad paſſum fundata in illius actione, Ergo ipſa actio eſt intrinſece in agente; in eodem enim in quo eſt intrinſece relatio, debet eſſe & illius proximum fundamentum.

Reſpondetur negando conſequentiam. Sufficit enim ad relationem realem, quod habeat fundamentum reale in eo, quod refertur vel in ipſo exiſtens, vel ab illo procedens, & ita vt agens dicat relationem realem actu, agentis ad paſſum, ſufficit quod ab illo realiter egrediatur actio, in qua talis relatio fundatur.

QVÆSTIO VI.

Vtrum aliqua creatura poſſit eſſe infinita ſecundum eſſentiam?

SVpponendum eſt primo, quod ſicut finitum eſt, quod certis terminis finitur, clauditur, & limitatur: ita infinitum erit, quod non clauditur terminis: & infinitũ ſimpliciter, & in omni genere, quod in nullo genere terminis clauditur: & infinitum in aliquo determinato genere, quod in illo genere non clauditur terminis, vt in-

infinitum ſecundum magnitudinem, quod non clauditur terminis magnitudinis; & infinitum ſecundum multitudinem, quod terminis multitudinis, ſcilicet prima & vltima vnitate non clauditur. Aliqud autem non claudi terminis, poteſt cōtingere priuatiue, vel negatiue: priuatiue quidem, cum aliquid capax terminorum, illos nō habet, vt ſi daretur quantum, quod ex eo, quod quantum, cum partes habeat, poteſt & habere terminos, ſi illos non haberet, diceretur illos non habere priuatiue, & id vtique redderet illud infinitum, non habere autem terminos negatiue competit ei, quod ex ſua eſsētia incapax eſt abſolute, vel in aliquo genere terminorum. Et id quidem poteſt contingere dupliciter: vel propter perfectionem, vt Deus propter ſuam perfectionem incapax eſt cuiuſlibet termini; & id facit perfectiſſime infinitum: vel poteſt aliquid propter ſui imperfectionem eſſe in aliquo genere incapax terminorum, vt punctum propter ſui imperfectionem in genere quantitatis eſt incapax in tali genere terminorum: & hoc modo non habere terminos; non ſolum non arguit infinitatem, ſed ſummam in tali genere imperfectionem, & finitatem.

2 Secundo eſt ſupponendum quodlibet infinitum diſtingui in infinitum in potentia, & infinitum in actu: infinitum in actu, quod etiam dicitur infinitum cathegorematice eſt, quod de facto nō clauditur ter-

terminis, ſed habet tanquam quantitatem magnitudinis, multitudinis, ſeu perfectionis, quod in eo, quod actu illius exiſtit non eſt ſignare terminos: infinitum autem in potentia, quod & dicitur infinitum ſinchategorematice eſt ſecundum id, quod actu habet, clauditur terminis; ſecundum id tamen quod habet in potentia non habet terminum, ideſt non poteſt ſignari terminus, vltra quem tranſiri non poſsit.

3 Tertio eſt ſupponendum, quod infinitum poteſt eſſe vel abſolute & in omni genere, quod eſt idem, ac infinitum ſecundum eſſentiam: vel infinitum in aliquo genere determinato, vt infinitum ſecundum intenſionem, ſecundum magnitudinem, vel ſecundum multitudinem. Et quamuis de infinito ſecundum eſſentiam potius ad metaphiſicum, quam ad phiſicũ ſpectet agere: quia tamen vt in ſequentibus videbimus ad eſſentiam, & formam finitam, ſequuntur accidentia finita & determinata, oportet etiam agere definitudine, aut in finitate creaturæ ſecundum eſſentiam.

4 Dicendum eſt, quod Deus eſt ſimpliciter, & ſecundum eſſentiam infinitus; & nihil aliud à Deo, ſcilicet nihil creatum poteſt eo modo infinitum. Ita cum Diuo Thoma 1. part. quæſtion. 7. artic. 1. & 2. docet noſter Author in hoc libro quæſt 3. & probatur primo, quia cum Deus ſit ſuum eſſe, & puriſſimus actus, nec eius eſſen-

eſſentia limitatur per id, quod ſit in potentia ad recipiendum exiſtentiam, nec illius exiſtentia per id, quod recipiatur in eſſentia: quælibet autem creatura, cum non ſit ſuum eſſe, habet eſſe receptum in eſſentia: ac perinde illius eſſe quatenus ſic in eſſentia recipitur, limitatur; & eſſentia quatenus eſt potentia receptiua exiſtentiæ etiam eſt limitata. Ergo Deus eſt infinitus ſecundum eſſentiam: nulla autem creatura eſt aut eſſe poteſt ſic infinita.

5 Secundo probatur, quia infinitum ſecundum eſsentiam non debet terminari per genus, & differentiam: id enim eſſet illud claudi ſub terminis eſſentialibus, quod infinito ſecundum eſsentiam repugnat. Sed vt oſtendimus in logica lib. 7. quæſt. 4. num. 5. & 16. Deo repugnat compoſitio ex genere, & differentia: & illa competit omni creaturæ, & fundatur in aliqua illius compoſitione reali, ſaltem ex eſſe, & eſsentia. Ergo ſolus Deus eſt ſimpliciter infinitus.

6 Tertio probatur. Quia Deus continet eminenter omnem quomodocumque perfectionem: illam autem continere nequit aliqua creatura. Ergo tantum Deus eſt ſimpliciter infinitus. Maior patet quia Deus eſt cauſa cuiuslibet entis creati, aut creabilis: ac perinde omnē illius eminenter continet perfectionem. Minor autem probatur. Quia nulla poteſt dari creatura, quæ poſsit eſse cauſa cuiuſlibet entis

creabilis, cum ipſa ſit aliquod ens creabile, & ſui ipſius cauſa eſſe non poſſit.

§. Confirmatur, nam illud eſt ſimpliciter in infinitum, cui nulla prorſus fieri poteſt perfectionis additio: ſed nulla poteſt fieri Deo: poteſt autem fieri cuilibet creaturæ creatæ, vel creabili: ſiquidem illi ſaltem poteſt addi perfectio ſuæ operationis à qualibet creatura diſtinctæ. Ergo ſolus Deus eſt ſimpliciter infinitus.

7 Obijcies primo, quod virtus Dei, ſicut & illius eſſentia eſt ſimpliciter infinita. Ergo poteſt aliquem effectum producere ſimpliciter infinitum: quanto enim perfectior eſt virtus, perfectiorem poteſt producere effectum: ac perinde virtus ſimpliciter infinita effectum ſimpliciter infinitum: dabilis ergo eſt aliqua creatura ſimpliciter infinita. §. Reſpondetur cum D. Thom. 1. par. quæſt. 7. artic. 2. ad 1. negando conſequentiam, quia eo ipſo, quod aliquid ſit productum, implicat illud eſſe ſimpliciter infinitum, & quantumuis virtus Dei ſit infinita, non defectu ipſius virtutis, ſed ex impoſſibilitate facti implicat producere aliquem effectum ſimpliciter infinitum. Imò cũ cuiuſlibet effectus creabilis Deus ſit cauſa æquiuoca, & nullus effectus cauſæ æquiuocæ perfectionem illius poſſit attingere, eo ipſo probatur Deum nullum poſſe producere effectum ſimpliciter infinitum.

8 Obijcies ſecundo, quod Deus poteſt producere effectum, quo perfectiorem producere nequeat: talis igitur effectus erit ſimpliciter infinitus. Patet conſeq. quia ſi effectus perfectiſſimus, quē Deus poteſt producere, nō ſit ſimpliciter infinitus, exhaurietur in aliquo finito virtus Dei productiua, & non erit amplius, & perfectius imitabilis à creaturis, quod vtique dici non poteſt, quia cum virtus Dei ſit infinita, & Deus infinitæ perfectionis in nullo effectu finito poteſt eius virtus ita exhauriri, vt perfectiorem producere nequeat, & perfectius eius eſſentia imitari, & parcipari non poſſit. Primum autem antecedens probatur. Quia Deus cognoſcit determinate, & diſtincte omnes creaturas poſſibiles, & omnem comparationem illarum inter ſe, aliàs aliquod obiectum poſſibile ſua cognitione non attingeret: nec ſuam potentiam productiuam, ac cognoſcitiuam cōpræhenderet: ergo cognoſcit Deus ex omnibus creaturis poſſibilibus, quæ ſit omnium illarum perfectior; & qua non ſit producibilis alia perfectior. Si enim ſit alia poſſibilis perfectior, vel nō cognouit Deus illam creaturā poſſibilem perfectiorem, vel non cōparauit illis perfectionem ad perfectionem omniū aliarū poſſibilium. Si autē cognoſcit Deus creaturam poſſibilem, & quod ſit omni alia poſſibili perfectior, eam vtique etiam non productis alijs poteſt Deus producere; aliàs illa non eſſet poſsibilis. Ergo poteſt pro-

produci à Deo aliqua creatura; qua perfectiorem producere nequeat. §. Nec valet dicere; quod quamuis Deus cognoſcat creaturam poſsibilem, & quod ſit omni alia poſsibili perfectior, illam tamen non poteſt producere: ſicuti quamuis cognoſcat Deus omnes partes cõtinui, vt ab inuicem diſtinctas, illas omnes ſeorſum producere nequit, aut continuum in omnem ſuam partem diuidere. §. Non, inquam, id valet, quia non poteſt Deus vltimam partem continui ſeorſum ab alijs producere, aut illam ab alijs omnibus ſeparare, quin omnes partes continui ſeparet, continuumque diuidat in omnes ſuas partes; & cum illæ ſint infinitæ, id eſt impoſsibile: productio autem illius creaturæ poſsibilis, quam Deus cognoſceret eſse perfectiorem omnibus alijs poſsibilibus non dependeret a productione aliarum: ac perinde non eſset cur illam alijs non productis Deus non poſset producere.

Fateor hoc argumentum eſse difficile. Sed reſponderi poteſt primo negando illius cõſequentiam; quia quantumuis produceret creaturam ita perfectam, vt aliã perfectiorem producere nequeat, adhuc tamen potentia Dei productiua in tali creatura non exhauriretur, quia poſset alias, & alias, & non tot, quin plures creaturas, licet illa tali perfectiſsima minus perfectas producere: & nõ exhauritur aliqua potentia, quamuis in actum perfectiſsimum, quem poſsit, prorumpat;

ſi

ſi in alios licet minus perfectos prorumpere poteſt. Et eſsentia Dei ſaluaretur infinite imitabilis à creaturis, ſi quamuis ab aliqua creatura perfectiſsima omnium poſsibilium participaretur, ab alijs in infinitũ creaturis licet minus perfectis maneat ſemper diuerſimode participabilis.

§. Secundo reſpondetur, iuxta communium Thomiſtarum ſententiam negando, quod Deus de facto aliquam poſsit producere creaturã, qua aliam & aliã perfectiorem producere nequeat. Et ad argumentũ contra hoc factum reſpondetur, quod licet Deus cognoſcat omnes creaturas poſſibiles, & ad inuicem illas comparet, ſicut in multitudine infinita rerum, nec per cognitionem eſt aſsignabilis illarum vltima; ita nec per cognitionem eſt aſsignabilis illarum perfectiſsima; ad id enim requireretur vltimam illarum enumerare. Et ita Deus cognoſcit quidem determinate omnes creaturas poſsibiles; in eadem tamen cognitione, & comparatione illarum non poteſt vltimam, & perfectiſsimam aſsignare: ac perinde nec aliquam ita perfectam producere, quin aliam & aliam perfectiorem producere queat.

QVÆ-

QVÆSTIO VII.

Vtrum poſsit dari infinitum in actu ſecundum magnitudinem?

SVpponimus in hac quæſtione non ſolum ſupernaturaliter, ſed naturaliter poſſe dari infinitum in potentia ſecundum magnitudinem: vt enim ſupra lib.1.q.20.n.3. diximus, ignis citra infinitum in actu nullum habet terminum magnitudinis, ſed quocumque igne dato poteſt amplius, & amplius creſcere: numquam tamen erit infinitum in actu, ſed quocumque igne ſignato habebit terminos magnitudinis. Solum igitur inquirimus, an poſſit dari aliquod infinitum in actu ſecundum magnitudinem, id eſt quod non habeat actu terminos magnitudinis, ſed quacumque illius magnitudine,ſignata ſemper ſit actu in illo maius, & maius accipere.

2. Dicendum eſt omnino implicare contradictionem dari aliquod infinitũ in actu ſecundum magnitudinem. Oppoſitum tribuitur ab Ariſtotele aliquibus antiquis, qui naturaliter infinitum in actu ſecundum magnitudinem admittebant, & illud ſupernaturaliter, & de potentia

Dei

Dei abſoluta poſſibile aliqui recentiores admittunt. Sed concluſionem cum Diu. Thoma 1.part.quæſt.7. art.3. & cum communi ſententia docet noſter Author ſapiẽtiſſimus Magiſter Soto in hoc lib.quæſt.3. & 4. & eſt ſupponendum ex D.Thoma loco citato, quod corpus, quod eſt magnitudo completa, dupliciter ſumitur, ſcilicet mathematice ſecundum quod conſideratur in eo ſola quantitas; & naturaliter ſecundum quod conſideratur in eo materia, & forma: de vtroque ergo corpore ex D.Thoma probatur concluſio. Prima ratio de corpore naturali ſit, quod ad formam finitam & determinatam ſequuntur accidentia finita,& determinata. Sed cuiuſuis corporis naturalis forma eſt actu finita, & determinata: alias illud eſſet actu infinitum ſimpliciter, & ſecundum eſſentiam, quod omnino eſſe impoſſibile oſtendimus quæſtione præcedenti: ergo cuiuslibet corporis naturalis accidentia ad illius formam ſecuta ſunt actu finita, & determinata: ac perinde nullum poteſt dari corpus naturale actu infinitum ſecundum magnitudinem. §. Nec valet dicere, quod ignis cum ſit ens creatum habet formam finitam, & determinatam: & tamen quantitatem non habet determinatam, cum ſemper poſſit magis, ac magis creſcere. §. Non, inquam id valet, quia præter illa quæ alibi de termino intrinſeco viuentium, & non viuentium circa hoc diximus, quoad præſens attinet ſufficit, quod

Y ſicut

ſicut forma ignis ſemper eſt actu finita ; & determinata : ita & illius quantitas quamuis ſemper poſſit ignis magis ac magis per appoſitionem noui combuſtibilis creſcere : tunc tamen fiet nouum indiuiduum ignis, & ſemper illud erit actu finitum.

3 Secunda ratio D. Thomæ eſt, quod vt demonſtrat Ariſtoteles, omne corpus naturale debet eſſe mobile, & vt ſtatim oſtẽdemus mobile aliquo motu locali. Sed ſi daretur corpus actu infinitum ſecundum magnitudinem, nullatenus eſſet mobile: nullum igitur corpus naturale poteſt eſſe actu infinitum ſecundum magnitudinem. Minor probatur, quia illud non eſſet mobile motu recto, aut circulari : nullatenus igitur eſſet mobile. Antecedens pro prima parte patet, quia quod mouetur motu recto, debet acquirere de nouo partem loci, & partem loci deſerere. Sed ſi daretur corpus actu infinitum ſecundum magnitudinem, cum omnem prorſus occuparet locum, non poſſet partem loci de nouo acquirere, partemque deſerere : Non igitur poſſet motu moueri recto. Quod autem non poſſet moueri motu circulari probatur, quia vt aliquid circulariter moueatur, debet vna illius pars tranſire ad locum alterius : ſed id fieri non poſſet in corpore actu infinito ſecundum magnitudinem. Ergo illud non poſſet circulariter moueri. Minor probatur, quia inter-

quam-

quamlibet partem, & partem ſignatam illius corporis eſſet infinita diſtantia: ſed infinita diſtantia non eſt per motum pertranſibilis. Ergo vna pars illius corporis non poſſet per motum peruenire ad locum alterius. Minor probatur, quia quanto aliquæ lineæ amplius protrahuntur à centro, tanto amplius inter ſe diſtant. Ergo cum quælibet linea talis corporis eſſet ſecundum longitudinem actu infinita, in infinitum protraheretur à centro: ac perinde inter quaslibet ſignatas eſſet infinita diſtantia.

4 Dices cum aliquibus, quod tale corpus eſſet radicaliter mobile: ſiquidem ſi ſeparetur ab illo aliqua pars poſſet moueri: ac perinde cum illa eſſet eiuſdem rationis cum tali toto corpore (ſupponimus enim illud fore homogeneum) totum ipſum corpus eſſet radicaliter mobile, & ſolum per accidens non poſſet de facto moueri propter defectum loci in quo moueretur. Sicuti quodlibet corpus finitum clauſum in aliquo loco, quem totum repleat, non poſſet de facto motu recto moueri:& tamen id non tolleret, quod illud ſecundum motum rectum eſſet mobile radicaliter. §. Contra hoc tamen eſt, quod cum corpus natura ſua debeat eſſe radicaliter mobile, licet per accidens, & ab intrinſeco poſſit impediri ab actuali motu: id tamen impedimentum non poteſt ab intrinſeco ab ipſo corpore prouenire: quia non poteſt ab aliquo prouenire

inclinatio ad aliquem actum, & impedimentum ad illum habendum. Sed ſi daretur corpus actu infinitum ſecundum magnitudinem ipſa illius quantitas eſſet impedimentum, vt moueretur: ergo illud non eſſet radicaliter mobile: quod cum ſit contra rationem corporis naturalis, cõtra rationem illius eſt habere quantitatem actu infinitam. §. Confirm. quia quantitas inquolibet corpore eſt principium illius motus localis, ſicut & extenſionis illius in ordine ad locum. Ergo non poteſt illa eſſe impedimentum, vt corpus cui competit, moueatur. Sed ſi daretur quantitas actu infinita in aliquo corpore eſſet impedimentum, vt illud moueatur. Ergo non poteſt quantitas actu infinita in aliquo corpore reperiri. §. Ad id autem, quod in ſolutione dicebatur, quod ſi à corpore homogeneo actu ſecundum magnitudinem infinito aliqua ſepararetur pars, illa eſſet radicaliter mobilis. Reſpondetur, quod potius inter alia inconuenientia oppoſitum ex tali poſitione ſequeretur, quia cum illa pars eſſet eiuſdem rationis cum toto, & illud, vt oſtendimus, non eſſet radicaliter mobile, nec ipſa pars quamuis finita eſſet radicaliter mobilis, quod eſt concedere repugnantia.

5 Dices cum alijs, quod illud corpus infinitum actu ſecundum magnitudinem, licet nõ eſſet mobile motu locali, nec motu augmentationis, poſſet moueri motu alterationis, qui cum ſit motus phiſicus, ſuf-

ſufficit, vt tale corpus ſit mobile phiſice, & ſolum de ratione corporis eſt mobilitas aliqua phiſica. §. Contra hoc tamen eſt, quia omnis motus alterationis fit præſuppoſito motu locali ipſius mobilis per approximationem ad aliud corpus, à quo alteratur, vel alterius corporis ad illud, vt ipſum alteret. Ergo cum corpus actu infinitum ſecundum magnitudinem non poſſit moueri ad aliud corpus, nec aliquod corpus moueri ad illud, non poſſet de nouo alterari.

6 De corpore autem mathematice accepto probat D.Thom. illud non poſſe eſſe actu ſecundum magnitudinem infinitum: *Quia ſi imaginemur corpus mathematicum exiſtens actu, opportet quod imaginemur ipſum ſub aliqua forma, quia nihil eſt actu, niſi per ſuam formam. Vnde cum forma quanti in quantum huiuſmodi ſit figura, opportebit, quod habeant aliquam figuram: & ſic erit finitum. Eſt enim figura, quæ termino, vel terminis comprahenditur.* Hæc D.Thom. quod vtique intelligitur de figura, quæ ex determinatione quantitatis reſultat. Vnde cum omnis quantitas ſit principium reſultandi in illa aliquam figuram, per quam finiatur, & determinetur, omnis quantitas etiam mathematice accepta, & ſine ordine ad corpus conſiderata debet eſſe finita, & determinata, & per ſpeciem alicuius magnitudinis determinatæ in ſuo eſſe conſtituta.

7 Obijcies primo, quod datur infini-

tum in potentia ſecundum magnitudinem: ergo poteſt etiam dari infinitum in actu, quia omnis potentia reducibilis eſt ad actum. §. Confirm. primo, quia omnis magnitudo creabilis eſt infinita, etſi de facto omnis illa ſimul crearetur eſſet actu infinita: ſed omnis illa eſt à Deo producibilis: ergo producibilis eſt à Deo magnitudo actu infinita. Confirm. ſecundo, quia virtus diuina ad producendum magnitudinem eſt infinita, etſi operaretur ex neceſſitate naturæ, & ageret ſecundum vltimum ſuæ potentiæ produceret magnitudinem actu infinitam: ergo etiam libere operans poteſt magnitudinem actu infinitam producere. Reſpond. ad argumentum, quod ex eo quod detur infinitum in potentia ſecundum magnitudinem ſolum ſequitur, quod ſucceſſiue talis potentia poteſt reduci ad actum, & cum ſit potentia ad infinitum nunquam deuenietur ad id, quod ſit complete & adæquate reducta ad actum, ſed ſemper erit amplius & amplius, reducibilis ad ac tantum. §. Ad primam confirmationem reſpondetur, quod ſi omnis magnitudo poſſibilis ſimul actu produceretur, eſſet actu infinita: non tamen poteſt ſimul actu produci; nec enim eo quod aliquid ſit producibile ſequitur, quod ſit totum ſimul producibile; ſed ſufficit quod ſit producibilis vna pars illius poſt aliam, & quia potentia productiua Dei eſt infinita, numquam deuenietur ad id, quod totum producibile de facto produxe-

rit,

rit, ſed ſemper reſtabit ei amplius, & amplius producendum. §. Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, quod quamuis potentia Dei productiua ſit infinita non poteſt producere actu infinitum, quia id implicat ex parte facti: imò ex ipſius potentiæ Dei infinitate potius ſequitur quod quacumque magnitudine producta poſſit maiorem, & maiorem producere: ac perinde, quod nunquam poſſit deueniri ad id, quod de facto magnitudinem actu infinitam produxerit. Et dato impoſſibili, quod Deus ad extra operaretur ex neceſsitate naturæ non produceret magnitudinem actu infinitam, non propter defectum potentiæ, ſed propter impoſsibilitatem facti: ſicuti etiam ſi operaretur ex neceſsitate naturæ non produceret effectũ ſimpliciter infinitum propter impoſsibilitatem facti, quia eo ipſo, quod aliquid ſit creatum, implicat eſſe ſimpliciter infinitum.

8 Obijcies ſecundo, quia poſsibile, imò neceſſarium eſt dari lineam infinitæ actu longitudinis, & habentem actu infinitas partes aliquotas, nempe eiuſdem longitudinis cum longitudine vnius partis ſignatæ, quod ſic probatur. Nam ſi detur columna v.g. longitudinis, & rotunditatis vnius palmi, neceſſarium eſt in illa dari linea quæ gyret, & continuet omnes partes ipſius columnæ à principio vſque ad finem: ſed partes columnæ ſunt infinitæ. Ergo talis linea habet infinitas par-

tes aliquotas longitudinis. Patet conſequentia, quia vt gyret talis linea vnam partem illius columnæ requirit longitudinem vnius palmi: ergo vt gyret omnes, & infinitas partes columnæ, habet linea infinitos palmos longitudinis.

Reſpondetur, quod quia in columna, non ſunt infinitæ partes ſignatæ, & æquales; ſed in confuſo, & proportionales, & inter quamlibet, et aliam partem ſignatam medient infinitæ partes ſignabiles, nõ poteſt dari linea gyrans omnes partes columnæ, quia ad id requireretur omnes illas eſſe determinate ſignabiles.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum implicet contradictionem dari infinitum in actu ſecundum multitudinem.

SVpponimus dari infinitum in potentia ſecundum multitudinem, ideſt quod qualibet multitudine data poteſt dari maior ac maior ita, vt numquam deueniatur ad multitudinem, qua maior dari non poſsit: quod vtique manifeſte probatur ex diuiſione continui, cuiuſcum quælibet pars ſit quanta, diuiſibiliſque perinde in aliàs partes, quantumuis continuum in plures partes diuidatur, in aliàs et aliàs plures reſtat diuiſibile. Hoc ergo ſuppo-
ſito

ſito dubitamus, an ſupernaturaliter de potentia Dei abſoluta poſſit dari infinitum in actu ſecundum multitudinem, quæ de facto nullis terminis claudatur, nullamque habeat vltimam vnitatem.

2 Dicendum eſt id omnino implicare contradictionem. Oppoſitum aliqui tenent: ſed concluſio cum Ariſtotele hic, & D.Thoma 1. part. quæſt.7. artic.4. eſt communis. Et probatur primo ratione eiuſdem Angelici Doctoris ibi: quia implicat dari multitudinem aliquam exiſtentum, & quod illa non ſit in aliqua ſpecie multitudinis. Ergo & quod non ſit actu finita. Antecedens patet, quia implicat dari à parte rei aliquid ſub genere, & quod non ſit ſub aliqua determinata eius ſpecie: ſicut implicat dari animal realiter exiſtens, quod non ſit ſub aliqua ſpecie determinata animalis. Sed multitudo eſt genus ad ſpecies numeri. Ergo implicat dari multitudinem aliquam realiter exiſtentem, quæ non ſit ſub aliqua ſpecie determinata numeri. Prima autem conſequentia probatur. Quia omnes ſpecies numeri conſtituuntur per vltimam vnitatem. Ergo ſi nulla poteſt eſſe multitudo realiter exiſtens, quæ non ſit ſub aliqua ſpecie numeri, nulla poteſt eſſe multitudo realiter exiſtens, quæ non ſit conſtituta per aliquam vltimam vnitatem. Sed omnis multitudo habens vltimam vnitatem eſt actu finita. Ergo nulla poteſt eſſe multitudo realiter exiſtens, quæ non ſit actu fi-

nita. Et hæc ratio æque procedit de multitudine tranſcendentali, ac de multitudine quantitatiua. Quia ſpecies vtriuſque talis multitudinis conſtituuntur per vltimam vnitatem.

3 Huic tamen rationi objicies, quod in ſententia D. Thom. 1. part. quæſtion. 14. art. 13. quod omnia futura realiter ab æterno exiſtunt in æternitate, neceſſario videtur concedenda aliqua multitudo infinita realiter in æternitate exiſtens, omnium videlicet cogitationum beatorum, quæ licet in proprijs menſuris non exiſtant ſimul: tamen ab æterno in æternitate ſimul realiter exiſtunt: & tamen talis multitudo non eſt in aliqua ſpecie, cum non habeat aliquam vltimam vnitatem: non igitur implicat dari aliquam multitudinem realiter exiſtentem, quæ ſub aliqua ſpecie numeri non conſtituatur.

Reſpondetur, quod ſpecies numeri conſtituuntur per vltimam vnitatem in propria ipſius numeri menſura exiſtentem: non autem per vltimam vnitatem exiſtentem in menſura ſuperiori, ſicut in æternitate: & ita non inconuenit dari multitudinem aliquam realiter in æternitate exiſtentem, quæ in eadem æternitate non habeat vltimam vnitatem, dummodo habeat illam in ſua propria menſura. Explicatur hoc, quia quæ ſimul exiſtunt realiter in æternitate, non ſimul exiſtunt in proprijs menſuris, ſed reſpectu earum aliqua eorum ſunt in potentia ad exiſtendum: & ita

infinita multitudo in æternitate exiſtens eſt infinita in potentia,vt in proprijs menſuris abſolute exiſtat, & in qualibet illarum per vltimam vnitatem, quam in illa habebit conſtituatur in ſpeciali ſpecie multitudinis. Sicuti quamuis detur infinita multitudo poſſibilium, quia non omnia illa ſimul exiſtunt in propria illorum menſura, talis multitudo ſolum eſt infinita in potentia, & reducibilis diuiſiue ad actum in diuerſis proprijs menſuris, in quarumqualibet multitudo quæ in illa extiterit per vltimam vnitatem, quam in illa habuerit conſtituetur ſub determinata ſpecie multitudinis.

4 Secunda concluſionis ratio ex eodem articulo D.Thomæ deducta ad hanc formam reducitur, quia nec poteſt dari infinitum in actu ſecundum multitudinem per additionem multitudinis finitæ ad aliã finitam præexiſtentem, nec per productionem ſimul alicuius infinitæ multitudinis: nullatenus ergo poteſt dari infinitum in actu ſecundum multitudinem. Antecedens quoad primam partem patet, quia finitum additum finito non facit infinitum. Secunda autem pars antecedentis probatur, quia omne creatum ſubintentione determinata creantis comprehenditur; alias creans abſque aliquo fine, & intentione operaretur. Sed infinitum non poteſt cadere ſub intentione operantis. Ergo nihil actu infinitum poteſt de facto produci.

5 Obijcies primò, quod datur infinitum in potentia ſecundum multitudinem. Ergo talis potentia poteſt reduci ad actũ: ac perinde poteſt dari infinitum in actu. §. Confirmatur, quia potentia Dei eſt infinita. Ergo poteſt producere multitudinem actu infinitam.

Reſpondetur ad argumentum ex Diu. Thoma 1.par.quæſtion.7. art.4. his verbis: *Ad primum dicendum, quod vnumquodque, quod eſt in potentia reducitur in actum ſecundum modum ſui eſſe: dies enim non reducitur in actum, vt ſi tota ſimul: ſed ſucceſſiue, & ſimiliter infinitum multitudinis non reducitur in actum; vt ſit totum ſimul, ſed ſucceſſiue: quia poſt quamlibet multitudinem poteſt ſumi alia multitudo in infinitum*. §. Ad confirmationem reſpondetur, quod licet potentia Dei ſit infinita non poteſt facere multitudinem actu infinitam, quia id implicat ex parte facti. Et infinitas potentiæ Dei relucet in eo, quod qualibet multitudine facta poteſt aliam, & aliam maiorem facere.

6 Obijcies ſecundo, quod in continuo actu ſunt infinitæ partes, ac tu enim eſt ipſum continuum ex omnibus ſuis partibus conſtans. Iam igitur datur multitudo actu infinita talium cuiuslibet continui parpartium. §. Dices, quod licet actu ſint infinitæ partes in continuo non ſunt actu ab inuicem ſeparatæ, & dum ſunt indiuiſæ non conſtituunt plura entia, ſed vnum tantum ens; nec per plures exiſtentias,

ſed

ſed per vnam & eandem totius continui exiſtentiam exiſtunt. Vt autem eſſet multitudo actu infinita requireretur, quod partes talis multitudinis eſſent actu diuiſæ, actu plura entia, & per diuerſas exiſtentias exiſterent. §. Contra hoc tamen eſt, quod Deus poteſt quamlibet partem continui ab omni alia parte ſeparatam cõſeruare: ſi enim quamlibet illarum conſeruat media cauſa ſecunda, ſcilicet media vnione cum altera parte, cum quidquid Deus facit medijs cauſis ſecundis poſſit facere ſe ſolo poterit eaſdem omnes partes continui ſeparatas, & abſque vnione vnius cum altera conſeruare: & cum illæ ſint infinitæ, poterit dari multitudo actu infinita prædictarum partium per diuerſas exiſtentias exiſtentium.

Reſpondetur ſolutionem argumento aſſignatam eſſe optimam, & ad replicam reſpondetur negando antecedens, quia licet de eſſentia cuiuslibet partis continui non ſit eſſe vnitam cum hac vel illa alia parte determinata; eſt tamen de eſſentia illius habere aliquas partes in quas ſit diuiſibilis: ac perinde eſſe vnitam cum aliquibus partibus; alias ſi aliqua pars quantitatis continuæ eſſet ab omni parte ſeparata ac perinde in nullas partes amplius diuiſibilis, eſſet talis pars omnino indiuiſibilis, eſſet talis pars omnino indiuiſibilis, & continuum componeretur ex indiuiſibilibus, quod eſſe impoſſibile infra lib.6. quæſt.1. oſtendemus. Deus igitur po-

poterit conſeruare quamlibet partem continui abſque vnione cum qualibet parte determinata, non tamen abſque vnione cum omni prorſus parte, quia non poteſt aliquid conſeruari abſque eo quod eſt de illius eſſentia.

7 Obijcies tertio, quod in qualibet temporis hora ſicut ſunt infinitæ partes, ſunt & infinita inſtantia. Sed non implicat in ſingulis horæ inſtantibus Deus ſingulos producere Angelos, qui infine horæ eſſent actu infiniti, & actu ſimul exiſtentes. Ergo poteſt Deus facere infinitam actu multitudinem Angelorum.

Reſpondetur, quod licet Deus diuiſiue in quolibet ſignato inſtanti horę poſſet aliquem, & aliquos producere Angelos, non tamen in omnibus collectiue inſtantibus horæ, quia vt in aliquo inſtanti Angelum producat, tale inſtans debet determinate ſignari. Et licet in qualibet hora ſint infinita inſtantia: non tamen quæ determinate poſſint deſignari, & quod inter quodlibet inſtans, & inſtans determinate ſignatum non mediet pars temporis diuiſibilis in infinitas partes, & habens infinita inſtantia, quibus tales illius partes continuentur. Et ita ſicut eſt impoſſibile determinate ſignari omnia inſtantia vnius horæ, ita etiam quod in ſingulis eorum Deus ſingulos producat Angelos.

8 Obijcies quarto, quod licet de facto, vt fides docet, mundus non fuerit ab æterno; potuit tamen ab æterno fieri, & ab

ab æterno Deus potuit aliquem hominem creare, & poſtea per ſingulos annos mundi ſingulos producere homines. Sed quocumque anno ſignato infiniti ante illum, tranſiſſent anni. Ergo infiniti homines eſſent producti, quorum cum animæ, vtpote incorruptibiles, ſimul exiſterent, daretur actu infinita multitudo animarum ſimul realiter exiſtentium.

Reſpondetur, quod licet Deus poſſet mundum creare ab æterno, & hominem ab æterno producere: non tamen ſeruatis naturis rerum: Quia vt infra lib.8. q.4. explicabimus talis homo ab æterno productus non poſſet, niſi poſt infinitam durationem alium hominem generare; nec Deus poſſet ſingulis annis ſingulas animas creare; quia cum infiniti eſſent anni, animæ non poſſent ſingulis annis creari, niſi cum crearetur vna anihilaretur altera.

QVÆSTIO IX.

Vtrum poſsit dari infinitum in actu ſecundum intenſionem.

SVpponimus dari in accidentius, quæ ſolum poſſunt intendi, infinitum in potentia ſecundum intēſionem, ideſt quod qualibet illorum intenſione data poſſunt amplius, & amplius intendi, quod in qualitatibus ſupernaturalibus manifeſtius

pa-

patet; cum enim cauſa illarum ſit infinita, & capacitas illarum ſubiecti, ſcilicet potentia obedientialis creaturæ nullum habeat terminum; imò quo amplius recipit tales qualitates redditur capacior ad perfectius illas recipiendum, tales qualitates nullum habent terminum, quem de potentia Dei abſoluta non poſſint amplius & amplius excedere. Solum igitur dubitamus, an poſſit dari infinitum in actu ſecundum intenſionem, ideſt qualitas aliqua, quæ nullum habeat actu terminum intenſionis: ac perinde quę non poſſit amplius intendi.

2 Dicendum eſt omnino implicare contradictionem dari qualitatem ſecundũ intenſionem infinitam. Oppoſitum aliqui tenent. Sed concluſio eſt communis primo, quia qualitas, & intenſio qualitatis eſt accidens conſecutum ad formam. Sed cuiuſuis creaturæ forma eſt actu finita, & determinata. Ergo & illius qualitas, & qualitatis intenſio. §. Secundo, quia nec poteſt fieri infinitum actu ſecundum intenſionem per additionem finitæ intenſionis ad finitam intenſionem præexiſtentem, quia finitum additum finito non facit infinitum: nec productionem alicuius ſimul actu infinitæ intenſionis, aut actu infinitæ intenſæ qualitatis: ergo nullo modo poteſt dari actu infinitum ſecundum intenſionem. Antecedens quoad primam partem manet inter illud proponendum probatum, quoad ſecundam vero probatur.

Quia

Quia omnis qualitas, & intenſio qualitatis limitatur per ſubiectum in quo qualitas recipitur, & in ordine ad quod per maiorem, vel minorem radicationem intenditur. Sed nihil in eo, in quo ab aliquo de facto limitatur, poteſt eſſe actu infinitum. Ergo nulla qualitas poteſt habere actu infinitam intenſionem.

3 Obijcies, quod qualitas ſupernaturalis, vt gratia, & charitas cum recipiantur in potentia obedientiali, quæ non eſt finita, aut limitata, & producantur immediate per diuinam virtutem, quæ etiam nullam habet limitationem, non eſt cur de facto abſque termino infinite intenſæ non poſſint produci: ac perinde poſſibile eſt infinitum actu ſecundum intenſionem.

Confirmatur, quia gratia habitualis Chriſti eſt actu infinita, ſiquidem iuxta plurium Theologorum ſententiam, non poteſt etiam de potentia Dei abſoluta amplius intendi. Ergo non implicat dari aliquam qualitatem ſecundum intenſionem actu infinitam.

Reſpondetur ad argumentum, quod eo ipſo, quod qualitates ſupernaturales recipiantur in ſubiecto, licet ſecundum illius potentiam obedientialem, & ab ipſo ſubiecto limitantur: ac perinde earum intenſio, quæ in ordine ad ſubiectum, & per maiorem in illo radicationem fit non poteſt eſſe actu infinita. Infinitas autem potentiæ obedientialis ſolum arguit, quod qualitate aliqua ſecūdum quamlibet illius inten-

tenſionem in illa recepta poteſt amplius, & amplius, in illa intendi, quod eſt ſolum talem qualitatem eſſe ſecundum intenſionem infinitam in potentia.

Ad confirmationem reſpondetur, quod vt late Deo dante oſtendemus in commentarijs ad quæſtionem ſeptimam tertiæ partis D. Thomæ, gratia Chriſti habitualis, licet moraliter ſit infinita: tamen in eſſe entis, & ſecundum intenſionem eſt actu finita, & poteſt per potentiam Dei abſolutam amplius, & amplius intendi.

LIBER QVARTVS Phiſicorum.

Summma textus huius libri.

IN primo capite oſtendit Ariſtoteles, ad phiſicum ſpectare loci conſiderationem, & inquirit, an ſit locus. §. In ſecundo cap. quærit, natura loci in quo conſiſtat. §. In cap.3. axplicat octo modos, quibus aliquid poſſit eſſe in aliquo, & qua ratione poſſit dici, aliquid eſſe in ſe ipſo. §. In cap.4. præmiſſis aliquibus proprietatibus loci, definitionem illius aſſignat. §. In cap.5. oſtendit, qualiter vltimæ ſpheræ competat, eſſe in loco, & argumentis contra loci exiſtentiam occurrit. §. In cap.6. aſſerit, diſputationem de vacuo ad phiſicum pertinere, & proponit quæſtionem, an detur vacuum in natura. §. In cap.7. definitionem vacui

cui aſſignat, & oſtendit, non dari vacuū: argumentiſque in oppoſitum occurrit. In cap. 8 & 9. confirmat, non dari vacuum in rerum natura. §. In cap. 10. inquirit an ſit tempus, & an idem numero nunc fluat per omne tempus, & in quo temporis natura conſiſtat. §. In capit. 11. tribus prædictis quæſtionibus reſpondet, tēpuſque definit. §. In cap. 12. docet, tempus conuenire rebus ratione motus. §. In cap. 13. explicat aliqua aduerbia temporis, vt nunc, aliquando, & alia. §. In cap. 14. docet, vnicum eſſe tempus numerice, & ſpecifice, numerum videlicet motus primi mobilis, quo omnia menſurantur.

QVAESTIO I.

Vtrum locus ſit vltima ſuperficies corporis continentis locatum.

VNum ſupponimus, & aliud inquirimus in hac & ſequenti quæſtinoe, ſupponimus enim vt notum, locum eſſe: cum experientia conſtet corpora moueri, quod nihil eſt aliud, quam tranſire de loco in locum, & videamus grauia, & leuia naturaliter in ſua naturalia loca inclinari: inquirimus autem, quid ſit locus?

2 Du-

2 Duplex eſt locus; alter in quo aliquid ſolum eſt definitiue, vt locus in quo Angelus non contentus aut circunſcriptus à loco, ſed potius ipſum continens locum, alter eſt locus continens & circumſcribens locatum, qui eſt proprius locus corporũ, & quia ſicut ad Phiſicum ſolum ſpectat, agere de rebus corporeis, & de eorum motu phiſico, ſolum etiam pertinet, agere de loco circunſcriptiuo corporum, de illo ſolum in præſenti inquirimus, quid ſit?

3 Locum ſic acceptum definit Ariſt. in hoc 4. lib. c.4. quod ſit *vltimum corporis ambientis immobile primum*. Et cum vltimum corporis ambientis ſit illius ſuperficies, communiter loci circunfertur definitio, cum eadem diffinitione Ariſtoteles coincidens, quod locus eſt *ſuperficies vltima corporis continentis immobilis prima*. Vt autem huiuſmodi definitionem, eſſentiamque loci explicemus, oportet, ſingulas eiuſdem definitionis particulas declarare. Quæ cum tres ſint, nempe quod locus eſt vltima ſuperficies corporis continentis, quod talis ſuperficies eſt immobilis; & quod eſt prima, ideſt immediata locato; tres iſtas particulas in hac & quæſtione ſequenti explicabimus.

4 Circa primam autem particulam omnibus debet eſſe certum, locum non poſſe eſſe materiam, aut formam, aut aliquod accidens præter vbi ipſius locati; quia quoties corpus aliquod mouetur, mu-

tat

tat locum; imò ipſum moueri illius nihil eſt aliud, quam mutare locum; ſed cum corpus mouetur, non mutat materiam, aut formam, nec aliquod accidens intrinſecum, præter vbi, aut per id, quod de loco ad locum moueatur, aliquid illorum variatur. Ergo in nullo illorum conſiſtit locus.

5 Hoc ergo ſuppoſito, aliqui non in vltima ſuperficie corporis continentis locatum, illius locum conſtituunt, ſed aliqui in quodam ſpacio imaginario, in quo quaſi penetratiue eſt locatum, v. gr. quod locus terræ nihil eſt aliud, quam interuallum illud, quod intercedit inter latera aquæ continentis illam, quod interuallum idem maneret, etiamſi aqua deſtrueretur, & terra. §. Alij vero in aliquo vero reali ſpacio locum conſtituunt, exiſtimantes, inter terram ver. g. & aquam aliquod ſpacium verum, & reale, licet immateriale; intercedere, & penetrari cum ipſo locato; eſſeque proprium locum illius. §. Alij autem non in aliquo iſtorum, ſed in ipſo vbi intrinſeco, quod locatum acquirit, per motum localem, illius locum conſiſtere aſſerunt.

6 Dicendum tamen eſt cum Ariſtot. & D.Thom. & noſtro Authore hic q. 1. communique ſententia, nullum iſtorum, ſed ſolum ſuperficiem vltimam corporis continentis locatum eſſe illius proprium locum. Et in primis quod non ſit ſpacium imaginatiuum, probatur. Tum, quia locatum

tum circumſcriptiue exiſtens in loco ab ipſo loco debe realiter contineri: ſed ſpacium imaginarium cum nō ſit verum ens, ſed purum nihil, non poteſt aliquid reale realiter continere. Ergo ſpacium imaginarium non poteſt eſſe locus alicuius corporis. Tum etiam, quia plura corpora, vt grauia & leuia, habent naturalem inclinationem ad aliqua loca ſibi propria in quibus naturaliter conſeruantur. Ergo cum ſpacium imaginarium ſit purum nihil, illud non poteſt eſſe locus naturalis alicuius corporis. Ergo neque abſolute poteſt eſſe locus illius. Tum denique quia cuiuſlibet corporis ratio formalis vt contineatur, & circumſcribatur à loco, eſt illius quantitas, ita vt ſi illam non habeat vel nō habeat extenſionem quantitatis in ordine ad locum, etiamſi adſit locus tale corpus ex ſe potens continere, & circumſcribere, de facto illud non continebit, nec circumſcribet,& tale corpus quãuis habeat præſentiam ſubſtantialem ad locum: non tamen habebit vbi, ſeu præſentiam localem ad illum, neque erit in illo tanquam in loco, ſicut non eſt in loco corpus Chriſti ſacramentaliter exiſtens ſub ſpeciebus panis,quia vt ſic exiſtens licet habeat ſuam quantitatem: non tamen extenſionem illius in ordine ad locum. Sed ſi corpus eſſet vt in loco in ſpacio imaginario, ad id non indigeret quantitate extenſa in ordine ad ipſum locum, imò non poſſet habere illam extenſam in or-

ordine ad talem locum. Ergo ſpacium imaginarium nõ poteſt eſſe locus alterius corporis. Minor patet, quia quantitatem alicuius corporis eſſe extenſam in ordine ad locum, nihil eſt aliud, quam illam eſſe coextenſam extenſioni quantitatis loci. Sed ſpacium imaginarium nullam habet quantitatem, nec extenſionem quantitatis. Ergo nullum corpus poteſt habere extenſionem ſuæ quantitatis in ordine ſpacium imaginarium.

7 Quod vero locus alicuius corporis non ſit aliquod ſpacium reale, quod inter illud & aliud corpus intercedat, probatur, quia nullum tale intercedit ſpacium verum, & reale, quia illud non poteſt eſſe ſubſtantia nec accidens corporeum, nec ſpirituale. Ergo nec aliquod ens verum Antecedens probatur. Nam in primis non poteſt eſſe ſubſtantia ſpiritualis, nec accidens ſpirituale: ſic enim non haberet extenſionem, cui commenſuraretur extēſio quantitatis corporis locati, quod requiritur, vt in tali ſpacio corpus eſſet circircumſcriptiue vt in loco. Nec poteſt eſſe ſubſtantia corporea. Tum, quia illa haberet ſuam propriam quantitatem, ac perinde eſſet impenetrabilis cum corpore locato. Tum etiam, quia ipſa ſubſtantia corporea deberet eſſe in loco, & ad id requireretur aliud ſpacium reale, quod eſſet ſubſtantia corporea, & vt illa etiam ſit in loco, requireretur alia ſubſtantia corporea, & ſic in infinitum. Quod denique

non

non poſſet tale ſpacium reale eſſe accidẽs corporeum, etiam patet, quia præterquam quod naturaliter eſt impoſſibile, accidens eſſe abſque ſubiecto, ſi illud eſſet accidens corporeum, haberet quantitatem & eſſet in loco in alio ſpacio reali, quod etiam eſſet accidens corporeum & illud eſſet vt in loco in alio, & ſic in infinitum.

8 Quod autem locus corporis non poſſit eſſe vbi intrinſecum ipſius corporis, quod acquirit per motum localem, prob. Tum, quia vbi nihil eſt aliud, quam circumſcriptio paſſiua corporis ex circumſcriptione actiua loci proueniens. Ergo vbi ſeu præſentia localis corporis ad locũ non eſt ipſe locus corporis, ſed aliquid diſtinctum à loco prouenięns in corpore, ex eo quod locus contineat, & circumſcribat ipſum corpus. Tum etiam, quia locus nõ eſt in locato: ſed potius locatum in loco. Sed vbi eſt in corpore locato. Ergo vbi non eſt locus illius

9 Relinquitur igitur ex prædictarum ſententiarum excluſione, proprium cuiuſlibet corporis locum eſſe vltimam ſuperficiem corporis illud continentis. Et directe id probatur, quia locus cuiuſlibet corporis eſt id, quod illud ambit, & ſecũdum omnem illius partem illud tangens circumſcribit: ac perinde eſt æquale ipſi corpori locato. Sed id competit vltimæ ſuperficiei alterius corporis, quæ eſt conti-

tigua corpori locato. Ergo talis vltima ſuperficies corporis continentis eſt proprius locus corporis contenti. Minor probatur. Nam cum ſuperficies habeat longitudinem, & latitudinem, & ſit indiuiſibilis ſecundum profunditatem, vltima ſuperficies corporis continentis ratione ſuæ longitudinis, & latitudinis, tangit omnes partes corporis contenti, & quia eſt indiuiſibilis ſecundum profunditatem eſt contigua ſuperficiei corporis contenti. Ergo illud totum ambit: & circumſcribit, & eſt illi æqualis, aliæ autem ſuperficies præter vltimam corporis continentis non ſunt contiguæ ſuperficiei corporis contenti: ac perinde ſola vltima ſuperficies corporis continentis eſt proprius locus corporis contenti.

10 Obijcies, quod cum motus localis ſit tranſitus mobilis de loco in locum, ille videtur eſſe locus alicuius corporis, qui eſt terminus motus localis illius. Sed terminus motus localis eſt vbi, quod per motum acquirit mobile. Ergo ipſum vbi eſt locus corporis, quod mouetur. §. Confirmatur, nam id eſt locus corporis à quo corpus accipit denominationem locati: ſed non à ſuperficie alterius corporis, ſed ab vbi intrinſeco, quod per motum localem corpus acquirit, accipit denominationem locati. Ergo non ſuperficies alterius corporis, ſed intrinſecum vbi quod corpus per motum acquirit, eſt locus illius.

Mi-

Minor probatur, quia denominatio locati eſt eſſe in loco; ſeu eſſe alicubi. Sed per ſuum vbi intrinſecum corpus dicitur eſſe in loco, ſeu eſſe alicubi. Ergo ab illo accipit denominationem locati.

§. Reſpondetur ad argumentum; quod duplex eſt terminus motus localis, intrinſecus videlicet, & extrinſecus, & in potentia ad vtrumque eſt mobile, priuſquam moueatur: eſt enim in potentia ad locum tanquam ad terminum extrinſecum motus, & vt mobile per motum coniungatur cum loco, & eſt in potentia tanquam ad terminum intrinſecum motus vbi, quod eſt accidens quodam intrinſecum, quod corpus acquirit, eo quod per motum localem, coniungitur cum loco, & ab illo actiue continetur, & circumſcribitur. Locus ergo non eſt quilibet terminus motus, ſed terminus dumtaxat extrinſecus illius. §. Ad confirmationem reſpondetur, quod locus corporis eſt nō quidem illud, à quo corpus intrinſece, & formaliter denominatur locatum, ſeù exiſtens in loco (id enim eſt ipſum vbi intrinſecum, quod corpus acquirit per motum) ſed cum denominatio locati, ſeu vbicari licet ſit denominatio intrinſeca, deſumatur ab aliquo extrinſeco, illud extrinſecū à quo deſumitur, eſt proprius locus corporis, & ab illo non tanquam à forma, ſed tanquam à termino tranſcendentalis reſpectus, quem importat vbi, corpus denominatur locatum.

tenſionem in illa recepta poteſt amplius, & amplius, in illa intendi, quod eſt ſolum talem qualitatem eſſe ſecundum intenſionem infinitam in potentia.

Ad confirmationem reſpondetur, quod vt late Deo dante oſtendemus in commentarijs ad quæſtionem ſeptimam tertiæ partis D. Thomæ, gratia Chriſti habitualis, licet moraliter ſit infinita: tamen in eſſe entis, & ſecundum intenſionem eſt actu finita, & poteſt per potentiam Dei abſolutam amplius, & amplius intendi.

LIBER QVARTVS Phiſicorum.

Summa textus huius libri.

IN primo capite oſtendit Ariſtoteles, ad phiſicum ſpectare loci conſiderationem, & inquirit, an ſit locus. §. In ſecundo cap. quærit, natura loci in quo conſiſtat. §. In cap. 3. axplicat octo modos, quibus aliquid poſſit eſſe in aliquo, & qua ratione poſſit dici, aliquid eſſe in ſe ipſo. §. In cap. 4. præmiſſis aliquibus proprietatibus loci, definitionem illius aſſignat. §. In cap. 5. oſtendit, qualiter vltimæ ſpheræ competat, eſſe in loco, & argumentis contra loci exiſtentiam occurrit. §. In cap. 6. aſſerit, diſputationem de vacuo ad phiſicum pertinere, & proponit quæſtionem, an detur vacuum in natura. §. In cap. 7. definitionem vacui

cui aſſignat, & oſtendit, non dari vacuū argumentiſque in oppoſitum occurrit. In cap. 8 & 9. confirmat, non dari vacuum in rerum natura. §. In cap. 10. inquirit an ſit tempus, & an idem numero nunc fluat per omne tempus, & in quo temporis natura conſiſtat. §. In capit. 11. tribus prædictis quæſtionibus reſpondet, tēpuſque definit. §. In cap. 12. docet, tempus conuenire rebus ratione motus. §. In cap. 13. explicat aliqua aduerbia temporis, vt nunc, aliquando, & alia. §. In cap. 14. docet, vnicum eſſe tempus numerice, & ſpecifice, numerum videlicet motus primi mobilis, quo omnia menſurantur.

QVAESTIO I.

Vtrum locus ſit vltima ſuperficies corporis continentis locatum.

VNum ſupponimus, & aliud inquirimus in hac & ſequenti quæſtinoe, ſupponimus enim vt notum, locum eſſe: cum experientia conſtet corpora moueri, quod nihil eſt aliud, quam tranſire de loco in locum, & videamus grauia, & leuia naturaliter in ſua naturalia loca inclinari: inquirimus autem, quid ſit locus?

2 Du-

2 Duplex eſt locus; alter in quo aliquid ſolum eſt definitiue, vt locus in quo Angelus non contentus aut circunſcriptus à loco, ſed potius ipſum continens locum, alter eſt locus continens & circumſcribens locatum, qui eſt proprius locus corporũ, & quia ſicut ad Phiſicum ſolum ſpectat, agere de rebus corporeis, & de eorum motu phiſico, ſolum etiam pertinet, agere de loco circunſcriptiuo corporum, de illo ſolum in præſenti inquirimus, quid ſit?

3 Locum ſic acceptum definit Ariſt. in hoc 4. lib. c. 4. quod ſit *vltimum corporis ambientis immobile primum*. Et cum vltimum corporis ambientis ſit illius ſuperficies, communiter loci circunfertur definitio, cum eadem diffinitione Ariſtoteles coincidens, quod locus eſt *ſuperficies vltima corporis continentis immobilis prima*. Vt autem huiuſmodi definitionem, eſſentiamque loci explicemus, oportet, ſingulas eiuſdem definitionis particulas declarare. Quæ cum tres ſint, nempe quod locus eſt vltima ſuperficies corporis continentis, quod talis ſuperficies eſt immobilis; & quod eſt prima, ideſt immediata locato; tres iſtas particulas in hac & quæſtione ſequenti explicabimus.

4 Circa primam autem particulam omnibus debet eſſe certum, locum non poſſe eſſe materiam, aut formam, aut aliquod accidens præter vbi ipſius locati; quia quoties corpus aliquod mouetur, mutat

tat locum; imò ipſum moueri illius nihil eſt aliud, quam mutare locum; ſed cum corpus mouetur, non mutat materiam, aut formam, nec aliquod accidens intrinſecum, præter vbi, aut per id, quod de loco ad locum moueatur, aliquid illorum variatur. Ergo in nullo illorum conſiſtit locus.

5 Hoc ergo ſupponſito, aliqui non in vltima ſuperficie corporis continentis locatum, illius locum conſtituunt, ſed aliqui in quodam ſpacio imaginario, in quo quaſi penetratiuè eſt locatum, v. gr. quod locus terræ nihil eſt aliud, quam interuallum illud, quod intercedit inter latera aquæ continentis illam, quod interuallum idem maneret, etiamſi aqua deſtrueretur, & terra. §. Alij vero in aliquo vero reali ſpacio locum conſtituunt, exiſtimantes, inter terram ver. g. & aquam aliquod ſpacium verum, & reale, licet immateriale; intercedere, & penetrari cum ipſo locato, eſſeque proprium locum illius. §. Alij autem non in aliquo iſtorum, ſed in ipſo vbi intrinſeco, quod locatum acquirit, per motum localem, illius locum conſiſtere aſſerunt.

6 Dicendum tamen eſt cum Ariſtot. & D. Thom. & noſtro Authore hic q. 1. communique ſententia, nullum iſtorum, ſed ſolum ſuperficiem vltimam corporis continentis locatum eſſe illius proprium locum. Et in primis quod non ſit ſpacium imaginatiuum, probatur. Tum, quia locatum

tum circumſcriptiue exiſtens in loco ab
ipſo loco debe realiter contineri: ſed ſpa-
cium imaginarium cum nō ſit verum ens,
ſed purum nihil, non poteſt aliquid reale
realiter continere. Ergo ſpacium imagi-
narium non poteſt eſſe locus alicuius cor-
poris. Tum etiam, quia plura corpora,
vt grauia & leuia, habent naturalem in-
clinationem ad aliqua loca ſibi propria in
quibus naturaliter conſeruantur. Ergo
cum ſpacium imaginarium ſit purum ni-
hil, illud non poteſt eſſe locus naturalis
alicuius corporis. Ergo neque abſolute
poteſt eſſe locus illius. Tum denique
quia cuiuſlibet corporis ratio formalis vt
contineatur, & circumſcribatur à loco,
eſt illius quantitas, ita vt ſi illam non ha-
beat vel nō habeat extenſionem quantita-
tis in ordine ad locum, etiamſi adſit locus
tale corpus ex ſe potens continere, & cir-
cumſcribere, de facto illud non contine-
bit, nec circumſcribet,& tale corpus quā-
uis habeat præſentiam ſubſtantialem ad
locum: non tamen habebit vbi, ſeu præ-
ſentiam localem ad illum, neque erit in
illo tanquam in loco, ſicut non eſt in loco
corpus Chriſti ſacramentaliter exiſtens
ſub ſpeciebus panis,quia vt ſic exiſtens li-
cet habeat ſuam quantitatem: non tamen
extenſionem illius in ordine ad locum.
Sed ſi corpus eſſet vt in loco in ſpacio
imaginario, ad id non indigeret quanti-
tate extenſa in ordine ad ipſum locum,
imò non poſſet habere illam extenſam in
or-

ordine ad talem locum. Ergo ſpacium imaginarium nō poteſt eſſe locus alterius corporis. Minor patet, quia quantitatem alicuius corporis eſſe extenſam in ordine ad locum, nihil eſt aliud, quam illam eſſe coextenſam extenſioni quantitatis loci. Sed ſpacium imaginarium nullam habet quantitatem, nec extenſionem quantitatis. Ergo nullum corpus poteſt habere extenſionem ſuæ quantitatis in ordine ſpacium imaginarium.

7 Quod vero locus alicuius corporis non ſit aliquod ſpacium reale, quod inter illud & aliud corpus intercedat, probatur, quia nullum tale intercedit ſpacium verum, & reale, quia illud non poteſt eſſe ſubſtantia nec accidens corporeum, nec ſpirituale. Ergo nec aliquod ens verum Antecedens probatur. Nam in primis non poteſt eſſe ſubſtantia ſpiritualis, nec accidens ſpirituale: ſic enim non haberet extenſionem, cui commenſuraretur extēſio quantitatis corporis locati, quod requiritur, vt in tali ſpacio corpus eſſet circircumſcriptiue vt in loco. Nec poteſt eſſe ſubſtantia corporea. Tum, quia illa haberet ſuam propriam quantitatem, ac perinde eſſet impenetrabilis cum corpore locato. Tum etiam, quia ipſa ſubſtantia corporea deberet eſſe in loco, & ad id requireretur aliud ſpacium reale, quod eſſet ſubſtantia corporea, & vt illa etiam ſit in loco, requireretur alia ſubſtantia corporea, & ſic in infinitum. Quod denique

non

non poſſet tale ſpacium reale eſſe accidēs corporeum, etiam patet, quia præterquam quod naturaliter eſt impoſſibile, accidens eſſe abſque ſubiecto, ſi illud eſſet accidens corporeum, haberet quantitatem & eſſet in loco in alio ſpacio reali, quod etiam eſſet accidens corporeum & illud eſſet vt in loco in alio, & ſic in infinitum.

8 Quod autem locus corporis non poſſit eſſe vbi intrinſecum ipſius corporis, quod acquirit per motum localem, prob. Tum, quia vbi nihil eſt aliud, quam circumſcriptio paſſiua corporis ex circumſcriptione actiua loci proueniens. Ergo vbi ſeu præſentia localis corporis ad locū non eſt ipſe locus corporis, ſed aliquid diſtinctum à loco proueniens in corpore, ex eo quod locus contineat, & circumſcribat ipſum corpus. Tum etiam, quia locus nō eſt in locato: ſed potius locatum in loco. Sed vbi eſt in corpore locato. Ergo vbi non eſt locus illius

9 Relinquitur igitur ex prædictarum ſententiarum excluſione, proprium cuiuſlibet corporis locum eſſe vltimam ſuperficiem corporis illud continentis. Et directe id probatur, quia locus cuiuſlibet corporis eſt id, quod illud ambit, & ſecūdum omnem illius partem illud tangens circumſcribit: ac perinde eſt æquale ipſi corpori locato. Sed id competit vltimæ ſuperficiei alterius corporis, quæ eſt con-

Minor probatur, quia denominatio locati eſt eſſe in loco, ſeu eſſe alicubi. Sed per ſuum vbi intrinſecum corpus dicitur eſſe in loco, ſeu eſſe alicubi. Ergo ab illo accipit denominationem locati.

§. Reſpondetur ad argumentum, quod duplex eſt terminus motus localis, intrinſecus videlicet, & extrinſecus, & in potentia ad vtrumque eſt mobile, priuſquam moueatur: eſt enim in potentia ad locum tanquam ad terminum extrinſecum motus, & vt mobile per motum coniungatur cum loco, & eſt in potentia tanquam ad terminum intrinſecum motus vbi, quod eſt accidens quodam intrinſecum, quod corpus acquirit, eo quod per motum localem, coniungitur cum loco, & ab illo actiue continetur, & circumſcribitur. Locus ergo non eſt quilibet terminus motus, ſed terminus dumtaxat extrinſecus illius. §. Ad confirmationem reſpondetur, quod locus corporis eſt nõ quidem illud, à quo corpus intrinſece, & formaliter denominatur locatum, ſeù exiſtens in loco (id enim eſt ipſum vbi intrinſecum, quod corpus acquirit per motum) ſed cum denominatio locati, ſeu vbicari licet ſit denominatio intrinſeca, deſumatur ab aliquo extrinſeco, illud extrinſecũ à quo deſumitur, eſt proprius locus corporis, & ab illo non tanquam à forma, ſed tanquam à termino tranſcendentalis reſpectus, quem importat vbi, corpus denominatur locatum.

11 Reſtat autem explicare, qualiter ſuperficies comparetur ad locum: aliqui enim exiſtimant comparari ad illum vt genus ad ſpeciem: Alij vero (quod videtur probabilius) quod ſe habet ad locum vt materiale per ſe tamen eſſentialiter requiſitum ad locum, quia licet ſuperficiei accidat, quod ſit vltima ſuperficies corporis continentis, & ſit immobilis, & prima, id eſt, immediata locato, ac perinde quod ſit locus, locus tamen tanquam proprium materiale, ; ſine quo ſaluari non poteſt, exigit ſuperficiem, & addit ſupra illam, quod ſit concaua: alias non poſſet continere locatum; eſſe autem ſuperficiem concauam, eſt figura, & qualitas ſuperficiei. Vnde locus ex rebus diuerſorum prædicamentorum, vt ex materia & forma conſtituitur: ita tamen quod ſuperficies per ſe ad locum requiritur, & locus pro ſuperficie vt pro ſuo proprio materiali ſupponat.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Vtrum locus ſit ſuperficies immobilis prima?

PRo ex acta explicatione definitionis loci alias duas illius particulas oportet explicare, & circa primam ratio ſe offert dubitandi, quod ſuperficies, quæ eſt locus, non eadem numero permanet, ſed continuo mutatur, vt non eadem nunc & poſtea ſuperficies me ambit, & continet aeris, & arborem v. gr. in fluuio plantatam non eadem, ſed diuerſa fluens continet & ambit ſuperficies aquæ. Ergo locus & ſuperficies, quæ eſt locus, non eſt immobilis, ſed potius de vna mutatur in alteram. §. Si dicas, quod licet non ſit eadem materialiter ſuperficies aquæ, quæ continet & circumſcribit arborem in flumine plantatam, eſt tamen eadem formaliter, quatenus omnes quæ materialiter diſtinctæ tranſeunt ſuperficies aquæ eandem habent diſtantiam ad centrum terræ, & polos mundi. §. Contra eſt, quod nec eadem eſt in talibus ſuperficiebus diſtantia: cum enim illa ſit vel reſpectus tranſcendentalis ipſarum ſuperficierum ad polos mundi, vel relatio prædicamentalis ad illos, & reſpectus tranſcendentalis cum ipſis ſuperficiebus identificetur; relatio autem prædicamentalis ipſis

ſuperficiebus inhæreat, non videtur poſſe eſſe diſtincta ſuperficies, & eandem omnes illas habere diſtantiam. Non ſolum igitur ſuperficies loci materialiter non eſt immobilis,ſed neque formaliter, vt dicit & connotat ſubſtantiam.

2 Nihilominus dicendum eſt cum Ariſt. & D.Thoma, & noſtro Authore hic q 1. communique ſententia, locum ac ſuperficiem, quæ eſt locus, debere eſſe immobilem Ariſtoteles namque in hoc lib.tex.41. ait. *Eſt autem ſicut vas locus tranſmutabilis,ſic locus vas immobile.* Et in fine textus ait. *Quare terminus continentis immobilis primus hic eſt locus.* Sentit igitur Philoſophus (vt ibidem lect.6. explicat D.Thom.) quod locus debet eſſe immobilis ad differentiam vaſis, quod quamuis contineat aquam, non eſt locus illius, qui idem numero vas cum aqua, quam continet, mutatur de vno loco in alterũ. Pro explicatione autem immobilitatis loci eſt aduertendum, quod locus non eſt ſola ſuperficies corporis locantis, neque vt præciſe continens locatum: ſic enim ſuperficies concaua vaſis eſſet locus aquæ in illa contentæ, quod negat Philoſophus, cum aqua in eodem vaſe permanens contingat mutare locum. Et quia ſi ſola ſuperficies continens locatum eſſet locus, poſset aliquod corpus moueri localiter, & non mutare locum, vt cum lignum mouetur ſuper aquam cum ſemper ab eadem materialiter ſuperficie aquæ contineanea-

neatur, ſi ſola ſuperficies ipſum lignum continens eſſet locus illius moueretur localiter lignum, abſque eo quod mutaret locum, & nouum locum acquireret. Et è contra poſſet aliquod mutare locum, & non moueri localiter, vt arbor in flumine fixa, quæ certum eſt, non moueri localiter, ſi ſola ſuperficies illam continens eſſet locus illius, mutaret locum, ſiquidem à diuerſis ſuperficiebus aquæ tranſeuntis ſucceſſiue contineretur. Locus igitur eſt ſuperficies continens locatum ſecundum ordinem talis diſtantiæ & poſitionis in vniuerſo: ita vt licet ſint diuerſæ materialiter ſuperficies, quæ aliquod corpus continent; ſi tamen omnes illæ ſint in eadem diſtantia aſt polos mundi, omnes illæ faciunt vnum numero, & immobilem locum: vt in exemplo arboris fixæ in flumine, ſuperficies aquæ, quæ ſucceſſiue illam ambiunt, quamuis materialiter diſtinctæ; tamen omnes illæ cum continent arborem ſunt ſub eadem diſtantia, omnes habent rationem vnius loci immobilis, & arbor vt ab omnibus contenta in eodem numero exiſtit loco. Et è contra vt in exemplo ligni, quod mouetur per aquam, licet per totum motum perſeueret eadem materialiter ſuperficies aquæ ipſum lignum ambiens, & continens, quia tamen eadem aquæ ſuperficies ſucceſſiue mutat diſtantiam, habet rationem diuerſi loci, & lignum mutat formaliter locum.

3 Ex his patet, ſolutionem aſſignatã rationi D. Thom. eſſe optimam, & ad replicam aduerſus illam factam reſpõdetur, quod cum dicimus eſſe eundem numero locum, & quod ſuperficies habet eandem numero diſtantiam, non loquimur de eadem numero diſtantia materialiter: hæc enim (vt argumentum probat) etiam materialiter variatur, & multiplicatur, variata & multiplicata materialiter ſuperficie, quæ talem dicit diſtantiam, ſed loquimur de eadem numero diſtãtia formaliter, hoc eſt, quod idem formaliter eſt numero locus, cum eadem vel diuerſa materialiter ſuperficies eſt in tanta, & non in maiori, aut minori diſtantia, & ita quia omnes ſuperficies aquæ, quæ ſucceſſiue continent arborem in flumine fixam, quãuis quælibet illarum; ſicut materialiter eſt ab altera ſuperficie diuerſa: ita etiam habet diſtantiam materialiter à diſtantia alterius ſuperficiei diſtinctam; quia tamẽ omnes illæ habent æqualem, & non maiorem nec minorem diſtantiam ad polos mundi, omnes illæ habent eandem numero diſtantiam formaliter, & conſtituunt vnum formaliter numero locum immobilem, & in ratione loci formaliter omnino inuariatum.

4 Aduerſus hanc tamen ſolutionem & explicationem immobilitatis loci obijcies primo, quod manente eadem, id eſt tanta, & non maiori, nec minori diſtantia ad polos mundi, ſtat mutare locum.

Non

Non igitur vnitas, & immobilitas loci penes eandem, id eſt æqualem diſtantiam ad polos mundi deſumitur. Antecedens probatur. Nam ſi quis ad motum nauis moueatur verſus oriens, & motu proprio per ipſam nauem ipſe moueatur æquali velocitate verſus occidens, talis motu illo ſuo proprio vere mouetur: ac perinde mutat locum, & tamen manet æqualiter diſtans ad polos mundi, ſiquidem quamuis ſuo motu fieri intendat magis diſtans ab oriente, motu æquali nauis trahitur verſus oriens, & ita cum tali duplici motu manet æqualiter diſtans, atque cum incipit moueri: ergo cum æquali diſtantia ſtat mutari talis hominis locum.

§. Reſpondetur negando antecedens, & ad probationem dico, quod licet talis homo videatur moueri intra nauem motu progreſſiuo, re vera quia per motum contrarium nauis non fit diuerſimode, aut inæqualiter diſtans ad polos mundi: talis homo non mouetur, nec mutat locum, ſed ſicut manet eodem modo diſtás ad polos mundi manet in eodem formaliter numero loco, & ſolum motus illius per nauem eſt ad modum motus ſaltationis ſurſum eleuando pedes; non tamen mutando totum corpus de loco in locum: exemplũ huius eſt optimum in homine, qui intra rotam, vt illam circumuoluat, mouetur, qui quamuis videatur intra rotam ambulare, & motu progreſſiuo moueri, quia per motum cõtrarium rotæ retrahitur, &

fit quod eodem modo, & æqualiter maneat diſtans ad polos mundi, reuera talis homo ſecundum totum corpus non mouetur, nec mutat locum, ſed formaliter in eodem, numero loco permanet, & ſolum motu ſaltationis ſurſum eleuando pedes, mouetur, & fatigatur, ac ſi vero motu progreſſiuo moueretur.

5 Obijcies ſecundo, quod etiamſi Deus deſtrueret polos mundi, centrum videlicet terræ, & cœlum, adhuc homo v. g. exiſtens in aliquo loco, poſſet in illo quieſcere, ac perinde eſſe in eodem numero loco, ſicut antea: & tamen vnitas talis loci non deſumeretur ab eadem diſtantia ad polos mundi, ſiquidem cum poli non permanerent mundi, nec eſſet aliqua diſtantia ad illos. Ergo vnitas loci non ſumitur ab vnitate diſtantiæ ad polos mundi.

Reſpondetur cum noſtro Authore hic q. 1. quod in ea hypotheſi maneret talis locus cum eadem diſtantia imaginaria ad polos mundi, ideſt, quod cũ ipſe locus nõ moueatur, imaginatur; & conſideratur cum eadem diſtantia ad polos mundi imaginarios, quia ſi ponerentur, vt antea, eodem modo ab illis diſtaret, & hoc ſufficit ad vnitatem formaliter numericam illius loci, ſicuti ſi mobile de illo ad alium locum tunc mutaretur, quia conſideraretur ſub diuerſa inæquali diſtantia ad polos mundi imaginarios, ſufficeret eadem diuerſitas imaginariæ diſtantiæ, vt locus à

quem

quem tale mobile per motum acquireret, eſſet formaliter numerice diſtinctus à loco, quem prius quam moueretur, habebat.

6 Quoad ſecundum, quod in hac quæſtione inquirebamus, videlicet an ſuperficies, quæ habet rationem loci, debeat eſſe prima, ideſt immediata locato, ratio dubitandi eſt, quod talis ſuperficies, vtpote contingua ſuperficiei connexæ locati eſt omnino æqualis ipſi locato. Sed locus nō debet eſſe æqualis locato. Non igitur locus conſiſtit in ſuperficie corporis continentis, quæ eſt primæ, ideſt immediata locato. Minor probatur, quia locus formaliter vt locus continet locatum. Sed continens aliquid non poteſt eſſe æquale contento, ſed debet eſſe maius illo. Ergo locus non poteſt eſſe æqualis locato.

7 Nihilominus dicendum eſt, non qualemcumque ſuperficiem corporis continentis, ſed primam, id eſt immediatam locato, habere rationem loci proprij ipſius locati, vt diſtinguitur ab illius loco communi, qui ipſum inadæquate cum alijs pluribus continet: ita enim hanc definitionis particulam explicat D.Thom. lect. 6. aſſerens. *Dicit autem primum, vt deſignet locum proprium, & vt excludat locum communem.*

8 Ad rationem autem dubitandi reſpondetur negando minorem, imò ex eo quod locus debet eſſe æqualis locato, colligitur illud, non in qualibet ſuperficie

corporis continentis, ſed in prima, ideſt in illa, quæ eſt immediata locato, locum formaliter debere conſiſtere. Vnde ad argumentum reſpondetur, quod corpus, cuius vltima ſuperficies eſt locus alterius corporis, ipſum ratione ſuæ talis ſuperficiei continet, vt quod, illius tamen talis vltima ſuperficies eſt ratio continendi, & vt quo continet locatum: & ita ſufficit quod corpus ipſum, cuius vltima ſuperficies eſt locus, ſit maius corpore locato, & contento, non tamen requiritur, quod ipſa ſuperficies, quæ formaliter eſt locus, ſit maior locato, ſed potius quod ſit illi æqualis. Cum enim dicitur, quod omne cõtinens eſt maius contento, intelligitur de continente vt quod, non vero de cõtinente vt quo, ſeu ratione immediate continẽdi: hæc enim potius debet eſſe æqualis cõtento, vt nihil illius ab illa nõ contineatur.

QVÆSTIO III.

Vtrum omnia corpora ſint in loco?

SVpponimus, vt q. præcedenti inſinuauimus, corpus eſſe in loco ratione ſuæ quãtitatis, qua redditur capax, vt poſſit circumſcribi, & contineri a loco. Vnde ſicut formæ tam ſubſtantiales, quam accidentales ſunt quantæ ratione quantitatis totius corporis, ita etiam ad exiſtentiam corporis in loco ipſæ etiam ſunt in loco.

Hoc

2 Hoc ergo ſuppoſito inquirimus, an omnia corpora ſint in loco, & certum eſt omnia corpora corruptibilia, tam mixta, quam elementalia eſſe in loco, & aliqua illorum vt mixta variare locum, quamuis aliquem naturalem ſibi vendicent locum, vt piſces in aqua, volucres in aëre, & cætera animalia in terra vt in loco magis ſibi connaturali exiſtunt. Elementa autem determinatum ſibi exigunt locum, vt terra aquam, aqua aerem, aer ignem, ignis concauum lunæ. Et cum omnes ſphæræ cœleſtes ſint contiguæ, certum eſt, primam ſphæram cœleſtem eſſe vt in proprio loco in ſuperficie concaua ſphæræ ſequentis: & hanc in ſuperficie concaua ſphæræ illi ſuperioris, & ſic vſque ad vltimam ſphæram, de qua ſolum dubitatur, an illa ſit in loco.

3 Quæſtio autem de vltima ſphæra in duplici ſententia poteſt procedere. In ſententia videlicet Ariſtotelis non agnoſcentis aliquod cœlum immobile, ſed exiſtimantis, vltimam ſphæram mobilem eſſe ſimpliciter vltimum cœlum, nec poſt illam aliud eſſe cœlum. Vel in vera ſententia Theologorum aſſerentium præter omnes cœlos mobiles eſſe cœlum empyreum immobile, quod eſt ſedes beatorum.

4 Et quidem in hac vera ſententia Theologorum dicendum eſt, vltimam ſphæram mobilem, eſſe vt in loco in vltima ſuperficie concaua cœli empyrei immo-

mobilis eodem modo continentis talem vltimam ſphæram mobilem, quo alia inferior ſphæra cœleſtis ab immediate ſibi ſuperiori ſphæra continetur. Ipſum autem cœlum empyreum immobile non eſt actu in loco propter rationes, quibus ſtatim oſtendemus, quod etiãſi vltima ſphæra mobilis eſſet ſimpliciter vltima, illa non eſſet actu in loco: à fortiori enim, id probant de cœlo empyreo, & immobili: de illo enim eſt minor difficultas, cum, vt videbimus, quod præcipue vrget, quod vltima ſphæra mobilis, etiamſi eſset ſimpliciter vltima, deberet eſse in loco, eſt motus illius, qui difficile abſque eo quod talis ſphæra non eſset actu in loco, videtur poſse ſaluari.

5 In ſententia igitur Ariſt. ponentis vltimam ſphæram mobilem, & vltra illã nullum aliud cœlum, aliqui exiſtimant, illam eſse actu in loco. Alij quidem aſſerentes, quod eſt vt in loco, in ſpacio imaginario, quod conſideratur poſt vltimam ſphæram. Alij vero, vt Auempace, quod eſt vt in loco in ſuperficie connexa ſphæræ ſequentis ab ipſa vltima ſphæra cõtentæ. Aliqui denique, vt Auerroes, quod vltima ſphæra eſt, vt in loco in centro, circa quod mouetur, quia centrum immobile tribuit immobilitatem in ratione locati vltimæ ſphæræ.

6 Dico primo. Vltima ſphæra quæcumque illa ſit, etiam in ſententia Ariſt. quod ſit mobilis, non eſt actu in loco. Ita

no-

noſter author hic cum communi ſententia, q. 1. & expreſse Ariſt. in hoc lib. cap 5. tex. 42. dicens: *Cui quidem igitur corpori ineſt aliquid extra corpus continens ipſum, hoc in loco eſt, cui vero non minime*, vbi D. Thom. ibi: *Concludit ergo ex præmiſſis, quod cum locus ſit terminus continentis, cuicumque corpori adiacet aliquod corpus cōtinens ipſum exterius, hoc eſt in loco ſimpliciter, & per ſe. Cui vero corpori non adiacet aliquod corpus exterius continens ipſum, minime eſt in loco; tale autem corpus in mundo non eſt, niſi vnum ſcilicet vltima ſphara, quæcumque ſit illa. Vnde ſecundum hanc determinationem ſequitur, quod vltima ſphara non ſit in loco.*

7 Hinc deducitur efficax concluſionis ratio, quia quodlibet corpus vt ſit actu in loco circumſcriptiuæ, debet actu ab aliquo loco realiter contineri. Sed nullus eſt locus, qui actu realiter contineat vltimam ſphæram. Illa igitur non eſt actu in loco. Minor probatur, & ſimul excludũtur oppoſitæ ſententiæ, quia non poteſt vltimam ſphæram continere realiter ſpaciũ imaginarium, quod poſt illam conſideratur: illud enim cum non ſit aliquid reale, ſed purum nihil; non poteſt aliquod corpus realiter continere; nec poteſt vltimam ſphæram continere, ſuperficies conuexa ſphæræ ſequentis; cum potius illa ab vltima ſphæra contineatur; alias idem reſpectu eiuſdem eſset ſimul continens, & contentum, locus & locatum, quod eſt impoſ-

poſſibile. Nec denique centrum poteſt cõtinere vltimam ſphæram, cum non ſolum non ſit illi contiguum, quod erat neceſſarium, vt illam immediate, & vt locus proprius illius contineret, ſed potius multum diſtans ab illa. Nihil ergo eſt, quod actu realiter vltimam ſphæram contineat, ac perinde in quo illa actu ſit, vt in loco.

8 Dico ſecundo: vltima ſphæra ſecundum ſuas partes eſt in loco, non quidem actu, ſed in potentia. Prima pars concluſionis eſt noſtri Auth. cum Ariſt. D.Tho. & patet. Quia cum vltima ſphæra, in ſententia Ariſt. etiamſi ſit mobilis, non moueatur, niſi circulariter ratione ſuarum partium, quæ mutant diſtantiam, & vna pars ſuccedit in diſtantia alterius, prima ſphæra ratione ſuarum partium dicitur quodammodo eſſe in loco. §. Secunda autem pars concluſionis eiuſdem Ariſtotelis, & D.Thomæ probatur, & explicatur, quia vt vltima ſphæra ratione ſuarum partium eſſet actu in loco, deberet vna illius pars eſſe vt in loco in altera, cum non ſit aliquis locus extrinſecus vtriuſque. Sed vna pars vltimæ ſphæræ non eſt in altera parte actu vt in loco, ſed ſolum in potentia. Ergo vltima ſphæra ratione ſuarum partium non eſt actu, ſed ſolum in potentia in loco. Minor probatur, quia vt aliquid ſit actu in loco, debet eſſe actu diuiſum, & non continuatum cum ipſo loco: locus enim cum debeat eſſe extrinſecus locato, non debet cum illo conti-

nua-

nuari : ſed illi tantum eſſe contiguus. Sed omnes partes ſphæræ inter ſe cõtinuantur, nec ſunt actu diuiſæ. Ergo vna non eſt actu in altera tanquam in loco. Sed vna pars quatenus poteſt ab altera realiter ſaltem ſuper naturaliter diuidi, & ſeparari, & ſic ab illa diuiſa, ab illa realiter contineri, dicitur in potentia eſſe in illa tanquam in loco. §. Quod ſi dicas, totam vltimam ſphæram eadem ratione poſſe dici in potentia vt in loco in alio corpore, quod poſt illam poteſt Deus creare, & illud poteſt illam contineie. §. Reſpondetur, quod talis potentia eſt multum remota, ſiquidem non ſolũ actu tale corpus non continet vltimam ſphæram, ſed nec illud realiter exiſtit in rerum natura, ſicut re vera exiſtunt partes vltimæ ſphæræ, & ſolũ eis deficit ſeparatio, & diuiſio vnius ab altera, vt vna illarum alteram, vt proprius illius locus actu contineat. Et ita magis proprie dicitur vna in altera in potentia vt in loco.

9 Aduerſus primam ſecundæ concluſionis partem obijcies, quod vltima ſphæra ſaltem ratione ſuarum partium actu mouetur, ſiquidem ratione illarum actualiter mutat diſtantias, & vna illius pars ſuccedit in diſtantia alterius, & altera fit diuerſimode diſtans, atque antea. Ergo vltima ſphæra ſaltem ratione ſuarum partium eſt actu in loco. Conſequentia probatur, quia quidquid localiter actu mouetur, eo modo quo mouetur debet eſſe

in actu in loco, cum actu moueri nihil ſit aliud, quam actu mutare loca. Ergo ſi vltima ſphæra ſaltem ratione ſuarum partiũ actu mouetur, ratione ſaltem illarum debet eſſe actu in loco.

Reſpondetur, quod duo includit motus proprie localis, quod mobile videlicet mutet locum, & quod mutet diſtantiam. Vltima igitur ſphæra dicitur ratione ſuarum partium actu moueri localiter quoad hoc ſecundum quod ratione illarum mutat diſtantiam, & vna pars ſuccedit in diſtantia alterius, & altera eſt in diuerſa diſtantia, atque antea, & ad hoc præciſe non requiritur, quod vltima ſphæra etiam ratione ſuarum partium, ſit actu in loco, ſed quod actu habeat plures partes etiam ſi inter ſe actu non diuiſas, & ſeparatas; non tamen dicitur vltima ſphæra localiter actu moueri etiam ratione ſuarum partium per mutationem loci, quia cum illius partes, ſicut & ipſa tota ſphæra, non ſint in aliquo omnibus illis extrinſeco, nec illæ inter ſe ſint actu diuiſæ, & ſeparatæ, vt vna ſit in altera tanquam in loco, vltima ſphæra, nec ratione ſui, nec ratione ſuarum partium eſt actu in loco, vt actu per mutationem loci moueatur.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Vtrum corpora vendicent ſibi propria loca naturalia, & in quo ratio loci naturalis conſiſtat

CErtum omnibus eſſe debet, aliqua eſſe corporibus loca propria, & cõnaturalia, in quibus connaturalius, quam in alijs locis exiſtunt, & in quibus connaturaliter quieſcunt, vt piſces videmus naturaliter, vt in loco proprio exiſtere in aqua, & ab illa extractos, vt ad illam reuertantur, naturaliter inclinari, & extra illam non conſeruari. Videmus etiam grauia in nullo loco præter centrum naturaliter quieſcere, ſed ſemper, vt deſcendant in centrum, naturaliter inclinari, & extra illud violenter detineri.

2 Certum eſt etiam proprium naturalem locum terræ eſse aquam, aquę aerem, aeris ignem, ignis concauum lunæ, & cuiuſlibet ſphæræ cœleſtis ſuperficiem concauam ſphæræ illi immediate ſuperioris, præter vltimam ſphæram, de qua iam quæſtione præcedenti diximus.

3 Solum igitur eſt dubium, in quo cõſiſtat ratio loci naturalis & quid addat ſupra locum abſolute & mathematicum, qui ſolum dicit quantitatem continentem lo-

locatum: videtur enim non addere (vt aliqui volunt) qualitatem aliquam conſeruatiuam locati. Tum, quia ſphæræ cæleſtes vendicant ſibi loca naturalia, quælibet ſcilicet ſphera ſphæram immediatè ſuperiorem. Et tamen in vna ſphæra non ſunt qualitates conſeruatiuæ alterius ſphęræ: cum enim omnes ſphæræ ſint incorruptibiles, non indigent aliquibus qualitatibus, vt conſeruentur. Tum etiam, quia locus naturalis, vt diximus, aeris eſt ignis. Et tamen in illo non ſunt qualitates conſeruatiuæ, ſed potius deſtructiuæ aeris, calor videlicet ſufficiens ipſum aerem ignire: ſi enim extra ſuum locum naturalem in his inferioribus videmus ignem propter ſui calorē aerem immediatum quoad partes ſibi proximiores ignire, quanto magis ignis in ſuo loco naturali aerem igniendo deſtruet. Tantum ergo abeſt, quod in igne ſint qualitates conſeruatiuæ aeris.

4 Dicendum eſt, quod quamuis non poſſint negari in loco naturali elementorum qualitates conſeruatiuæ locati, re vera quod præcipue conſtituit locum in ratione loci naturalis cuiuslibet locati eſt ordo & poſitio vniuerſi cuilibet corpori iuxta ſuam naturam conueniens. Prima pars concluſionis explicatur, & probatur. Nam quamuis elementa habeant qualitates adinuicem contrarias, vt tamen vnum elementum ſit locus naturalis alterius, & illud totaliter non deſtruat, debet ſymbolizare in aliqua qualitate cum illo. Ergo

locus

locus naturalis corporum corruptibilium dicit aliquam qualitatem conſeruatiuam locati. Antecedens probatur. Nam propter huiuſmodi conuenientiam in qualitatibus videmus, quod terra quæ eſt ſicca, & frigida eſt vt in loco naturali in aqua quæ eſt frigida, & humida, & aqua in aere, qui eſt humidus, & calidus; ac denique aer in igne, qui eſt calidus, & ſiccus.

5 Secunda autem pars concluſionis eſt noſtri authoris, hic quæſt. 2. in ſolutione ad 2. & probatur, tamen ſymbolizationem qualitatum, licet ſit requiſita ad locum naturalem elementorum; non tamen eſſe præcipue, & adæquate conſtitutiuam in ratione loci naturalis, quia alias, cum ſicut terra v. g. ſimbolizat cum aqua in frigiditate ſimbolizet etiam cum igne in ſiccitate; & ſicut aer ſimbolizat cum igne in calore, ſymbolizet etiam cum aqua in humiditate, non eſſet ratio, quare aqua magis quam ignis eſſet locus connaturalis terræ, & ignis magis, quam aqua eſſet locus naturalis aeris. Non igitur ſola prædicta qualitatum ſimbolizatio eſt quæ conſtituit locum in ratione loci naturalis elementorum.

6 Quod præcipue ergo illum conſtituit, eſt ordo, & poſitio vniuerſi, iuxta cuiuſcumque corporis naturam, & vt omnia corpora ſublunaria accipiant cæleſtes influentias: ob hoc enim omnia illa debent eſſe contigua, & vnum eſſe in altero tanquam

quam in loco. Et quia terra inter omnia elementa eſt grauior, debet eſſe omnium infima, & vt in loco naturali in aqua, quæ eſt minus grauis, quam terra, & terra debet eſſe, vt in loco naturali in aere, qui cum ſit minus leuis quam ignis, debet eſſe ſub ipſo: ac denique ignis vt in loco naturali debet eſſe in prima ſphæra, in concauo videlicet lunæ, vt recipiat influentiam illius, & aliorum orbium cæleſtium. Ipſi autem orbes cæleſtes iuxta immediatam dependentiam, quoad motum vnius ab altero vnus vt in loco ſibi naturali eſt in altero, & non propter aliquam qualitatem conſeruatiuam; quia hæc ſolum requiritur in loco naturali corporum corruptibilium, & per hoc patet ad primam partem rationis dubitandi.

7 Ad ſecundam autem partem rationis dubitandi, quatenus contra primam partem noſtræ concluſionis procedit: reſpondetur, quod potius ratione caloris ignis in quo ſymbolizat cum aere ſaltem propter rationem inadęquatam, & aliquid requiſitum ad rationem loci naturalis aeris, ignis eſt locus connaturalis aeris, qui ratione ſuæ humiditatis reſiſtit, vt licet partes illius proximiores igni aliqualiter inflamentur; ipſe tamen aer totaliter non deſtruatur, & propter talem aeris ratione ſuæ humiditatis reſiſtentiam, & quia ignis non habet actiuitatem, vt in partes magis diſtantes, aeris poſſit agere, aer non totaliter deſtruitur ab igne, ſed potius propter

di-

diſpoſitionem vniuerſi, & cuiuslibet elementi naturam, & maiorem, vel minorem grauitatem, vt in ſibi proprio loco naturali aer eſt in ſuperficie concaua ignis.

QVAESTIO V.

Vtrum duo corpora poſsint eſse penetratiue in eodem loeo?

Corporũ impenetrabilitas nihil aliud eſt, quam quod corpus quantum, & extenſum in ordine ad locum ab eodem loco aliud corpus in illo præexiſtens expellat, vel aliud corpus in eodem loco ſecum non admittat. Huiuſmodi autem expulſio vnius corporis ab altero in eodẽ loco ſecundum aliquos fit efficienter. Sed probabilius eſt, non fieri, niſi formaliter ratione ipſius quantitatis extenſæ in ordine ad locum, ad quam ſic localiter extenſam, vt effectus illius formalis ſecundarius ſequitur expulſio alterius corporis ab eodem loco.

2 Eſſe autem duo corpora penetratiue in eodem loco, nihil eſt aliud, quam quod vtrumque ſimul ab eadem ſuperficie concaua loci contineatur, & circunſcribatur. Et cum contineri, & circumſcribi à ſuperficie concaua loci, non poſſit corpus, niſi habeat quantitatem, & extenſam in ordine

ne ad locum, vt duo corpora penetrentur & ſint circunſcriptiue in eodem loco requiritur, quod vtrumque habeat quantitatem, & vtrumque habeat ſuam extenſionem in ordine ad locum, & ſolum ab vtroque auferatur alius effectus ſecundarius quantitatis poſterior extenſione *in* ordine ad locum, ſcilicet expellere ab eodem loco illud corpus, cum quo penetratur. Si autem Deus ab aliquo corpore auferret quantitatem, vel faceret, quod ab illius quantitate non ſequeretur actualis illius extenſio in ordine ad locum, licet id eſſet miraculum, eo tamen ſuppoſito, nec eſſet nouum miraculum, quod in loco, vbi ante cum ſua extenſione locali erat illud corpus; ponatur ſimul aliud corpus localiter exiſtens; nec id eſſet talia duo corpora penetrari, ſed eſſe ſimul, vnum localiter circunſcriptiue, & alterum indiuiſibili præſentia, & non vt in loco, qualiter ſubſtantia corporis Chriſti, & illius quantitas eſt indiuiſibiliter præſens ad locum, vbi localiter circunſcriptiue eſt quantitas panis, qui fuit conuerſus in corpus Chriſti.

3 His ergo ſuppoſitis dico primo. Naturaliter eſt impeſſibile duo corpora eſſe ſimul penetratiue in eodem loco. Concluſio eſt communis & à poſteriori colligitur, eo quod experientia conſtat quod eo ipſo quod aliquod corpus ponatur in loco, expellit ab eodem loco corpus ibi exiſtens. Ergo id corpori quanto & habenti extenſio-

ſionem inordine ad locum ex natura ſua competit: ac perinde naturaliter ſaltem non poteſt fieri, quod duo corpora quanta, & vtrumque cum ſua extenſione in ordine ad locum in eodem ſimul loco penetratiue exiſtant.

4 Nec huic veritati aliquæ obſtant experientiæ, quod in vaſe cineribus pleno poteſt ſimul recipi tantum aquæ, vel ſaltem paulominus, ac recipi poſſet in eodem vaſe abſque cinere, quod non videtur poſſe contingere, niſi duo talia corpora cineris, & aquæ in eodem ſimul vaſe penetratiue exiſtant, ac perinde id naturaliter non eſt impoſſibile. Similiter in ferro candente eſt verus ignis in eodem loco exiſtens ferrum: ac perinde naturaliter videtur cum ferro ignem poſſe penetrari. §. Non, inquam, huiuſmodi obſtant experientiæ: neutrum enim horum ſit per penetrationem corporum in eodem loco, ſed primum contingit, quia cum cineres ſint multum poroſi, & inter partes illorum ſit aer per ad mixtionem cum aqua condenſantur, & aer expellitur: ita vt in eadem vaſe poſſit recipi ſimul cum cineribus parum minus aquæ ac ſine cinere. Secundum autem fit per id quod in ferro ſunt aliquæ minutiſſimæ partes poroſæ, ex quibus expellitur aer, & introducitur ignis, non qui penetretur cum ferro, ſed qui ſit localiter in illius ſpacijs, in quibus aer continebatur.

5 Dico ſecundo. Supernaturaliter

poſſunt duo corpora penetratiue eſſe ſimul in eodem loco: oppoſitum tenet Durandus in 4. diſtinct. 43. quæſt. 6. Sed concluſio cum Diu. Thoma in 4. diſt 44. quæſt. 2. artic. 2. quæſtiuncula 3. eſt communis. Et probatur primo ab exemplis. Chriſtus enim tranſiuit per Vterum Virginis, ſalua ipſius B. Virginis corporali integritate, quod fieri non potuit, niſi corpus Chriſti cum corpore B. Virginis tunc penetraretur. Neque enim dici poteſt cum Durando partes B. Virginis fuiſſe dilatatas vt Chriſtus exiret: vt fieret in ſtatu innocentiæ. §. Id enim derogat ſummæ integritati B. Virginis in partu, quam vnanimiter Eccleſia fatentur, & Patres, nec mulieres in ſtatu innocentiæ, licet abſque dolore parerent, corporalem integritatem ſeruarent. §. Nec poteſt dici, quod Chriſtus exiuit de Vtero B. Virginis in terram non tranſeundo per medium. §. Id enim derogat veritati partus, qui proprie non fit, niſi cum fœtus exit per motum, & tranſeundo per medium ex vtero matris.

6 Similiter non reſerato lapide Chriſtus exiuit de ſepulchro, quod fieri non poſſet, niſi corpus eius glorioſum cum lapide ſepulchri penetraretur. Et quamuis ex ſcriptura non conſtet Chriſtum clauſo exiſſe ſepulchro, id omnes fatentur Patres, & ex antiqua traditione tenet Eccleſia. §. Nec poteſt dici, quod corpus Chriſti glorioſum ita eſt conſtrictum, vt per rimulas, vel iuncturas lapidis ſepulchri

abſ-

abſque penetratione potuerit exire, quia tanta conſtrictio, & condenſatio præterquam quod non videtur etiam in aliquo corpore glorioſo poſſibilis, fieri nequit abſque magna illius alteratione, quæ impoſſibilitati corporis glorioſi non cõgruit.

7 Præterea, vt Ioann.20. conſtat, Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem non ſemel introiuit ad diſcipulos ianuis clauſis, quod fieri non poſſet, niſi cum ipſis ianuis corpus Chriſti penetraretur. Dicere enim, quod corpus Chriſti glorioſum ita eſt conſtrictum, & condenſatum, vt per rimulas portarum abſque penetratione introiret, iam manet impugnatum. §. Nec poteſt dici, quod cum fores eſſent clauſæ, breuiſſimè fuerunt apertæ, vt Chriſtus introiret, & ſtatim iterum clauſa: id enim manifeſte contradicit textui dicenti. *Cum fores eſſent clauſæ, & quod ianuis clauſis venit Ieſus*. Si enim, vt introiret, fuiſſent vel breuiſſime apertæ, non ianuis clauſis, ſed potius ianuis apertis introiſſet Ieſus. §. Nec denique dici poteſt, quod licet fores eſſent clauſæ, introiuit Ieſus per feneſtram, id enim contradicit manifeſte veſtri contextus quæ indicant, ipſum introijſſe per ianuas. Contradicit etiam communi intelligentiæ Patrum, quod vt denotaret Euangeliſta, miraculum introitus Chriſti per ianuas clauſas notanter aduertit, quod fores eſſent clauſæ.

8 His omnibus adde, quod corpus Chriſti glorioſum aſcendit vſque ad vlti-

mum cælum, quod, cum cæli ſint incorruptibiles, & in diuiſibiles, fieri non potuit, niſi corpus Chriſti omnes cælos penetraret, & ob id ſic Chriſti in cælum aſcenſuri explicuit Apoſtolus ad Hæbreos 4. dicens. *Habentes ergo Pontificem, qui penetrauit cælos, Ieſum.*

9 Secundo probatur concluſio. Quia vnum corpus ratione ſuæ quantitatis ab eodem loco expellere alterum, vel ſit (vt aliqui autumant) efficienter, vel vt probabilius eſt, in genere cauſæ formalis. Sed ſi in genere cauſæ efficientis ea fiat expulſio, poteſt eam Deus impedire, ſuum ad id denegando concurſum. Sicut ſupernaturaliter poteſt eo modo quemlibet cauſæ efficientis impedire effectum. Si autem talis expulſio vnius corporis ab alio fiat media quantitate in genere cauſæ formalis, ea expulſio non eſt effectus formalis primarius, ſed ſecundarius quantitatis. Sed poſita aliqua forma, poteſt Deus illius effectum ſecundarium impedire. Ergo poteſt Deus ſupernaturaliter facere, quod vnum corpus non expellat alterum ab eodem loco: ac perinde quod vtrumque penetratiue exiſtat in eodem loco.

§. Confirmatur, quia licet vterque ſit effectus formalis ſecundarius quantitatis, intimior & magis intrinſecus effectus quãtitatis eſt extenſio illius in ordine ad locum, quàm impenetrabilitas cum altero corpore, & actualis expulſio illius ab eodem loco, cum huiuſmodi actualis ex-

pul-

pulſio non ſequatur ad quantitatem, niſi media illius extenſione in ordine ad locum. Sed poſita quantitate alicuius corporis, & illius ratione eſſentiali, extenſione videlicet partium in ordine ad ſe, poteſt Deus diuinitus facere, quod non ſequatur illius extenſio inordine ad locum, vt de facto id facit in corpore Chriſti exiſtente in Sacramento Euchariſtiæ, vbi ſuã retinet quantitatem, & extenſionem partium in ordine ad ſe abſque extenſione in ordine ad locum: alias eſſet ibi localiter; & ſimul circunſcriptiue in pluribus locis, quod quęſtione ſequenti oſtendemus eſſe impoſſibile, & eſſet in eodem loco penetratiue cum quantitate panis. Sicut igitur poteſt fieri diuinitus, quod quantitas non habeat extenſionem in ordine ad locum, ita etiam quod extenſa in ordine ad locum non habeat effectum ſecundarium expellēdi aliud corpus ab eodem loco per quod penetretur cum illo, & vtrumque exiſtat ſimul localiter in eodem loco.

20 Aduerſus ſecundam concluſionem obijci poterat, quod cum impoſſibile ſit, vnum corpus eſſe ſimul in duobus locis, impoſſibile videtur, duo corpora eſſe ſimul in eodem loco. Sed de hac paritate quæſtione ſequenti. Vnde aliter obijcies primo, quod corpus in loco eſſentialiter dicit priuationem & excluſionem alterius corporis ab eodem loco. Ergo nec ſupernaturaliter fieri poteſt, quod duo corpora ſint ſimul in eodem loco. Antecedens

probatur, quia forma in ſubiecto, vt forma ſubſtantialis in materia eſſentialiter infert priuationem, & excluſionem alterius formæ ſubſtantialis ab eadem materia. Ergo à ſimili corpus in loco eſſentialiter dicit excludere aliud corpus ab eodem loco, & reddere locum incapacem, vt ſimul cum illo aliud contineat locatum.

Reſpondetur negando antecedens, & ad probationem neganda eſt conſequentia. Diſparitas eſt, quod duæ formæ ſubſubſtantiales non penetrantur, nec in ordine ad actuandam materiam ſe habent per modum vnius, ſed per modum plurium, & quælibet, licet quia amiſſibilis eſt, non ſatiet appetitum materiæ, replet tamen dum eſt in illa, capacitatem vt ſimul aliam recipiat formam ſubſtantialem, quæ cum præcedenti nullatenus in ordine ad materiam ſe habeat per modum vnius formæ. Duo autem corpora ſemel inter ſe penetrata ſe habent in ordine ad locum per modum vnius locati; quia licet quodlibet illorum retineat ſuam extenſionem, in ordine ad locum, ſic tamen penetratum non maiori vtrumque quam quodlibet illorum extenſione coexiſtit loci: ac perinde in ordine ad locum vtrumque tale corpus ſe habet per modum vnius locati, nec vnum alterum ab eodem excludit loco.

11 Obijcies ſecundo, quod ſi duo corpora poſſent penetrari, & in eodem ſimul exiſtere loco, poſſent etiam partes eiuſdem

corporis vna cum altera penetrari, & illa cum alijs,& omnes ſic penetratæ in eodem exiſtere loco, ita vt maximum corpus, vt cælum, poſſet vt in loco in paruo vaſe contineri, quod videtur impoſſibile, & ex eo ſequeretur, quod totum cælum non eſſet maius aliqua ſua parte ſignata, ſiquidem cum illa omnes partes cæli poſſent penetrari, & omnes illæ non maiorem, quàm ſola talis pars occuparet locum.

Reſpondetur concedendo ſequelam: nec enim eſt impoſſibile, quod per penetrationem partium alicuius corporis totum illud quantumuis aliàs ante penetrationem magnum in paruulo loco contineatur, & quamuis totum ſit maius ſua parte, quatenus plures habet partes quam illa, & maiorem, quam illa petit ex ſe extenſionem in ordine ad locum, facto tamen miraculo penetrationis partium inter ſe eiuſdem corporis, non eſt inconueniens, quod in ordine ad locum totum non ſit actu maior ſua parte.

QVÆSTIO VI.

Vtrum vnum corpus poſsit eſſet ſimul in duobus locis?

LOquimur de exiſtentia in loco circunſcriptiue: certum enim ſecundum fidem eſt, idem corpus Chriſti eſſe circunſcriptiue in cælo, & ſimul ſacramentaliter, & indiuiſibiliter, licet cum propria quantitate, abſque extenſione tamen illius inordine ad locum eſt in diuerſis hoſtijs conſecratis, & ſub diuerſis ſpeciebus panis quantumuis diſtantibus. Difficultas ergo ſolum eſt, an idem numero corpus poſſit ſimul localiter circunſcriptiue eſſe in duobus, vel pluribus locis, quorum quilibet ei ſit adæquatus, & à quolibet illorum talem corpus totaliter, & adæquate circunſcribatur. Et eadem difficultas eſt de Angelo, an eo modo, quo eſt in loco, ſcilicet definitiue, poſſit eſſe ſimul in pluribus locis ſibi adæquatis: quæſtionem tamen magis ad phiſicum pertinentem ſolum de exiſtentia circunſcriptiua corporis in loco diſputabimus, & ex illius reſolutione proportionabiliter dicendum erit de exiſtentia Angeli in pluribus locis definitiue.

2 Suppono, quod ſi duo loca penetrarentur, tunc non eſſet inconueniens,

quod

quod aliquod vnum corpus eſſet ſimul in tali duplici loco ſic penetrato, imò tunc non poſſet eſſe in vno tali loco, quin eſſet in altero, quia vterque ſic penetratus ſe habet per modum vnius loci, & vtriuſque loci ſic penetrati ſuperficies concaua adæquatur ſuperficiei connexæ corporis locati. Difficultas ergo ſolum eſt, an idem numero corpus poſſit ſupernaturaliter eſſe ſimul in duobus locis ſibi adæquatis, & ad inuicem non penetratis.

3 Dicendum eſt, implicare, quod vnum & idem numero corpus ſit ſimul circunſcriptiue in duobus, vel pluribus locis ſibi adæquatis. Oppoſitum tenet Scotus in 4. diſtinct. 10. quæſt. 2. & aliqui recentiores extra ſcholam Diu. Thomæ. Conclusionem tamen docet ipſe Diu. Thomas 3. par. quæſt. 75. art. 1. ad 3. & in 4. diſt. 10. quæſt. 1 art. 3. quæſtiuncula 2. diſt. 44. quæſtion. 2. art. 2. quæſtiuncula 3. ad 4. vbi dicit: *Quod vnum corpus eſſe ſimul localiter in duobus locis, non poteſt fieri per miraculum.* Et cum omne, quod nomplicat contradictionem, poſſit ſaltem per miraculum & potentiam Dei abſolutam fieri, ſentit id implicare contradictionem, & nec per potentiam Dei abſolutam fieri poſſe. Et quodlibeto 3. art. 2. vbi dicit. *Quod corpus eſſe induplici loco circunſcriptiue, eſt ponere duo contradictoria ſimul.* Eandem ſententiam ſequuntur omnes diſcipuli D. Thom. & noſter Author Ss. M. Soto probabilem reputat hic quæſt. 2. & probabiliorem eſſe

indicat in 4.diſtinct.9. quæſt.1. art.1.ad 3. & diſtinct.10. queſt.1. art.5. eamque amplectuntur D.Bonauentura in 4. diſtinct. 44. a. de dote ſubtilitatis, & Durandus in 4.diſt.10. quæſt.4. numer.8. & alij plures tam antiqui, quam recentiores etiam extra ſcholam D.Thom. Colligitur etiam ex D.Auguſt. lib. 10. contra Fauſtum, cap.11.dicente corpus Chriſti extenſo modo non poſſe eſſe in ſole, & luna, & in cruce ſimul. Et certum eſt Doctorem ſanctum intendere id non poſſe eſſe etiam miraculoſe, & de potentia Dei abſoluta: naturaliter enim & abſque miraculo nullus poterat dubitare, id fieri non poſſe.

4 Probatur autem primo concluſio ratione D.Thomæ, quodlibeto citato; quia eſſe aliquod corpus circunſcriptiue in loco ſibi adæquato nihil aliud eſt, quam quod ab ipſo loco ita adæquate contineatur, & circunſcribatur, & ita intra terminos ipſius loci claudatur, quod nihil talis corporis extra illos fit: Ergo manifeſtam implicat contradictionem, quod ſimul tale corpus ſit in alio loco circunſcriptiue: alias enim adæquate clauderetur, & non clauderetur intra terminos cuiuslibet talis loci.

5 Dices, quod eſſe circunſcriptiue aliquod corpus in loco, ſolum dicit, quod ſingulis partibus corporis ſingulæ correſpondeant partes loci, & ipſi corpori adæquentur, non tamen dicit, quod ipſum corpus nõ ſit extra talem locum: alias cor-

pus

pus Chriſti in cælo circunſcriptiue exiſtens, non poſſet eſſe vllatenus extra illum locum; cum tamen extra illum ſit ſacramentaliter, & indiuiſibiliter in Euchariſtia. §. Contra tamen eſt, qũia licet corpori exiſtenti circunſcriptiue in loco, non obſtet, quod ſit alibi extra illum indiuiſibiliter, & in extenſe, obſtat tamen, quod ſimul ſit in alio loco circunſcriptiue, quia ſic eſſet cuilibet loco adæquate coextenſum, ſiquidem adæquate ab illo circunſcriberetur, & non eſſet illi adæquate coextenſum, ſiquidem ſimul coextenderetur alij diſtincto loco, in quo manifeſta inuoluitur implicatio.

6 Secundo probatur concluſio ratione inſinuata à D.Thoma 3.part. quæſt.2 5. artic.1. ad 3. quod ſi aliquod corpus poſſet eſſe ſimul in duobus locis, poſſet & eadem ratione eſſe ſimul in infinitis. Conſequens eſt impoſſibile: alias tale corpus haberet immenſitatem, vel ſaltem infinitatem in replendo, & occupando loca, quæ nulli creaturæ competere poteſt.

7 Dices id non ſequi. Primo, quia non ſunt infinita loca, in quibus aliquod corpus poſſet circunſcriptiue eſſe. §. Secundo etiam, quia nõ eſſet in illis propria virtute, ſed dependenter ab alio. §. Tertio, quia eadem ratione, qua corpus Chriſti indiuiſibiliter eſt ſub vna, & ſub pluribus hoſtijs, poſſet eſſe ſub infinitis; & tamen inde non ſequitur ipſum corpus Chriſti eſſe immenſum, aut in tali modo eſſendi

infinitum: ergo etiamſi aliquod corpus poſſit eſſe circunſcriptiue in pluribus locis, & eadem ratione etiam in infinitis, non ſequitur illud eſſe immenſum, aut in tali modo eſſendi infinitum. §. Quarto denique, quia eſto eadem ratione, qua vnum corpus poſſet eſſe circunſcriptiue in duobus locis, poſſet etiam eſſe in infinitis, non inde ſequitur, illud fore immenſum, quia non poſſet eſſe in alijs rebus ſpiritualibus, & vt aliquid ſit immenſum, requiritur, quod vniuerſaliter in omnibus rebus tam corporalibus, quam ſpiritualibus poſſit eſſe.

8 Nulla tamen horum ſolutionum ſatisfacit argumento. Non quidem prima, quia vt aliquid ſit immenſum, non requiritur, quod de facto infinita occupet loca: nec enim Deus infinita occupat, cum infinita non ſint, ſed ſufficit, quod quantum eſt ex ſe poſſit infinita loca occupare, ſi infinita eſſent. Ergo ſi daretur aliquod corpus, quod poſſet eſſe in infinitis locis, ſi infinita eſſent, etiamſi de facto non poſſet eſſe in infinitis locis, quia non poſſunt infinita dari loca, non ob id deſineret eſſe immenſum, aut ſaltem infinitum in tali modo exiſtendi. §. Nec ſecundo obeſt ſolutio, imò potius in eo præcipue conſiſtit implicatio, quod poſſit aliquod corpus non à ſe, ſed dependenter ab alio eſſe in infinitis locis; ſicut implicat aliquid recipere ab alio virtutem ad omnia in vniuerſum factibilia faciendum, quia talis virtus

tus eſſet infinita, & illimitata, & ex eo, quod reciperetur ab alio, deberet eſſe finita & limitata. Similiter ergo implicat, quod aliquod corpus haberet non à ſe, ſed ab alio poſſe in infinitis locis, ſi infinita eſſent, circunſcriptiue exiſtere, quia ſic talis in eo ratio ad exiſtendum in loco eſſet infinita, & ex eo quod illam reciperet ab alio deberet eſſe limitata & finita.

9 Nec obſtat tertia ſolutio, quia ſi idem numero corpus in pluribus, imò in infinitis locis poſſet eſſe circunſcriptiue, id vtique haberet ratione vnius, & eiuſdem quantitatis, quia non niſi ratione quantitatis poteſt aliquod corpus eſſe circunſcriptiue in loco, & vnum idem numero corpus non poteſt niſi vnam tantum habere quantitatem. Et aliquid ratione vnius tantum formæ poſſe eſſe in pluribus ſimul, & infinitis locis, arguit in illo infinitatem: hanc tamen non arguit in corpore Chriſti, quod poſſit eſſe indiuiſibiliter, & ſacramentaliter ſimul in pluribus hoſtijs, & in infinitis, ſi infinitæ poſſent conſecrari, quia corpus Chriſti non ratione alicuius intrinſeci in ipſo exiſtentis acquirit talem indiuiſibilem præſentiam ſacramentalem, ſed ratione conuerſionis panis in ipſum Chriſti corpus; & cum talis conuerſio multiplicetur, vt Chriſtus ſit in pluribus hoſtijs, non obſtat; quod multiplicata conuerſione Chriſtus in pluribus hoſtijs ſit indiuiſibiliter, quia per id nõ ſequitur quod Chriſtus per idem principiũ poſ-

poſſit eſſe eo modo indiuiſibiliter in pluribus, & infinitis hoſtijs, quod requirebatur, vt ſecundum eum modum indiuiſibiliter exiſtendi Chriſtus haberet infinitatē.

10 Nec denique obſtat vltima ſolutio, quia licet verum ſit, quod ſi aliquod corpus poſſet eſſe in infinitis locis circunſcriptiue, non tamen in alijs rebus ſpiritualibus, proprie non eſſet immenſum, haberet tamen infinitatem in tali modo eſſendi in loco circunſcriptiue. Imò in eo eſt contradictio, quod habens virtutem infinitam ad exiſtendum ſic circunſcriptiue in infinitis locis, non haberet etiam ſimpliciter immenſitatem, & virtutem exiſtendi vniuerſaliter in omnibus rebus tam corporalibus, quam ſpiritualibus.

11 Tertio, & præcipue probatur cõcluſio, quia ſi idem numero corpus poſſet eſſe ſimul in duobus locis circunſcriptiue, illud eſſet idem numero corpus, & non eſſet idem numero corpus, quod manifeſtam inuoluit contradictionem. Eſſet quidem vnum & idem numero corpus, vt ſupponitur, & quod nõ eſſet idem numero corpus, probatur, quia corpus cũ duplici quantitate non poteſt eſſe idem numero corpus. Tum, propter rationem communem, quod cum accidentia indiuiduentur à ſubiecto, & quantitas ſit verum accidens, non poteſt duplex diuerſa numero quantitas eſſe in eodem numero corpore. Tũ, propter rationem ſpecialē, quia cum corpus indiuiduetur à quantitate ſeu à ma-

à materia, vt radicaliter præhabet quantitatem, non poteſt corpus cum duplici quantitate eſſe idem numero corpus. Sed ſi corpus aliquod ſimul circunſcriptiue exiſteret in duobus locis, neceſſario ad id duplicem deberet habere quantitatem. Ergo non poſſet eſſe idem numero corpus. Hæc vltima minor ſubſumpta (in qua tota huius rationis conſiſtit difficultas) probatur. Primo, quia quantitas diuiſa, & diſcontinuata non poteſt eſſe eadem numero quantitas cum per diuiſionem & diſcontinuationem quantitas realiter numerice diſtinguatur. Sed ſi aliquod corpus exiſtit ſimul circunſcriptiue in diuerſis locis inter ſe diſtantibus, neceſſario illius quantitas eſſet diuiſa, & diſcontinuata. Ergo non eſſet eadem numero, ſed diuerſa numero quantitas. Minor probatur, quia inter quantitatem corporis exiſtentis in hoc loco, & quantitatem corporis exiſtentis in alio loco diſtanti plura intercedunt corpora. Sed impoſſibile eſt, quod inter quantitatem aliquam non diuiſam & diſcontinuatam intercedat aliud corpus. Ergo impoſſibile eſt quod quantitas corporis exiſtentis in hoc loco ſit continuata cum quantitate corporis ſimul exiſtentis in alio loco diſtanti.

12 Nec valet dicere, quod inter quãtitatem corporis Chriſti in cœlo circunſcriptiue exiſtentis & eandem quantitatem corporis Chriſti ſimul exiſtentis in Euchariſtia vbi ſuam etiam licet inextenſam

ſam in ordine ad locum retinet quantitatem, plura intercedunt corpora. Et tamen quantitas corporis Chriſti per id nō diſcontinuatur, aut diuiditur, nec numerice multiplicatur: alias non eſſet idem numero corpus Chriſti exiſtens circunſcriptiue in cœlo, & indiuiſibiliter in Euchariſtia. Ergo licet inter quantitatem alicuius corporis exiſtentis circūſcriptiue in vno loco, & quantitatem illius exiſtentis ſimul circunſcriptiue in alio loco, diſtincto & diſtanti intercedant plura corpora, non ſequitur quantitatem talis corporis eſſe diuiſam, & diſcontinuatam, aut numerice multiplicatam. §. Non, inquam, id valet, quia cū quantitas Chriſti in Euchariſtia exiſtentis non ſit extenſa in ordine ad locum, inter ipſam & quantitatem ipſius corporis Chriſti circunſcriptiue in cœlo exiſtentis non proprie aliquod intercedit corpus: ſicut enim ſola quantitas extenſa in ordine ad locum poteſt ad aliquod corpus habere contactum: ita etiam ſolum inter quantitatem extenſam in ordine ad locum poteſt proprie aliquod intercedere corpus, quia intercedentia fit per contactum quantitatis ad tale corpus. Vnde cum inter quantitatem corporis Chriſti in cœlo circunſcriptiue exiſtentis, & quantitatem illius in Euchariſtia indiuiſibiliter exiſtentis non intercedat corpus, nec talis quantitas eſt diſcontinuata, & diuiſa. Si autem aliquod corpus eſſet circunſcriptiue ſimul in duplici

loco

loco diſtanti, cum illius quantitas vtrobique eſſet extenſa in ordine ad locum, vere inter ipſam in vnò, & alio loco exiſtẽtem intercederent alia corpora: ac perinde talis quantitas eſſet diuiſa, & diſcontinuata, & conſequenter non vna, ſed diuerſa numero eſſet quantitas.

13 Secundo probatur eadem minor. Quia ſi aliquod corpus eſſet ſimul circunſcriptiue in duplici loco, haberet duplicem ſuperficiem non continuatam: nam talis duplex illius locus ſicut poteſt eſſe diſtans, poſſet etiam eſſe contiguus. Ergo corpus in vno tali loco circunſcriptiue exiſtens eſſet contiguum corpori in altero loco circunſcriptiue exiſtenti: quotieſcunque enim duo aliqua loca ſunt contigua, corpus circunſcriptiue in vno loco exiſtens debet eſse contiguum corpori in altero loco circunſcriptiue exiſtenti. Sed non poteſt corpus corpori eſse contiguũ, niſi ſit duplex ſuperficies non continuata: contigua enim ſunt, quorum vltima ſunt ſimul, ad differentiam continuorum, quorum vltima ſunt vnum. Ergo ſi corpus eſset in duplici loco, duplicem haberet ſuperficiem non continuatam ac perinde duplicem quantitatem.

14 Tertio denique, & præcipue probatur, quia ſi corpus eſset circunſcriptiue ſimul in duobus locis, haberet duplicem extenſionem in ordine ad locum. Ergo duplicem quantitatem. Antecedens præterquam quod communiter fere ab omnibus

bus authoribus oppoſitæ admittitur ſententiæ, probatur manifeſte: nam vt corpus ſit circunſcriptiue ſimul in duplici loco, debet habere duplex eſse in loco, & poſset vnum admittere abſque eo quod amittat, & alterum. Ergo cum eſse corporis in loco vt à principio intrinſeco ipſum locandi ab illius proueniat extenſione in ordine ad locum, vt corpus ſit ſimul in duplici loco, duplicem debet habere extenſionem in ordine ad locum.

Conſequentia autem probatur, quia extenſio corporis in ordine ad locum eſt effectus ſecundarius quantitatis. Sed licet poſito effectu primario alicuius formæ poſſit impediri, ne de facto ſequatur illius effectus ſecundarius, quia licet connaturaliter effectus ſecundarius ſequatur ad primarium, cum tamen hic ſit prior illo, ac perinde ab illo eſsentialiter non depẽdens, poteſt adhuc poſito effectu primario, miraculoſe ſequela, & conſecutio effectus ſecundarij impediri. Tamen cum poſterius eſsentialiter dependeat à priori, ac perinde effectus ſecundarius à primario, implicat iſtum multiplicari quin effectus multiplicetur primarius. Ergo ſi vt corpus exiſtat circunſcriptiue ſimul in duplici loco exigit neceſsario duplicem extenſionem in ordine ad locum, neceſsario etiam debet habere duplicem quantitatem.

15 Confirmatur primo, quia extenſio in ordine ad locum ſequitur per mod-

na-

naturalis reſultantiæ, & vt effectus ſecundarius ad extenſionem quantitatis in ordine ad ſe, in qua ratio quantitatis conſiſtit. Sed ad vnam quantitatem naturaliter, & per modum effectus ſecundarij vnica dũtaxat ſequitur extenſio in ordine ad locũ: alias à quantitate cuiuslibet corporis, ſi miraculoſe non impediretur, non vnica tantum, ſed multiplex de facto ſequeretur extenſio in ordine ad locum. Ergo impoſſibile eſt immultiplicata quantitate alicuius corporis, illius multiplicare extenſionem in ordine ad locum.

16 Confirmatur ſecundo: quia omnis alia extenſio corporis in ordine ad locum præter vnicã, quæ ad vnicam illius quantitatem naturaliter, & vt effectus illius ſecundarius conſequitur, vel cauſatur à ſolo Deo, vel ab ipſa quantitate, aut ab aliquo alio, media aliqua virtute diuinitus ei cõmunicata. Sed à nullo prædictorum cauſari poteſt. Ergo corporis vnicam tantum habentis quantitatem vnica tantũ poteſt eſſe extenſio in ordine ad locum. Minor probatur primo, quia de eſſentia extenſionis in ordine ad locum eſt, quod ſolum poſſit poni à parte rei per naturalẽ reſultantiam ad extenſionem in ordine ad ſe, & tanquam effectus formalis illius ſecundarius. Ergo nullatenus à ſolo Deo, nec ab aliquo alio virtute diuinitus ei ſuperaddita, & illi connaturali, poteſt cauſari: ſicuti quia de eſſentia cuiuslibet proprietatis eſt connaturaliter emanare à for-

ma,

ma, & vt terminus ſecundarius illius, nullam proprietatem alicuius naturæ poteſt Deus ſe ſolo producere, aut medio aliquo alio per virtutem ei ſuperadditam, & illi non connaturaliter debitam illam cauſare. §. Secundo probatur eadem minor, quia ſi à ſolo Deo, vel ab aliquo alio per virtutem ei ſuperadditam, abſque eo quod naturaliter emanaret ab alicuius corporis quantitate illius extenſio in ordine ad locum cauſaretur, etiam poſſet cauſari in corpore nullam habente quantitatem, & illud abſque quantitate poſſet eſſe circunſcriptiue in loco, quod manifeſte eſt falſum. §. Si dicas, quod licet in corpore poſſit extenſio eſſe in ordine ad locum ab illius quantitate non dimanans, ſed à ſolo Deo, vel ab alio miraculoſe producta; requiritur tamen in corpore quantitas, vt talem recipiat extenſionem in ordine ad locum, & ſic nullum corpus abſque quantitate poterit eſſe circunſcriptiue in loco. §. Contra id tamen facit, quia eſto id eſſet, tale corpus non eſſet in loco per quãtitatem, ſiquidem illa ſolum redderet capax tale corpus ad recipiendam extenſionem in ordine ad locum, ſicut ad recipiẽdum qualitatem corporalem, & non eſſet principium emanationis talis extenſionis in ordine ad locum, ac perinde non magis diceretur corpus eſſe in loco per quãtitatem, quam eſſe albus, per quantitatẽ, ſiquidem etiam vt recipiat albedinem, per quam eſt album, requirit quantitatem.

Di-

Dicendum igitur eſt, corpus non poſſe eſſe circunſcriptiue in loco, niſi per extenſionem in ordine ad locum ab illius quantitate per modum effectus ſecundarij dimanantem, & cum (vt oſtendimus) ab vnica corporis quantitate vnica tantum poſſit emanare illius extenſio in ordine ad locum, implicat corpus per duplicem extenſionem in ordine ad locum in duplici loco circunſcriptiue exiſtere, quin duplicem habeat quantitatem, ac perinde quin ſit duplex numero corpus.

17 Vltimo tandem probatur concluſio ex diuerſis inconuenientibus, quæ ex oppoſita videntur ſequi ſententia: ſequeretur enim ex illa, idem numero corpus poſſe eſſe ſimul ſurſum, & deorſum, vt ſi ſimul in loco ſurſum, & in loco deorſum; & licet authores oppoſiti non reputent inconueniens hæc, & huiuſmodi alia accidentia contraria, quæ corpori competunt reſpectiue ad locum, ſimul eidem corpori poſſe conuenire; id tamen proincōueníenti aduerſus oppoſitam ſententiam infert D.Thom. in prædicto artic.2. quodlib.3. in argumento, ſed contra: ſentitque perinde illud nullatenus eſſe admittendum. Sed & alia accidentia contraria ſequeretur ex oppoſita ſententia eidem corpori ſimul poſſe competere, vt quod eſſet ſimul intenſe calidum, & intenſe frigidum: ſi enim hic poneretur circa niuem, & alibi circa ignem, hic frigeſieret, ibi caleſieret. §. Nec valet dicere, quod ſolum agens ma-

maioris actiuitatis tunc in illud ageret.
§. Non, inquam, id valet, quia ignis v. g. tunc in vno loco tali corpori approximatus, & diſtans ab alio corpore frigido, etiamſi maiori actiuitatis, non eſſet, cur à tali corpore frigido multum à ſe diſtanti impediretur, vt ageret. Præterquam quod ſi agens calidum, & frigidum æqualiter tali corpori in diuerſis locis approximatum eſſet æqualis actiuitatis, vel vtrumq; in illud ageret, & ſic eſſet ſimul æqualiter intenſe calidum, & frigidum, vel neutrum ageret in illud, quod videtur impoſſibile. Similiter ſequeretur idem corpus moueri poſſe ſimul duobus motibus contrarijs; imò quod ſi per eandem lineam rectam talibus motibus moueretur, obiaret idem corpus ſibi ipſi, & per ſemetipsũ tranſiret.
§. Ac denique poſſet idem corpus ſimul eſse viuum, & mortuum, & in vno loco viuere, & in alio occidi, hic habere formã cadaueris, & alibi formam viuentis, quæ omnia pluſquam abſurda videntur, nec facile ab his, & alijs inconuenientibus oppoſita poteſt vindicari ſententia.

18 Obijcies primo, quod, vt quæſtione conceſſimus præcedenti, poſsunt duo corpora ſimul eſse in eodem loco. Ergo & vnum corpus ſimul in duobus locis.
§. Reſpondetur, quod ex hac paritate ſolum ſequitur, quod ſicut duo corpora inter ſe penetrata, & vtrumque per modũ vnius locati, & non aliter poſsunt eſse ſimul in eodem loco; ita etiam idem nu-
me-

mero corpus poteſt eſse ſimul in duobus, & pluribus locis inter ſe penetratis, & per modum vnius loci in ordine ad illud ſe habentibus, & ſolum negamus idem numero corpus poſse eſse ſimul in pluribus locis inter ſe non penetratis: adhoc enim requireretur in eodem numero corpore multiplicari effectum ſecundarium, extenſionem ſcilicet in ordine ad locum, non multiplicata in illo quantitate, & effectu illius primario, quod eſt omnino impoſſibile. Vt tamen duo corpora penetrata eſsent ſimul in eodem loco, vel vnum corpus eſset ſimul in duobus locis penetratis ſolum requiritur, quod in corporibus vel locis, quæ ſic penetrarentur, impediretur aliquis effectus ſecundarius quantitatis, expulſio videlicet vnius corporis quanti per aliud, in quo nulla inuoluitur implicatio.

19 Obijcies ſecundo, difficilius eſse, quod idem numero corpus ſit ſimul circũſcriptiue in vno loco, & in alio inextenſe, & indiuiſibiliter præſens, quam quod ſit ſimul in duobus locis circunſcriptiue. Sed primũ diuinitus eſt factum: corpus enim Chriſti circunſcriptiue exiſtens in cœlo eſt ſimul indiuiſibiliter, & inextenſe ſub ſpeciebus ſacramentalibus in Euchariſtia. Ergo & ſecundum poteſt etiam diuinitus fieri. Maior probatur; quia difficilius eſt idem corpori competere ſimul cum modo exiſtendi ei connaturali alium modum non connaturalem exiſtendi, quam quod

duo

duo modi connaturales exiſtendi ei ſimul competant. Sed ſi exiſteret idem corpus ſimul in duobus locis circunſcriptiue, competeret ei ſimul duplex modus ei connaturalis exiſtendi, exiſtere autem indiuiſibiliter, & inextenſe, non eſt modus naturalis exiſtendi corporis. Ergo difficilius eſt, quod hoc modo, & modo connaturali ſimul aliquod corpus exiſtat, quamquod exiſtat ſimul in duobus locis circunſcriptiue.

Reſpondetur negando maiorem: quia vt idem corpus exiſtens in vno loco circūſcriptiue alibi indiuiſibiliter exiſtat, non requiritur multiplicatio effectus ſecundarij abſque multiplicatione primarij, quæ cum ſit impoſſibilis, & requiratur, vt idem numero corpus ſimul in duobus locis circunſcriptiue exiſtat, hoc eſt impoſſibile, illud vero non. Et quamuis corpori ſit naturale exiſtere in loco circunſcriptiue, eidem tamē corpori exiſtere ſimul in pluribus locis circunſcriptiue non eſt naturale, ſed repugnans.

20 Obijcies tertio, quod corpus Chriſti in cęlo circunſcriptiue exiſtens ſimul aliquando alibi etiam circunſcriptiue exiſtens apparauit, vt Paulo apparuit in via: nec enim poteſt dici, quod talis apparitio non fuit veri corporis Chriſti, cum fuerit facta, vt Paulus fieret teſtis reſurrectionis eius, nec quod corpus Chriſti tunc deſinit eſſe circunſcriptiue in cælo: cum ingreſſus Chriſti in illud fuerit, vt inde non recedat

cedat vſque ad diem iudicij, iuxta illud Actorum 3. *Quem opportet cælum ſuſcipere vſque ad tempus reſtitutionis omnium.*

Reſpondetur, quod vt Chriſtus vere & corporaliter appareret Paulo, etſi alia facta eſt, vel facienda vera Chriſti corporalis apparitio in terris opportet, quod tunc deſinat eſſe circunſcriptiue in cælis, neque id obſtat perpetuæ illius vſque ad diem iudicii in cælis manſioni, quia ad id ſufficit, quod nunquam permanenter, & non pro breuiſſima mora à cælis corporaliter abſit. Et ſic eſt intelligendum teſtimonium actorum adductum.

21 Obijcies quarto, quod ſicut de facto ſola ſubſtantia panis in ſubſtantiam corporis Chriſti fuit conuerſa, poſſet conuerti etiam quantitas panis in quantitatem corporis Chriſti, & tunc in duplici loco circunſcriptiue Chriſtus maneret, in cælo videlicet, & in Sacramento: ibi enim eſſet tunc corpus Chriſti ſub aliquo viſibili, & non ſub quantitate panis, vtpote deſtructa, & in quantitatem Chriſti conuerſa. Ergo eſſet ſenſibilis per propriam ſuam quantitatem, in quam quantitas panis eſſet conuerſa: ac perinde exiſteret ibi corpus Chriſti circunſcriptiue.

Reſpondetur, quod quamuis poſſet fieri talis conuerſio non ſolum ſubſtantiæ, ſed & quantitatis panis in ſubſtantiam, & quãtitatem corporis Chriſti, & tunc Chriſtus vnicam tantum haberet quantitatem, vt aduertit D. Thomas in allegato art. 2.

quodlibeti tertij quia quantitas panis vtpote conuerſa in quantitatem corporis Chriſti non maneret, ſed ſola quantitas corporis Chriſti; ſi tamen illa maneret ibi extenſa in ordine ad locum, & Chriſtus circunſcriptiue per illam in loco exiſtens; præterquam quod non eſſet modo ſacramentali, vt eum modum eſſendi ibi haberet, opporteret neceſſario, quod tunc deſineret eſſe circunſcriptiue in cælo, imò non poſſet ſic in diuerſis locis diuerſa ſubſtantia, & quantitas panis ſimul in ſubſtantiam, & quantitatem corporis Chriſti conuerti.

QVAESTIO VII.

Vtrum poſsit dari vacuum.

VAcuum eſt duplex, negatiuum ſcilicet, & priuatiuum. Negatiuum eſt ſpacium imaginarium, quod cum nihil reale ſit, neque aliquo corpore repletur, nec capax eſt illud continere, vt ſpacium imaginarium, quod conſideramus poſt omnes cælos, & ſpacium imaginarium, quod intelligimus fuiſſe ante mundi conditionem: id enim dicitur vacuum negatiue, quatenus nec repletur aliquo corpore, nec poteſt illo repleri; & vacuum hoc modo certum eſt, quod aliquando fuit, & modo eſt vltra omnes cælos. Vacuum autem priuatiuum eſt locus non repletus

cor-

corpore, nec opportet huic definitioni addere aliam particulam quod videlicet ſit locus aptus corpore repleri, quia id includitur in eo, quod vacuum ſit locus: omnis enim locus eſt capax continere corpus, & ab illo repleri. Inquirimus ergo: an vacuum huiuſmodi priuatiuum poſſit à parte rei reperiri.

2 Dico primo. Supernaturaliter de potentia Dei abſoluta bene poteſt dari vacuum: concluſio eſt communis, & patet: quia Deus poteſt anihilare totum elementum ignis v.g. & ſuſpendere concurſum, vt aer, ad replendum locum, vbi erat ignis, aſcendat, imò etſi Deus ad id non ſuſpenderet ccõurſum, non poſſet in inſtanti anihilationis ignis aer per motum localem aſcendere, vt repleret totum ſpacium, vbi erat ignis. Neceſſario igitur tunc pro aliqua morula daretur vacuum, & ſuperficies concaua lunæ eſſet locus non repletus corpore: neque eſt aliqua implicatio, vt Deus corpora intermedia diſtruendo, loca in quibus continebantur, conſeruet, & tunc talia loca eſſent vacua.

3 Dico ſecundo. Naturaliter non poteſt dari vacuum à parte rei. Concluſionem cum Ariſtotele, & communi ſententia docet noſter Author in hoc libro, quæſt.3. art.1.& probatur. Primo contra debitum ordinem, & commune bonum totius vniuerſi corporei eſt, quod in corporibus detur vacuum. Illud ergo naturaliter non poteſt dari: non enim poteſt eſſe

aliqua virtus naturalis ad immutandum totum ordinem vniuerſi. Antecedens probatur: quia ad debitum ordinem, & commune bonum vniuerſi corporei pertinet, quod omnes illius partes ſint contiguæ. Sed non omnes eſſent contiguæ, ſi in corporibus daretur vacuum. Ergo illud contrariatur debitæ diſpoſitioni, & ordini, ac communi bono totius vniuerſi. Maior probatur. Tum, quia ſicut debitus ordo, & diſpoſitio cuiuslibet particularis corporis eſt, quod omnes illius partes ſint continuæ: ita & debitus ordo totius vniuerſi eſt, quod vt vnum vniuerſum conſtituant, omnes illius partes ſint contiguæ. Tum, vel maxime, quia ad conſeruationem totius vniuerſi pertinet, vt corpora ſublunaria accipiant à cæleſtibus corporibus influentiam, & quod corpora omnia cæleſtia, vt in hæc inferiora influant, ad motum primi mobilis reguraliſſime moueantur. Sed requiritur, quod omnes ſphæræ cæleſtes ſint contiguæ, & vna ab altera contineatur, vt ſic ad motum primæ ſphæræ omnes aliæ moueantur. Similiter etiam vt corpora cæleſtia influant in omnia corpora ſublunaria, requiritur, quod hæc ſint cum vltimo corpore cæleſti, & inter ſe contigua: nullum enim agens corporeum poteſt agere in diſtans, niſi eius virtus recipiatur in corpore intermedio: ac perinde vt cælum in omnia corpora ſublunaria influat, debet aliquod illorum eſſe contiguum cum vltima ſphæra, & omnia contigua inter ſe.

4 Nec

4 Nec valet dicere, quod licet ſi daretur vacuum, influxus cælorum non poſſet ad omnia corpora ſublunaria quaſi per motum rectum deſcendere, quia ſiſteret ibi, vbi eſſet vacuum; poſſet tamen ad corpus exiſtens poſt vacuum motu obliquo per corpora vacuum circunſtantia deſcendere. §. Non, inquam, id valet, quia cum influxus cælorum ſit naturalis, non debet per eas circulationes ad corpora deſcendere, ſed in corpore, cui alterum non eſſet contiguum, eius ceſſaret virtus, nec ad aliud corpus non contiguum deſcenderet. Nec Ariſtoteles in corpora non contigua influxum cælorum per huiuſmodi ambages poſsibilem agnouit, cum 1. Metheororum dicit, quod opportet mũdum hunc inferiorem contiguum eſſe lationibus ſuperioribus, vt inde regatur, & guuernetur, alioquin cæleſtes influentias non reciperet. Et ſaltem hac ratione conuincitur, non poſſe inter aliqua corpora ita dari vacuum, vt illa ex nulla parte ſint contigua.

5 Secundo à poſteriori probatur concluſio: quia experientia conſtat, corpora grauia contra quamlibet agentis extrinſeci reſiſtentiam, & (quod magis eſt) contra propriam particularem naturalem inclinationem ſurſum aſcendere, & deorſum non deſcendere, ne detur vacuum; vt patet in fiſtula aere plena, & aquæ contigua, quod si ab illa aer trahatur, ſtatim aſcendit aqua, & in clepſydra, cuius si ſupe-

rius orificium claudatur, vt per illud aer ingredi nequeat, aqua quamuis tot habeat, deorſum foramina, per illa nullatenus deſcendit. Similiter si claudatur orificium follium, vt per illud aer non poſſit ingredi, nulla vi ſeparari poterunt, priuſque rumpentur quam ſeparentur, & totum hoc ne detur vacuum. Signum igitur eſt, quod cum sic illud natura aborreat, & ad illud vitandum quælibet res ſuæ particularis obliuiſcatur naturalis inclinationis, naturaliter non poſſet dari.

6 Hinc eſt, quod non ſolum virtute naturali alicuius corporis, ſed nec virtute naturali alicuius Angeli poteſt fieri, quod detur in corporibus vacuum, quia cum illud abſque miraculo dari nequeat, & vt Deo dante in commentarijs ad 3. partem Diu. Thomæ circa quæſt. 13. oſtendemus, nullius creaturæ virtute naturali miracula poſſint patrari, nullus Angelus virtute naturali poteſt efficere, quod in corporibus detur vacuum. Idque etiam deducitur ex doctrina Diu. Thomæ de malo, quæſtion. 16. art. 10. ad vltimum, vbi agens de virtute naturali Dæmonum (quæ non eſt minor virtute aliorum Angelorum, quia naturalia etiam poſt peccatum integra permanſerunt in Dæmone) ait Sanctus Doctor. *Licet Dæmones poſſint mouere aliquam partem terræ, non ſequitur, quod poſſint mouere totam terram, quia hoc non eſt proportionatum naturæ ipſorum, vt mutent ordinem elementorum mundi.* Ergo cum va-

vacuum, vt oſtendimus ſit contra totum ordinem vniuerſi, ex hac doctrina Diu. Thomæ ſequitur, nullius Angeli virtute naturali poſſe fieri, quod in corporibus detur vacuum.

7 Obijcies primo, quod ſi vacuum non eſſet, non eſſet poſſibilis motus localis corporum; aut vt ille eſſet, deberet vnum corpus cum alio penetrari. Neutrum horum naturaliter poteſt admitti. Ergo neceſſario naturaliter debet dari vacuum: ſequela probatur, quia ſi omne ſpacium, per quod alicuius corporis deberet fieri motus localis, eſſet altero corpore repletũ, vel illud tale corpus reſiſteret, & omnino impediret motum alterius, vel vt moueretur, deberet corpus mobile cum alio corpore exiſtente in illo ſpacio penetrari. §. Nec valet dicere cum Ariſtotele hic text.62. & 84. motum localem fieri per id quod partes aeris, vel aquæ aliæ condenſentur, aliæ rarefiant, vt ſic abſque deſtructione corporis præexiſtentis in aliquo ſpacio, aut penetratione cum illo aliud corpus per idem ſpacium moueatur. §. Nõ, inquam, id valet, quia cum magna deſcendit è nubibus pluuia, non videntur partes aeris ita poſſe condenſari, vt abſq; penetratione cum illis poſſit tanta aqua deſcendere.

Reſpondetur cum noſtro Authore hic quæſt.3. in reſponſione ad 3. ſolutionem datam eſſe optimam, nec illi replicam factam obſtare, quia cum aer maximam

habeat raritatem; multum poteſt condenſari, vt abſque deſtructione illius aut penetratione cum illo maxima quãtitas aquæ è nubibus poſſet deſcendere.

8 Obijcies ſecundo, quod datis duabus magnis tabulis perfectiſſime planis, & ita omnino contiguis, vt nullus inter illas mediet aer, aut aliud corpus, tunc ſi per trabem ad medium vnius tabulæ illa ſubito ab homine, vel ab Angelo æqualiter eleuetur, non poterit in inſtanti, vel in tam parua morula eleuationis tantus aer ingredi, vt pro parua illa morula non detur vacuum in ſpacio, quod relinquetur inter illas duas tabulas ſic ſeparatas. Ergo cum omnia hæc naturaliter poſſint contingere, naturaliter poteſt dari vacuum.

Reſpondetur, quod datis duabus tabulis ſic perfecte planis (quod eſt ſatis difficile) & quod non paulis per aliquod illarum latus vna ab altera, ſed æqualiter intendatur ſeparari, id erit omnino impoſſibile, ſed ad eleuationem vnius tabulæ altera, ac ſi eſſet illi continuata, ne detur vacuum, ſimul éleuabitur: nec hoc eſt difficile creditu, cum videamus, alia perfecte plana non niſi cum magna violentia à corpore, ſuper quod ſunt, poſſe ſeparari, & ea violentia, & retardatio ſeparationis eſt, vt detur locus per latera talium corporum ad aeris ingreſſum, ne inter talia corpora detur vacuum. Ergo cum ob perfectam corporum, quæ ſunt cuntigua, planiciem, non eſt locus vt ſuf-

ſi-

ſiciens aer ad replendum ſpacium inter talia corpora, ſi ſeparentur ſubito, poſſit ingredi, non poterunt vlla naturali vi ſubito ſeparari. Et hoc eſt à poſteriori maximum argumentum, quod naturaliter non poteſt dari vacuum.

9 Obijcies tertio, quod dato aliquo vaſe æneo perfecte ſphærico, vndequaque cum æquali groſitie,& duritie pleno aqua, & abſque aliquo prorſus foramine, per quod poſſit ingredi aer, ſi vndique æqualiter circundetur niue: tunc aqua in illo exiſtens æqualiter per omnes ſuas partes congelabitur, & condenſabitur, atque in ſpacio, quod per condenſationem relinquet, cum non poſſit ingredi aer,nec aliud corpus, dabitur vacuum. Ergo cum hæc omnia naturaliter poſſent contingere, naturaliter poteſt dari vacuum. Nec valet dicere,quod in tali caſu,ne detur vacuum, vas quantumuis ſit durum, & magnam habeat groſitiem, frangetur. Non, inquam, id valet, quia illud non poteſt per fractionem diuidi in omnem ſuam partem: alias diuideretur in indiuiſibilia; ac perinde fuiſſet compoſitum ex indiuiſibilibus, quod infra oſtendemus eſſe impoſſibile; nec eſt maior ratio, quare in has, quam in alias partes diuidatur, cum æqualem ſecundum omnes ſupponamus habere groſitiem, & æqualiter ſecundum omnes ſuas partes aqua congeletur,& condenſetur. Ergo nullatenus vas frangetur, aut diuidetur.

Reſpondetur ad argumentum, ſolutionem datam eſſe optimam: experientia enim videmus ad congelationem aquæ in vaſe non habente per quod aer in eo ingrediatur, illud frangi per illam partem, per quam aqua incipit congelari, vel per illam partem vaſis, quæ minorem habet duritiem aut groſitiem. Si autem reducamur ad anguſtias hypotheſis argumenti (quæ non facile poteſt contigere) adhuc eſt dicendum, quod tunc tale vas frangetur, non quidem in omnem ſuam partem, ſed vel ad authorem naturæ pertinebit deſignare per quas partes minutiſſimas frangatur, vel talis determinatio ex determinata, & indiuiduali actione in tali numero tempore, & tali numero agente prouenièt.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum corpus poſsit moueri per vacuum?

CVm, vt quæſtione præcedenti vidimus, ſupernaturaliter poſſit dari vacuum tam negatiuum, deſtruendo videlicet Deus omne corpus & locum; quam priuatiuum, relinquendo videlicet aliquem locum, qui nullum corpus contineat, nec ab illo repleatur; in ea ſuppoſitione conditionaliter inquirimus; an ſi Deus

Deus in vacuo, vbi nullus prorſus eſt locus, ſed ſpacium imaginatium, produceret aliquod corpus, illud poſſet in tali vacuo moueri. Et ſimiliter ſi inter corpora, quæ modo ſunt vniuerſi Deus aliqua relinquens, inter media deſtrueret, in illo vacuo, quod inter talia corpora eſſet, poſſet aliquod corpus moueri, vt deſtructis elementis ignis, aquæ & aeris, ſi poneretur aliqua pars terræ, vel aquæ in concauo lunæ, poſſet per vacuum, quod eſſet tunc inter vacuum lunæ, & terram vſque ad ipſam terram moueri.

2 Reſolutorie eſt dicendum, per vtrumque tale vacuum poſſe aliquod corpus moueri. Oppoſitum aliqui tenent. Sed concluſio eſt communis, & probatur primo ex D. Thoma 3. part. quæſt. 57. art. 4. ad 2. vbi docet, corpus Chriſti glorioſum aſcendiſſe ſupra omnes cœlos, & eſſe extra omnem continentiam cœlorum. Sed ſuper omnes cælos aſcendere non potuit, niſi per motum corporis. Ergo Chriſtus in illo ſpacio imaginario, quod ſupra cælos conſideramus, & quod eſt vacuum negatiue verum habuit motum, & à fortiori illum poteſt habere quodlibet aliud corpus in vacuo priuatiue, tranſeundo de loco ad locum per vacuum intermedium inter duo talia loca, cum in tali motu, vt videbimus, facilius ſit aſſignare *vbi*, quod tale corpus per motum acquirat.

3 Aduertendum tamen eſt, quod ſi corpus ponatur in vacuo negatiuo, vltra

quod non ſit aliud corpus vel locus: tunc tale corpus non poſſet moueri motu naturali, quia non eſſet illi magis naturale quieſcere in nulla parte imaginaria, quam in alia, cum omnes eſſent eiuſdem rationis. Neque etiam eſſet illi tunc violentus aliquis motus, quia non eſſet contra illius inclinationem naturalem quieſcendi magis in vna parte imaginaria talis ſpacij, quam in alia, ſed poſſet moueri motu quaſi progreſſiuo ad ſui voluntatem, vel illius, qui illud moueret. Si autem corpus moueretur per vacuum exiſtens inter alia corpora, tunc poſſet in tali vacuo moueri motu naturali, vel violento, vt lapis exiſtens in concauo lunæ, deſtructis corporibus intermediis vſq; ad terram; naturali motu per illud vacuum deſcenderet ad terrã, quia eius grauitas eſſet pondus, & inclinatio in terram, & lapis tunc exiſtẽs inter à motu violento proijciẽtis contra inclinationem talis lapidis, poſſet per tale vacuum moueri.

4 Obijcies primo, quod omne corpus corruptibile ſicut in ſuo eſſe dependet à cælorum influentia, ſic in operari, & moueri. Sed ſi aliquod corpus conſtitueretur in vacuo, non poſſet in illud cælum influere (vt quæſtione præcedenti dicebamus) ergo nõ poſſet illud in vacuo moueri.

5 Reſp. quod præterquam quod corpus glorioſum; vt modo corpus Chriſti ſuper omnes cælos exiſtens ſicut non dependet ab influxu cælorum in eſſe, ita nec in operari, & moueri: ac perinde illud ſaltem nõ

de-

definet ex defectu influentię cælorum moueri. Præter hoc etiam corpus in ſtatu corruptionis exiſtens licet ſi in vacuo cōſtitueretur, non poſſet recipere influxum cælorum, ſicut poſſet Deus talem cælorū influxum ad eſſe prædicti corporis, vt in vacuo conſeruaretur, ſupplere, ita etiam poſſet eundem cælorum influxum ſupplere, vt in vacuo moueretur.

5 Obijcies ſecundo, quod per motum localem corpus acquirit *vbi*. Sed non poſſet corpus in vacuo acquirere *vbi*: ergo non poſſet moueri in vacuo. Maior patet, quia per motum localem acquirit corpus nouam præſentiam nouamque diſtantiam ad polos mundi veros, vel imaginarios: ergo debet acquirere aliquod *vbi*. Minor vero probatur quia *vbi* eſt circunſcriptio paſſiua corporis ex circunſcriptione actiua loci proueniens. Sed in vacuo, cū nullus eſſet locus actiue circunſcribens, nulla poteſt eſſe circunſcriptio paſſiua corporis ex circunſcriptione actiua loci proueniens. Ergo corpus in vacuo exiſtens nullum poteſt acquirere vbi.

6. Confirmatur nam D.Thom. 1.p.q.110. art.3. ait, *quod mobile ſecundum locum non eſt, in potentia ad aliquid intrinſecum in quantum huiuſmodi. ſed aliquid extrinſecum, ſcilicet locum*. Sed corpus exiſtens in vacuo non eſt in potentia ad aliquem locum ergo vt ſic non eſt mobile localiter.

Reſpondetur ad argumentum, quod licet

eſset ſurſum, nec deorſum, cum id non poſſit competere motui, niſi in ordine ad aliquem terminum, qualis nullus eſset in vacuo: ergo motus corporis in vacuo in nulla eſset determinata ſpecie motus.

Reſpondetur, quod præter quam, quod ſi motus corporis eſset in vacuo inter alia corpora vniuerſi intercedenti, vt ſi vacuū eſset inter concauum lunæ, & terram, motus corporis in tali vacuo, ſi per illum magis approximaretur concauo lunæ eſſet motus ſurſum; ſi autem per illū magis approximaretur terræ, eſset motus deorſū. Si tamen aliquod corpus in vacuo negatiue moueratur, talis motus illius (vt probat argumentum) nec eſset ſurſum, nec deorſum: iſtæ enim non ſunt differentiæ motus qui fit inter corpora vniuerſi, quorum cum aliqua ex ſua natura inferiorem, alia ſuperiorem locum obtineant, quod per motum approximatur corporibus ſuperioribus, mouetur ſurſum, quod vero approximatur corporibus inferioribus, mouetur deorſum; eſſent tamen in motu, quod fieret in omnimode vacuo aliæ differentiæ, & ſpecies motus, vt motus circularis, & rectus; in quarum aliqua determinata ſpecie quilibet talis motus in particulari conſtitueretur.

7 Obijcies quarto, quod ſi corpus moueretur per vacuum, eo ipſo quod moueretur ipſum mobile faceret vacuum, eo ipſo quod moueretur ipſum mobile faceret vacuum. Sed, vt quæſtione præcedenti oſten-

oſtendimus, nullum corpus poteſt facere vacuum. Nullum igitur corpus poteſt in vacuo moueri. Maior probatur, quia dum in vacuo aliquod producitur corpus eo ipſo illud ſpacium in quo eſt, iam non eſt vacuum, ſiquidem ab ipſo corpore repletur. Et eo ipſo, quod tale corpus moueretur, deſineret replere illud ſpacium, & aliud ſpacium repleret. Ergo ſpecium quod prius tale corpus replebat, per ſui motum faceret vacuum.

Reſpondetur negando maiorem: alias nullum corpus conſtitueretur in vacuo, nec moueretur in vacuo, quia ſi eo ipſo quod exiſteret in aliquo ſpacio corpus faceret tale ſpacium non vacuum, cum moueretur de vno ſpacio in aliud, etiam illud ſpacium, ad quod moueretur, faceret non vacuum, & ſic nunquam corpus exiſteret in vacuo, aut moueretur in vacuo, nullusque huic quæſtioni relinqueretur locus. Dicendum igitur eſt, quod corpus exiſtens vbi nullus eſt locus extrinſecus ipſum ambiens & continens eſt in vacuo, imò in vacuo negatiue. Vnde cum ex illo ſpacio imaginario ad aliud ſpaciũ eiuſdem vacui moueretur tale corpus, non faceret de nouo aliquod vacuum, ſed id quod antea erat vacuum, quia non erat locus, nec capax continendi, & circunſcribendi aliquod corpus, eodem modo vacuum relinqueret.

QVA-

QVÆSTIO IX.

Vtrum ſi corpus moueretur in vacuo, moueretur in inſtanti?

PArtem affirmatiuam tenet Auerroes, & alij exiſtimantes omnem ſucceſſionem, & retardationem motus ſolum à reſiſtentia corporis exiſtentis in ſpacio, ſuper quod fit motus, prouenire. Vnde cũ in vacuo nullum fit aliud corpus reſiſtere potens motus corporis, quod conſtitueretur in illo, exiſtimabant corpus in vacuo non ſucceſſiue, ſed in inſtanti moueri.

2 Dicendum tamen eſt cum D. Thoma hic lect. 12. & cum noſtro Authore hic quæſt.3. art.2. & communi ſententia, quod ſi corpus moueretur in vacuo, non in inſtanti, ſed ſucceſſiue, & in tempore moueretur. Probatur autem primo concluſio, quia ſucceſſio, & prioritas, & poſterioritas partium motus, ſecundum quã motus non poteſt fieri in inſtanti, ſed in tempore, licet poſſit augeri ex reſiſtentia alterius corporis exiſtentis in ſpacio, ſuper quod fit motus, non ſolum ab huiuſmodi reſiſtentia, ſed ex alijs capitibus, quæ etiam permanent in motu corporis, quod moueretur per vacuum; poteſt prouenire,

re, quia ad motum cæli nulla eſt reſiſtentia alterius corporis; & tamen talis motus non fit in inſtanti, ſed ſucceſſiue. Nec valet dicere, quod ſucceſsio motus cæli prouenit ex voluntate intelligentiæ cælũ mouentis. Non enim id valet, quia intelligentia ſumma mouet cælum velocitate, qua ipſum cælum eſt mobile, nec poſſet illud moueri in inſtanti. Et propterea ſunt alia capita, ex quibus ſucceſſio motus poteſt prouenire, ſcilicet virtus mouẽtis: ſi enim daretur vacuum inter cælum, & terram, & aliquud corpus in concauo lunæ conſtitueretur, quanto illud eſſet grauius, maiori velocitate, etiam per vacuum deſcenderet in terram, quam aliud corpus minus grauo.

3 Secundo probatur concluſio: ſi eſſet vacuum inter concauum lunæ, & terram, & ponatur in vacuo lunæ corpus v. gr. tripedale, illudque per tale vacuum moueretur, vſque ad terram, non poſſet ſuperior illius pedalitas peruenire ad locum, vel ſpacium imaginarium illius vacui, ad quem peruenit infima pedalitas, priuſquam perueniret ad ſpacinm intermedium pedalitatis. Ergo in motu talis corporis daretur ſucceſſio prius, & poſterius: ac perinde ille non eſſet in inſtanti. §. Confirmatur: nam ſi columna recta deſcenderet per vacuum à concauo lunæ vſque ad terram, infima pars illius columnæ tangeret terram, & non tangeret illam ſuperior pars illius columnæ recta

per-

permaneus. Ergò ſi vacuum illud vlterius protraheretur, prius ad aliquod ſpacium illius vacui perueniret infima pars illius columnæ, quam ſuperior. Ergo talis motus per vacuum non potuit eſſe in inſtanti alias ſimul omnes partes columnæ ad eundem terminum perueniſſent.

4 Tertio probatur concluſio, nam ſi à concauo lunæ vſque ad terram eſſet columna fixa, & totum ſpacium circunſtanś eſſet vacuum, & proxime circa columnã deſcenderet corpus aliquod tripedale: prius illud eſſet coextẽſum aliquibus partibus columnæ, tribus videlicet prioribus illius pedalitatibus, quam reliquis ipſius columnæ partibus, nec ſimul & in eodem inſtanti poſſet tale corpus eſſe coextenſum, & æque approximatum omnibus partibus illius columnæ, ſed prius approximaretur prioribus illius partibus deinde ſequentibus, & ſic ſucceſſiue alijs. Ergo cum talis ſucceſſiua approximatio corporis ad columnam immotam fiat per motum ipſius corporis in vacuo, talis illius motus non in inſtanti, ſed ſucceſſiue fieret. Antecedens patet: nam impoſſibile eſt, quod corpus longe minoris quantitatis ſit ſimul & in eodem inſtanti coextẽſum, & approximatum omnibus partibus corporis longe maioris quantitatis.

5 Obijcies primo. Quod Ariſtoteles, cap.8. huius libri ait, quod qualis eſt proportiò intergroſitiem & reſiſtẽtiám vnius medij ad groſitiem,& reſiſtentiam alterius æqua-

æqualis longitudinis, talis eſt proportio temporis, quo vnum mobile pertranſibit vnum ſpacium, ad tempus quo idem mobile pertranſibit alterum, & ſubdit, quod cum in vacuo nulla ſit reſiſtentia id quod mouetur per vacuum, exuperauit omnem proportionem ad id, quod mouetur per plenum, & per conſequens in non tempore mouebitur. §. Confirmatur ex eodem Ariſtotele text. 72. quia dato oppoſitó, ſcilicet quod mobile per vacuum moueretur in certo tempore, ſequitur impoſsibile, quod idem mobile poterit pertranſire ſpacium plenum in tanto tempore quanto pertranſit vacuum: nam ſi tempus conſumptum in vacuo eſt ſubduplum ad tempus conſumptum in pleno ſpácio, poterit ſignari aliud ſpacium in duplo ſubtilius, ac minus reſiſtens, quam alterum, quod idem mobile tranſibit in ſubduplo tempóre, atque ad eò in tanto, in quanto per tranſiuit vacuum.

Ad hoc argumentum, quod eiſdem fere verbis proponit noſter Author hic q. 3. art. 2. reſpondet ipſe Ss. Magiſter, quod Ariſtoteles non probat abſolute motum corporis in vacuo fore in inſtanti, ſed aduerſus aliquos antiquos exiſtimantes totã ſucceſſionem motus deſumi ex reſiſtentia alterius corporis: abſolute tamen eſt dicendum, quod omni ſublata reſiſtentia alterius corporis, qualis non eſſet in vacuo adhuc corpus in vacuo non moueretur in inſtanti, quia ex alijs capitibus (vt oſten-
di-

dimus) ſucceſsio motus poteſt prouenire
§. Ad confirmationem reſpondetur, quod cum conſumptio temporis in motu non ſolum proueniat à reſiſtentia alterius corporis; ſed à virtute motiua, bene poteſt tantum temporis conſumi in motu vnius mobilis per vacuum, & motu alterius per plenum, ſi talia mobilia ſint inæqualis virtutis motiuæ, vt ſi in vacuo moueatur lana, & per plenum moueatur ferrum. Si tamen mobile ſit idem, & æqualis virtutis motiuæ, ſemper velocius mouebitur per vacuum, quam per plenum, quia in pleno corpus quantumuis ſubtile aliqualiter reſiſtet, & magis retardabit motus eiuſdem mobilis, quam in vacuo retardaretur.

6 Obijcies ſecundo, quia ideò Sol diffundit lumen per aliquod ſpacium in inſtanti, quia nullam inuenit reſiſtentiam contrarij. Ergo ſimiliter mobile totum in inſtanti per motum percurret ſpacium, vbi nullam alterius corporis inuenit reſiſtentiam, quam cum non inueniat in vacuo, ſi in illo moueatur, in inſtanti mouebitur.

Reſpondetur negando conſequentiam, quia ad introductionem qualitatis ſolum reſiſtentiam poteſt facere illius contrariū, & cum nullum ſit luci contrarium, quod eius diffuſioni, aut introductioni reſiſtat, poteſt in inſtanti diffundi, ad motum autem localem ipſa magnitudo, & extenſio mobilis, etiam ſi nulla adſit reſiſtentia

al-

alterius corporis, ſufficiet, vt non poſſit eſſe in inſtanti. Vnde corpus quantum, & extenſum ſi moueretur in vacuo, non in inſtanti, ſed in tempore ſucceſſiue moueretur.

QVÆSTIO X.

Vtrum tempus ſit aliquid reale à mobili, & motu diſtinctum?

VT tempus cognitu difficile explicem, vt omnibus certum ſuppono illius nomine communiter intelligi durationem rerum ſecundum illarum mutationem, & ſucceſſionem: Vnde aliquando ſumitur tempus pro duratione intrinſeca cuiuſcũque motus, vt docet D.Thomas in 2.diſt. 12. artic.3. ad 3. Proprius tamen, & ſtrictius accipitur pro duratione motus magis vniformis, & regularis qualis eſt motus primi mobilis, quia per talem illius durationem intrinſece motus illius primi mobilis menſuratur, extrinſece autem omnes alij motus.

2 Vt certum etiam ſuppono vere eſſe tempus, ſiquidem res generabiles, & corruptibiles menſuram aliquam habent ſuæ durationis, media qua cognoſcatur, quãta ſit illarum duratio, & quod aliquæ lõgiorem habent durationem, quam aliæ, & quod vnus motus eſt velocior alio.

3 Dico primo. Nec prima ſphæra, nec aliud corpus mobile eſt tempus. Opporſi-

poſitum tenent aliqui, quos refert noſter Author hic quæſt.4. Sed concluſio cum eodem noſtro Authore eſt communis, & probatur. Tum ex Philoſopho hic text. 94. aſſerente, quod dicere: ſphæram eſſe tempus, ſtultius eſt, quam vt de eo impoſſibilia conſideremus. Tum etiam, quia res in ſphæra, vel aliquo corpore ſunt tāquam in loco: in tempore vero ſunt, tanquam in menſura durationis illarum motus. Sphæra igitur, vel aliquod aliud corpus non eſt tempus. Tum denique, quia ſphæra, & quodlibet aliud corpus mobile eſt res permanens, & omnes partes illius ſunt ſimul; tempus autem eſt res ſucceſſiua non habens partes ſimul, ſed ſucceſſiue tranſeuntes alias in eadem menſura temporis eſſet ſimul hæc mea præſens locutio & externa, quod manifeſte eſt falſum. Ergo neque ſphæra, neque aliud corpus mobile eſt tempus.

4 Dico ſecundo. Tempus à quolibet motu inferiorum, cuius eſt extrinſeca menſura, diſtinguitur realiter entitatiue, non vero à motu primi mobilis, cuius eſt intrinſeca duratio, & menſura: ab illo tamen diſtinguitur realiter formaliter. Prima pars concluſionis eſt manifeſta, quia cum tempus, quod extrinſece menſurat, & regulat omnes motus inferiores, ſit ſubiectiue in primo mobili, ſicut & illius motus, non poteſt identificari realiter cum aliquo motu aliorum corporum in ipſis corporibus intrinſece recepto, cum nullū

ali

aliquod idem entitatiue accidens poſſit eſſe in ſubiectis realiter entitatiue diſtinctis. §. Confirmatur, quia contingit, duos aliquos motus corporum inferiorum eſſe æquales, & tempus quo extrinſece menſurantur, eſſe inæquale; & è contra ipſos motus eſſe inæquales, & tempus quo extrinſece menſurantur, eſſe æquales. Tempus igitur extrinſece menſurans tales motus, realiter diſtinguitur ab illis. Antecedens probatur: nam ſi in eodem ſpacio moueatur duplex mobile, vnum duplo velocius altero, vtriuſque motus æqualem habebit extenſionem partium, vtpote cōmenſuratam, & coextenſam eidem extenſioni ſpacij: inæquali tamen tempore quilibet talis extrinſece menſurabitur motus, vnumque mobile in tempore dimidiæ horæ totum tale ſpacium ſuo motu tranſibit. Et è contra, ſi per ſpacium vnius leucæ in tempore vnius horæ aliquod mobile moueatur, & aliud duplo velocius in tempore etiam vnius horæ ſpacium duarum leucarum ſuo motu pertranſeat, tempus extrinſece menſurans tales motus erit æquale, & extenſio ipſorum motuum, vtpote inæquali extenſioni ſpacio coextenſa erit inæqualis.

§ Secunda pars concluſionis, quæ eſt tertia concluſio noſtri Authoris hic in prædicta quæſtion. 4. probatur. Quia tempus intrinſece menſurans motum primi mobilis eſt ipſius motus ſua intrinſeca duratio: ſed duratio cuiuſcumque rei non di-

diſtinguitur realiter entitatiue ab ipſa re exiſtentem, & illius exiſtentia. Ergo tēpus non diſtinguitur realiter entitatiue à motu primi mobilis, cuius eſt intrinſeca menſura. Minor probatur, quia duratio intrinſeca cuiuſlibet rei, nihil eſt aliud, quam illius exiſtentia continuata ſui productione conſeruata. Ergo non diſtinguitur realiter entitatiue ab ipſa re exiſtente, & illius exiſtentia, ſed ſolum penes connotationem ad actionem cōtinuatam; cum hac tamen differentia, quod in rebus permanentibus per continuatam productionem illarum non producitur aliqua noua illius pars: in motu autem continuata illius productio eſt productio nouæ partis ipſius motus. Tamen ſicut totus motus non diſtinguitur realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis: ita & duratio intrinſeca totius motus non diſtinguitur realiter entitatiue ab ipſo motu.

§. Confirmatur, quia duratio intrinſeca cuiuslibet rei creatæ nihil addit intrinſecum ſupra ipſius rei exiſtentiam, ſed ſolum connotationem ad actionem productiuam ipſius rei exiſtentis, vt perſeuerantem, & continuatam. Ergo duratio intrinſeca motus primi mobilis: ac perinde, & tempus intrinſece illud menſurans non diſtinguitur realiter entitatiuè ab ipſo motu exiſtente & illius exiſtentia. Conſequentia patet, quia nihil realiter entitatiue ab alio diſtinguitur, niſi addat aliquid reale intrinſecum ſupra illud.

Antecedens autem probatur, quia ſi du ratio intrinſeca rei creatæ adderet aliquic intrinſecum ſupra illam, oporteret in ill de nouo produci; ac perinde duratio ali cuius rei non eſſet ſolum continuata illiu productio, ſed noua productio alicuiu intrinſeci in illa. Id autem eſſe falſum conſtat, quia ſi Deus aliquam rem pro duceret, & continuata eadem productio ne conſeruaret abſque eo, quod aliquic aliud intrinſecum in illa de nouo produ ceret, talis res vere, & proprie dicere tur durare. Ergo duratio intrinſeca ali cuius rei nihil addit intrinſecum ſupra ipſam rem exiſtentem, ſed ſolum diuerſan connotationem, quia vt exiſtens dici ordinem ad ſui productionem, vt du rans verò dicit ordinem ad eandem ſu productionem non abſolute, ſed vt con tinuatam.

6 Tertia denique pars concluſionis quæ eſt ſecunda concluſio noſtro Autho ris in prædicta quæſt.4. & habetur ex D Thoma opuſculo 44. capit. 2. ex his qua proxime diximus, deducitur, quia licet duratio intrinſeca alicuius rei non addat aliquid intrinſecum ſupra rem creatam exiſtentem, addit tamen nouam connota tionem ad actionem illam producentem nouamque dependentiam ab illa, ſiqui dem connotat actionem ſui productiuam non abſolute, ſed vt continuatam. Ergo duratio intrinſeca cuiuſcumque rei creata ſaltem realiter formaliter diſtinguitur ab illa.

illa. Et ita Diuus Thomas 1. part. quæſtion.10 art.2.ait: *Quod in Deo duratio propria eius non diſtinguitur ab illo: ſecus vero in creaturis*. Et cum non poſſit intelligi D.Thomas de diſtinctione virtuali & quę per intellectum poteſt fieri actualis diſtinctio rationis ratiocinatæ: cum hæc etiam reperiatur inter Deum, & illius durationem, vtpote quæ ad Deum vt illius attributum comparatur, ſentit Sanctus Doctor in creaturis ad minus eſſe diſtinctionem actualem formalem: & ex natura rei inter illas, & illarum intrinſecam durationem. Idque etiam patet, quia duratio accidit cuilibet rei creatæ exiſtenti. Ergo eſt aliquid ſaltem realiter formaliter diſtinctum ab ipſa, & illius exiſtentia. Et cum, vt diximus, tempus intrinſece menſurans motum primi mobilis ſit intrinſeca illius duratio ſaltem realiter formaliter ab ipſo motu erit diſtinctum.

7 Secundo probatur eadem tertia pars concluſionis, quia tempus quod intrinſece menſurat motum primi mobilis, licet ſolùm ſit ſubiectiuè in primo mobili, dicitur eſſe in omnibus alijs motibus inferiorum, tanquam extrinſeca menſura in menſurato, & ipſi motus dicuntur eſſe in tempore. Sed non dicitur motum primi mobilis eſſe in motibus inferiorum, nec ipſos motus eſſe in motu primi mobilis. Ergo tempus ſaltem realiter formaliter diſtinguitur à motu primi mobilis, quem intrinſece menſurat.

8 Dico tertio: Tempus non ſolum pro materiali, ſed & formaliter ſumptum eſt aliquid reale. Prima pars concluſionis manifeſte ſequitur ex ſecunda parte concluſionis præcedentis: ſi enim tempus materialiter, & entitatiue eſt idem quod motus primi mobilis, cum certum ſit, motum primi mobilis, ſicut & motum cuiuſlibet alterius corporis eſſe aliquid reale, manifeſtum eſt etiam tempus pro materiali eſſe aliquid reale. Quod vero etiam formaliter ſumptum tempus ſit aliquid reale probatur: quia tempus formaliter vt diſtinctum à motu enumeratur ab Ariſtotele inter ſpecies quantitatis, & motus formaliter, vt motus non ponitur ab Ariſtotele directe in aliquo prædicamento, ſed inter poſtprædicamenta enumeratur. Ergo cum quantitas ſit vnum ex generibus entis realis, tempus formaliter vt tempus eſt aliquid reale. Præterea: quia tempus formaliter eſt duratio intrinſeca motus primi mobilis. Ergo cum talis motus ſit aliquid reale, tempus etiam formaliter ſumptum debet eſſe aliquid reale: alias motus realiter non duraret: nihil enim realiter durat, niſi per realem ſui durationem.

9 Obijcies primo. Quod Ariſtot. in hoc libro, cap. vltimo docet, quod tempus ita dependet ab anima quod ſi non eſſet anima, non eſſet tempus. Sed ens, in ſuo eſſe dependens ab anima non eſt ens reale, ſed ens rationis. Ergo tempus ſaltem for-

formaliter ſumptum non ens reale, ſed ens rationis. §. Confirmatur. Nam vt quæſtione ſequenti videbimus, tempus eſt numerus motus. Sed numerus dependet ab intellectu numerante, & accipiente vnam partem in ordine ad alteram. Ergo tempus in ſuo eſſe formali temporis dependet ab intellectu: ac perinde non eſt aliquid reale ſed rationis.

Reſpondetur ad argumentum, quod tempus licet ſit aliquid extra animam; dependet tamen ab anima, & intellectu in actuali exercitio numerationis, vt optime explicat D. Thomas 4. Phiſicorum lect. 23 dicens. *Tempus eſt vt cumque ens, ſine anima, ſicut contingit, motum eſſe, ſine anima: ſicut enim ponitur motus, ita neceſſe eſt poni tempus. Dependet tamen in numeratione ab anima, quia motus non habet eſſe fixum in rebus, neque aliquid actu aſſumi poteſt de ipſo, niſi aliquod indiuiſibile præſens, & ſic totalitas motus non accipitur, niſi per conſiderationem noſtrã cõparãtem partẽ priorem poſteriori.* Hæc D. Thomas. Ex quibus patet, quod tempus licet in actuali numeratione, & menſuratione motus dependeat ab intellectu actu accipiente vnam partem motus in ordine ad alteram, tamen ex natura ſua habet tempus eſſe menſuram, qua partes motus poſſunt numerari, & menſurari. Vnde ad teſtimonium adductum Ariſtotelis reſpondetur cum noſtro Authore, Philoſophum ſolum intendere, quod cum tempus eam dependentiam

in actuali exercitio numerationis habea ab intellectu, ſi non eſſet poſſibilis anima, & intellectus, non eſſet poſſibile tempus; id autem non tollit tempus eſſe ens reale, vt in ſimili de numero expli cuimus in Logica, lib 7. quæſt. 14. ſicut etiam nō tollit realitatem ſenſibilis, quod re vera, ſi non eſſet poſſibilis ſenſus, nulla eſſet qualitas ſenſibilis.

Ex eadem adducta doctrina D Thoma patet ad confirmationem: quamuis enim tempus ſit numerus motus, cum tamen, vt ait Diuus Thomas opuſculo 44. cap.1 non ſit numerus numerans, ſed numerus numeratus, qui cum rebus numeratis identificatur, ſicut motus & illius partes, quas numerat tempus, ſunt aliquid reale, ita tempus eſt aliquid reale, licet in actuali exercitio numerationis dependeat ab actione intellectus accipientis vnam partem motus in ordine ad aliam.

10 Obijcies ſecundo, quod illud, cuius partes non ſunt aliquid reale, non poteſt eſſe aliquid reale. Sed partes temporis non ſunt aliquid reale. Ergo nec tempus eſt aliquid reale. Minor probatur, nam partes temporis ſunt præteritū & futurum. Sed præteritū non eſt, & futurum non dum eſt, nec aliquando huiuſmodi partes realiter exiſtunt. Ergo partes temporis non ſunt aliquid reale.

Reſpondetur, quod vt amplius explicabimus, quæſtion.12. ſequenti, diuerſimo-

mode huiuſmodi ſucceſſiua, vt motus, & tempus realiter exiſtunt, quam entia permanentia: exiſtunt enim per aliquid ſui indiuiſibile, quo continuantur, vt partes motus per mutuatum eſſe, & partes temporis per inſtans indiuiſibile. Vnde non ſolum argumento facto non probatur non eſſe tempus aliquid reale, ſed ex illo conuincitur oppoſitum, quia non poſſent cõtinuari partes motus, & temporis per aliquid indiuiſibile realiter exiſtens, quin ipſæ partes eſſent reales, & iuxta naturam ſuam ſucceſſiua realiter exiſtant.

QVÆSTIO XI.

Quid ſit tempus, & qualiter ab alijs menſuris ſecundum durationem diſtinguatur?

ARiſtoteles in hoc lib. tex. 101. naturã explicans temporis, illud definiuit, *quod ſi numerus motus ſecundum prius, & poſterius*. Vnde vt eſſentiam temporis agnoſcamus, huiuſmodi illius definitionem explicare, & aliquibus obiectionibus examinare oportet.

2 Pro explicatione igitur illius eſt aduertendum, quod motus duplicem habet extenſionem, ſecundum quod etiam habet partes in duplici differentia; nam habet aliquas partes à mobili, & extenſionem,

& diuiſibilitatem in tales partes, quatenus cum ſit accidens inhærens mobili, ſecundum ſe totum extenditur per totum mobile, ita vt diuerſis partibus mobilis correſpondeant diuerſæ partes ipſius motus, & loquendo de iſtis partibus motus, omnes ſunt ſimul ita vt vna non ſit prius tempore, quam alia. Alias habet partes motus ab ſpacio, per quod fit: ex eo enim quod aliquod mobile continue moueretur per aliquod ſpacium, in quo ſunt aliquæ partes priores, & aliæ poſteriores, & quas mobile non ſimul, ſed ſucceſſiue, & cum ordine prioris, & poſterioris, pertranſit. Inde prouenit, quod ipſe motus habeat partes priores, & poſteriores ſibi inuicem, ſuccedentes, & quæ non ſimul exiſtant, & iuxta diuerſitatem motus habet partes etiam tempus; tempus tamen & motus licet ſuas partes cauſaliter habeant ab extenſione ſpacij, ſuper quod fit motus; diuerſas tamen partes; & extenſionem habent ac illud: illud enim habet ſuam extenſionem, & partes permanenter, & omnes ſimul; tempus autem & motus habent ſuam extenſionem, & partes ſucceſſiue, quatenus mobile non ſimul, ſed vnā prius altera omnes per motus partes tranſit ſpacij.

3 Hoc ergo ſuppoſito dicendum eſt, definitionem traditam ab Ariſtotele eſſe optimam. Et præter authoritatem ipſius Philoſophi, & omnium eius interprætum, illam explicando, probatur. Sen-

ſus

ſus ergo definitionis eſt, quod tempus eſt numerus motus, non quidem numerus numerans, ſed numerus numeratus, ſeu numerabilis, quatenus eſt duratio intrinſeca motus primi mobilis, in qua ſecundum prius, & poſterius ipſius motus poteſt intellectus accipere & numerare prius, & poſterius ipſius durationis, quæ ſunt partes temporis, & quatenus duratio intrinſeca talis motus primi mobilis eſt vniformis, & regulariſſima, & per motum ipſius primi mobilis nobis notiſſima eſt menſura extrinſeca omnium motuum, & mutationum cuiuſcumque entis corruptibilis.

4 Aduerſus eam tamen definitionem obijcies primo, quod tempus eſt quantitas cõtinua, vtpote quod inter ſpecies quãtitatis continuæ ab Ariſtotele enumeratur, quia eius partes copulantur termino communi, ſcilicet inſtantibus indiuiſibilibus. Sed numerus eſt quantitas diſcreta. Perperam igitur dicitur, quod ſit numerus motus. Dices, quod numerus numerans eſt quantitas diſcreta, numerus vero numeratus ſeu numerabilis poteſt eſſe quantitas continua, vt tres vlnæ panni ſunt quantitas continua permanens, & nihilominus facit numerum numeratum ſeu numerabilem, tempus autem non eſt numerus numerans, ſed numerus, numeratus, ſcilicet ipſa duratio ſucceſſiua & continuata primi mobilis, quæ eſt numerabilis ab intellectu ſecundum prius

& poſterius, accipiendo & comparando vnam partem talis motus & illius durationis in ordine ad aliam. §. Contra hoc tamen eſt. Tempus eodem modo eſt numerus quo eſt menſura, ſiquidem idem eſt dicere, quod eſt numerus, ac dicere, quod eſt menſura. Sed non eſt menſura paſſiua ſeu menſurata, ſed actiua & menſurans, ſiquidem eſt id, per quod certificamur de duratione rerum. Ergo non eſt numerus numeratus, ſed numerus numerans.

Reſpondetur, ſolutionem datam eſſe optimam, & ad illius replicam dico, quod licet tempus non ſit numerus numerans, ſed numerabilis, eſt tamen menſura actiua ipſius motus primi mobilis & aliorum inferiorum, quatenus ex numeratione per intellectum facta durationis motus primi mobilis ipſum motum primi mobilis poſſumus intrinſece menſurare, & extrinſece omnes alios, motus inferiores. Et ita tempus eſt menſura actiua illorum, quatenus per illud omnes tales motus poſſunt menſurari, licet ad actualem menſurationem concurrat numerus numerans, ſecundum quem intellectus accipit per modum præteriti, præſentis & futuri vnam partem temporis in ordine ad aliam.

5 Obijcies ſecundo, quod tempus non ſolum eſt menſura motus, ſed etiam menſura quietis ſaltem priuatiue, imò eſt etiã menſura ipſius eſſe rei corruptibilis, quæ di-

dicitur tanto vel tanto tempore durare, Perperam igitur definitur determinate per id, quod ſit numerus ſeu menſura motus.

Reſpondetur, quod motus eſt id, cuius primo & per ſe tempus eſt numerus & menſura, & ſi menſuret quietem, eſt, quatenus illa eſt priuatio motus & iuxta durationem motus, quo priuat quies, menſuratur: & ſi menſurat ipſius eſſe ſubſtantiæ corruptibilis eſt, quatenus illa variationi & mutationi ſubijcitur, & licet non habeat ſucceſſionem partium; habet tamen ſucceſſionem tendentiæ eſſe illius ad non eſſe; & ſic optime tempus definitur determinate, quod ſit numerus & mẽſura motus, quia illius primo & per ſe eſt numerus & menſura, aliorum autem non niſi in ordine ad motum.

6 Obijcies tertio, quod ſi motus eſſet numerus motus, eſſet etiam & menſura illius, quia numerus eſt menſura rei numeratæ. Sed non poteſt tempus eſſe menſura motus: ergo nec numerus motus. Minor probatur. Quia menſura debet eſſe notior menſurato. Sed motus, vtpote quem ſenſu percipimus, eſt nobis notiſſimus; tempus vero eſt maxime nobis ignotum. Ergo tempus non poteſt eſſe menſura motus.

Reſpondetur, quod ſi loquamur de tempore in ordine ad motus horum inferiorum, notius eſt nobis tempus per regulariſſimum motum, & circulationem quo-

tidianam Solis, quam motus quilibet inferior. Vnde optime tempus, & durationem vniformem primi mobilis poſſumus aſſumere vt menſuram horum inferiorum: ſi autem loquamur de ipſo tempore in ordine ad motum primi mobilis, cuius eſt intrinſeca duratio, & intrinſece illud mẽſurat, in exercitio eſt nobis notiſſimum, quia experientia cognoſcentes fluxum ipſius motus primi mobilis, in exercitio notiſſima eſt nobis ipſius duratio, licet in quo talis eſſentia conſiſtat, ſit difficile cognitu, ſufficitque, vt in exercitio ſit nobis nota talis motus duratio, vt per illam ipſum motum, & alios motus inferiores menſuremus.

7 Ex dictis (vt ad ſecundum quod in quæſtionis titulo inquirebatur, breuiter reſpondeamus) ſequitur differentia temporis ab alijs menſuris rerum permanentium, vt ab æternitate, & æuo: pleniorem enim explicationem huiuſmodi menſuræ Theologis relinquentes, ſupponimus æternitatem eſſe menſuram rei omnino, tam quoad eſſe, quam quoad operationem immutabilis, & inuariabilis, & ita æternitas, vt definiuit Boetius, *eſt in terminabilis vita tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*. Vnde æternitas nullas prorſus habet partes aut ſucceſſionem, & ſic manifeſte diſtinguitur à tempore noſtro, quod cum ſit menſura rei, tam ſecundum eſſe, quam ſecundum operationem mutabilis, imò primo, & per ſe, vt explicuimus, ſit men-

menſura ipſius motus, habet ſucceſſionem, & partes priores, & poſteriores nõ ſimul, ſed ſucceſſiue exiſtentes, ita ſimiliter tempus. Æuum autem eſt menſura media inter æternitatem & tempus, ſiquidem eſt menſura rei immutabilis ſecũdum eſſe, mutabilis vero ſecundum operationem, & ſic differt à tempore in eo, quod non habet formalem ſucceſſionem, & differt ab æternitate in eò, quod habet aliquam ſucceſſionem virtualem, & non ſimul omnibus coexiſtit, ſed coexiſtit illis ſucceſſiue ſecundum quod illa non ſimul, ſed ſucceſſiue in ſuis proprijs menſuris exiſtunt.

QVÆSTIO XII.

Vtrum partes temporis ſolum exiſtant ratione alicuius indiuiſibiliter inſtantis?

SVppono (quod & ſæpius inſinuaui) tempus eſſe quantitatem continuam compoſitam ex partibus diuiſibilibus, & tales illius partes diuerſis indiuiſibilibus inſtantibus copulari, & continuari; ſicut partes lineæ diuerſis indiuiſibilibus punctis copulantur, & continuantur: cum enim Ariſtoteles, & Diuus Thomas inſinuant

nuant vnum eſſe nunc temporis influens per omne tempus, ſolum intendunt eſſe vnum ſubiectiue, quatenus vnum eſt mobile, prius vnam partem ſpacij, & poſterius alteram ſuo motu pertranſiens. Ita enim id explicat Diu. Thomas 1.parte quæſtion.10. artic.4. ad 2. dicens: *Quod nunc temporis eſt idem ſubiecto in toto tempore, ſed differens ratione eo quod ſicuti tempus reſpondet motui, ita nunc temporis reſpondet mobili, mobile autem eſt idem realiter toto decurſu temporis, ſed differens ratione, in quantum eſt hic, & ibi, & iſta alteratio eſt motus. Similiter fluxus ipſius nunc, ſecundum quod alternatur ratione, eſt tempus.*

2 Hoc ergo ſuppoſito, dubitamus, an partes temporis realiter exiſtant adæquate ratione ſui, an vero ſolum exiſtant inadæquate ratione alicuius inſtantis indiuiſibilis, quo continuantur, & ſolum ratione ſui ſint præteritæ, vel futuræ. Primum enim illorum tenet Durandus in 2. diſt.2. quæſt.4. & aliqui plures præcipue ex recentioribus.

3 Dicendum nihilominus eſt cum noſtro Authore hic quæſtion.4.& communi Thomiſtarum ſententia partes temporis ſolum exiſtere inadæquate ratione illius indiuiſibilis inſtantis, quo copulantur, & continuantur. Concluſio colligitur ex Ariſtotele in hoc libro cap.10. vbi poſtquam propoſuerat obiectionem, quod tempus non exiſtit per ſuas partes, quia hæ ſunt præteritum, & futurum, nec

per

per inſtantia, quia iſta non ſunt partes illius, & nihil exiſtit, niſi ratione ſuarum partium, & ita tempus nunquam exiſteret, poſtea in text.105. ſoluit hoc argumentum dicens: *Nihil fit, niſi ſecundum quod eſt, nihil autem eſt temporis, niſi nunc. Vnde non poteſt fieri, niſi ſecundum aliquid nunc, non quia in ipſo primo nunc ſit tempus, ſed quia ab eo incipit tempus*. Et clarius id docet Sanctus Doctor opuſc.44. cap.1. cuius verba in ſecunda ratione concluſionis adducuntur. Et idem denique colligitur ex D.Auguſtino 1. confeſſionum cap.5.

4 Ratione autem probatur primo ex ipſa definitione temporis, quod eſt numerus motus ſecundum prius & poſterius, ex qua colligitur partes temporis ſolum eſſe præteritum & futurum, quæ correſpondent priori, & poſteriori motus. Sed ſi partes temporis adæquate ratione ſui exiſterent, etiam daretur pars temporis præſens: ac perinde diminuta eſſet prædicta temporis definitio. Minor patet, quia ſi pars aliqua temporis ratione ſui exiſteret, tunc talis pars eſſet præſens, & non præterita, & futura. Ergo non ſolum partes temporis eſſent præteritum, & futurum.

5 Secundo probatur concluſio ratione deſumpta ex D.Thoma in prædicto opuſculo 44 cap.1. vbi ſic ait. *Quia quælibet pars cuiuslibet ſucceſſiui eſt diuiſibilis in diuerſas partes: ſi ergo aliquod ſucceſſiuum exiſteret non ſolum ſecundum aliquod indiuiſibile*

le ſui, ſed ſecundum aliquam ſui partem, ſequitur, quod multa partes alicuius ſucceſſiui ſimul eſſent, quod eſt contra rationem ſucceſſiuorum. Hæc Diu. Thomas, in quibus euidentem rationem concluſionis inſinuat: quælibet enim vel paruula pars temporis eſt diuiſibilis in plures partes: aliàs tempus continuum componeretur ex indiuiſibilibus, quod infra oſtendemus eſſe impoſſibile; ergo ſi aliqua pars temporis ratione ſui adæquate exiſteret, exiſterent ſimul omnes illius partes, ex quibus talis pars temporis componitur, & ſic nec talis pars, nec tempus eſſet ens ſucceſſiuum, ſed permanens, cum illud ſit, cuius partes ſimul exiſtunt.

6 Nec valet dicere cum aduerſarijs quod talis pars temporis non exiſtit permanenter, ſed fluenter & ſucceſſiue: non, inquam, id valet; nam vel exiſtit aliqua tota pars quantumuis paruula temporis in ſe ipſa, vel ſolum ratione alicuius ſui indiuiſibilis. Si hoc ſecundum, habemus intentionem. Si verò dicatur primum, cum talis quantumuis paruula pars temporis vtpote diuiſibilis habeat plures partes, omnes illæ ſimul exiſtent; & dicere, quod ex partibus ex quibus quælibet pars temporis componitur, aliæ ſunt præteritæ & aliæ futuræ, eſt incidere in noſtram ſententiam & nullam aſsignare quantumuis minimam temporis partem, quæ ratione ſui adæquate exiſtat, ſed quæ ſolum exiſtat per aliquod ſui indiuiſibile.

7 Ter-

7 Tertio probatur, quia ſi aliqua diuiſibilis pars temporis ratione ſui haberet adæquatam diuiſibilem exiſtentiam, ſequeretur, aliquod inſtans plus durare, quam per inſtans. Conſequens eſt impoſsibile: ergo illud ex quo ſequitur. Sequela probatur: quia per totam illam morulam diuiſibilem, qua illa diuiſibilis pars temporis duraret, durarent etiam inſtantia, quæ partes talis diuiſibilis partis temporis copularent & continuarent (aliàs partes talis partis temporis non eſſent continuæ, ac perinde nec ipſum tempus eſſet continuum) ergo quodlibet talium inſtantium duraret per totam morulam, qua duraret illa diuiſibilis pars temporis, ac per conſequens quodlibet tale inſtans duraret plus quam per inſtans.

8 Obijcies primo. Partes temporis ratione ſui ſunt præteritæ & futuræ, ergo ratione ſui aliquando realiter exiſtunt præſentes. Probatur conſequentia, quia præteritum eſt, quod aliquando fuit præſens, & futurum quod erit præſens: ergo quod ratione ſui eſt præteritum, ratione ſui fuit præſens, & quod ratione ſui eſt futurum, ratione ſui erit aliquando præſens: confirmatur: quia nihil poteſt tranſire ad ſtatum præteritionis niſi per ſui realem præſentiam. Ergo ſi pars temporis ratione ſui eſt præterita, ratione ſui fuit præſens: alias inter eius futuritionem & præteritionem non mediaret præſentia, & immediate eſſet futurum, & præteritum,
quod

quod non videtur intelligibile.

Reſpondetur ad argumentum, negando conſequentiam: natura enim propria ſucceſsiuorum eſt, quod non habeant partes rationę ſui præſentes, alias, vt in prima ratione concluſionis oſtendemus, non recte definiretur tempus, quod ſit numerus motus ſecundum prius & poſterius, ſed deberet definiri, quod ſit numerus motus ſecundum prius, præſens & poſterius: ſufficit ergo vt pars temporis in ſe ipſa ſit præterita, quod in facto eſſe exiſtat per aliquid ſui, ſcilicet per inſtans indiuiſibile, quo continuatur cum parte temporis ſequenti, quia aliquod fluens & ſucceſsiuum dicitur præteriſſe, quando iam eſt in facto eſſe: fluxus enim præterit, quando eius aduenit terminus per quem conſumatur, & dicitur in facto eſſe. Sufficit etiam vt pars temporis in ſe ipſa ſit immediate futura, quod præcedat aliquod eius indiuiſibile inſtans, per quod continuatur cum parte præcedenti, & iniciatur eius futuritio. Vnde ad formam argumenti neganda eſt ſecunda conſequentia in ſucceſsiuis, licet illa teneat in rebus permanentibus, quia ſucceſsiua ſolum ſunt in ſe futura, vel præterita per ordinem ad exiſtentiam, quam habent vel habitura ſunt ratione indiuiſibilis, quo cum alijs partibus continuantur, in ordine ad quod ſecundum quod terminat vnam partem illa dicitur præterita, & in ordine ad idem indiuiſibile, ſecundum quod eſt initium alterius

par-

partis, illa dicitur futura. §. Ad confirmationem reſpondetur, quod in his ſucceſſiuis vt aliquid tranſeat ad ſtatum præteritionis, ſufficit, quod ratione indiuiſibilis, per quod continuatur exiſtat. Nec obſtat, quod immediate ad futuritionem alicuius partis ſequatur eiuſdē partis præteritio, & ſolum ſecundum diuerſas conſiderationes mediat inter futuritionem] & præteritionem eiuſdem partis illius præſentia, quia inſtans illud quod terminat partem, prius noſtro modo intelligendi facit illam exiſtere, quam præteritam: quia in ſucceſſiuis ipſum illorum factum eſſe, & eſt illa in ſe non eſſe, ſed præterijſſe, & ſimul eſt exiſtentia illorum, quam poſſunt habere.

9 Obijcies ſecundo, quod partes temporis non poſſunt exiſtere per indiuiſibile inſtans. Ergo vel nullatenus nec ratione ſui, nec ratione alterius realiter exiſtunt. Et ſic tempus non eſſet aliquid reale: vel re vera exiſtunt partes temporis ratione ſui. Antecedens probatur, quia ſi partes temporis exiſterent per inſtans indiuiſibile quo continuantur, vtraque talis pars exiſteret ſimul cum tale videlicet exiſtit inſtans illarum continuatiuum. Id autem eſt impoſſibile. Tum, quia iam tempus non eſſet ſucceſſiuum, ſiquidem illius partes exiſterent ſimul. Tum etiam, quia prior pars comparatur ad alteram partem, quæ cum illa medio tali inſtanti continuatur, ſicut præteritum & futurum.

Sed

Sed implicat in eodem inſtanti eſſe præteritum & futurum: ergo implicat, quod per idem indiuiſibile inſtans quo aliquæ partes temporis continuantur, ipſæ partes temporis ſimul exiſtant. §. Secundo probatur idem principale antecedens; quia inſtans quantumuis continuet partes temporis, eſt aliquid realiter ab ipſis diſtinctum, vt punctum indiuiſibile continuans partes lineæ realiter ab ipſis diſtinguitur. Sed nihili poteſt realiter exiſtere per aliquid realiter à ſe diſtinctum: ergo partes temporis non poſſunt realiter exiſtere per indiuiſibile inſtans quo continuantur.

§. Tertio probatur idem antecedens, quia cum exiſtentia rei debeat illi eſſe proportionata, id per quod aliquid exiſtit, debet illi proportionari. Sed inſtans indiuiſibile partibus diuiſibilibus temporis non proportionatur: ergo partes temporis non poſſunt per indiuiſibile inſtans, quo continuantur, realiter exiſtere.

12 Reſpondetur negando antecedens & ad primam illius probationem poſſet dici non eſſe inconueniens, quod partes temporis, quæ aliquo indiuiſibili inſtanti continuantur, ratione eiuſdem inſtantis ſimul exiſtant, quia id non obſtat ſucceſſioni temporis, cui ſolum obſtaret, quod illius partes ſimul exiſterent ratione ſui, non autem quod ſimul exiſtãt per aliquod ſui extrinſecum, ſcilicet per indiuiſibile inſtans, quo continuantur, & per quod prior pars conſumatur & poſterior inciatur.

tur. Nec etiam eſt inconueniens, quod hoc modo ſimul exiſtant pars tẽporis præterita & futura, quia cum tempus non habeat in ſe niſi partem præteritam & futuram, factum eſſe & conſumatio partis prioris eſt initium partis poſterioris, & ſic non eſt inconueniens, quod pars præterita & futura ſimul exiſtant per idem indiuiſibile inſtans, quo continuantur, & quod eſt factum eſſe & conſumatio prioris partis & initiatiuum poſterioris. Tamen licet hæc non poſſint vndequaq; negari, & neceſſario ſit dicendum, quod per idem indiuiſibile inſtans, quo partes continuantur, prior exiſtit in facto eſſe & poſterior in fieri, quatenus idem tale inſtans eſt terminatiuum prioris partis & initiatiuum poſterioris; tamen quia non dicitur aliquid abſolute exiſtere, niſi cum eo modo quo exiſtere poteſt, exiſtit in facto eſſe, partes temporis non dicuntur abſolute exiſtere, niſi cum exiſtunt in facto eſſe, & quia per inſtans continuatiuum aliquarum partium temporis ſolum prior pars exiſtit in facto eſſe, illa tunc abſolute dicitur exiſtere, & poſterior pars potius dicitur tunc futura quam exiſtens, & ſolum dicitur abſolute exiſtens per aliud inſtans, quod poſt illam ſequitur & illum cum alia parte continuabit. Et ſic nunquam ſaluabitur, quod in eodem inſtanti & per idem inſtans duæ aliquæ partes temporis ſimul abſolute exiſtant. Et ſolum ſucceſſioni temporis obſtaret, quod illius partes ſimul abſolu-

te

te exiſterent, ſolumque etiam obſtaret, quod pars præterita & futura ſimul abſolute exiſterent, non autem obſtat, vt dixi, quod per idem inſtans vna pars exiſtat abſolute & in facto eſſe, & altera ſolum ſecundum quid & in fieri.

13 Ad ſecundam probationem eiuſdem principalis antecedentis reſpondetur, quod licet inſtans continuatiuum partium temporis ſit aliquid realiter ab ipſis diſtinctum, eſt tamen aliquid illorum, quatenus illas terminat & continuat, & id ſufficit, vt per partes temporis, eo modo quo ſucceſſiui poteſt competere exiſtentia, realiter exiſtant, maxime cum nec res permanentes exiſtant per aliquid realiter ſecum identificatum (vt ſecundum probabiliorem ſententiam ſupra defendemus de exiſtentia cuiuſcumque rei creatæ) imò nec oportet, quod id per quod res permanens realiter exiſtit ſit in ipſa receptum, ſed ſufficit, quod ſit terminus eius, ſicut exiſtentia verbi eſt terminus humanitatis Chriſti, & illam facit realiter exiſtere.

14 Ad tertiam denique eiuſdem antecedentis probationem reſpondetur, quod præter quam quod exiſtentia, quæ non eſt intrinſeca, ſed quaſi extrinſeca rei exiſtentis, qualiter inſtans continuatiuum partis temporis, eſt exiſtentia illius, non debet tantum cum illa proportionem habere ac ſi eſſet omnino intrinſeca exiſtentia illius. Præter hoc, inquam, quamuis inſtans ſit formaliter indiuiſibile, quatenus

ter-

terminat partem diuiſibilem temporis, eſt virtualiter diuiſibile, ſicut anima rationalis licet formaliter indiuiſibilis, quatenus informat materiam corpoream diuiſibilem, eſt virtualiter diuiſibilis, & ea virtualis diuiſibilitas inſtantis eſt ſufficiens illud proportionare, vt ſicut terminat partem diuiſibilem temporis, ita etiam ſit exiſtentia illius, & eo modo quo pars ſucceſſiua poteſt exiſtere per illud realiter exiſtat.

LIBER
QVINTVS,
Phiſicorum.

Summa textus.

IN primo huius libri capite
varias motus, ſeu mutation
acceptiones explicat Ariſt
teles, generationemque non
eſſe proprie motum oſtendi
& motum à mutatione inſtantanea diſti
guit. §. In ſecundo adſtruit ad tria
tantum prædicamenta, quantitatem v
delicet, qualitatem & vbi, dari per ſe m
tum, & iuxta id tres ſpecies motus aſ
gnat, & quid proprie quies ſit explicat
§. In tertio aliquos ad pleniorem cogn
tionem motus terminos explicat.
§. In quarto principia vnitatis generic
& ſpecificæ & numericæ motus declara
§. In quinto contrarietatem motus cu
altero motu ex diuerſis prrncipijs deſu
ptam explicat. §. In ſexto denique,
vl-

vltimo capite contrarietatem explicat motus cum quiete, & contrarietatem ſimiliter vnius quietis cum altera;

QVAESTIO I.

Vtrum ad quantitatem qualitatem & vbi ſit per ſe motus.

MVtatio teſte Philoſopho hic c. 1. poteſt eſſe, vel inter terminos negatiuos, vt tranſiẽs de albo in nigrum, mutatur à non eſſe nigri ad non eſſe albi. Et cum termini negatiui nihil ſint, formaliter inter illos non eſt proprie mutatio. Poteſt etiam eſſe à termino negatiuo ad poſitiuũ, vt generatio ſubſtantialis à non eſſe v. gr. hominis ad eſſe hominis, vel à termino poſitiuo ad negatiuum, vt corruptio ſubſtãtialis ab eſſe hominis ad non eſſe hominis. Vel denique inter terminos poſitiuos, vt cum quis tranſit de albo in nigrum, & hæc ſola mutatio habet rationem proprij motus, quia ſolum mobile, quod eſt ens in actu, proprie mouetur. Et ſolum quod mouetur inter terminos poſitiuos eſt ens in actu ſola enim materia, quæ non eſt ens in actu eſt quæ mutatur de nõ eſſe ad eſſe, & de eſſe ad non eſſe, ſolumq; illa eſt ſub vtroque tali termino. Præſens ergo difficultas non de qualibet mutatione, ſed de illa ſolum, quæ eſt proprie motus, procedit.

2 Pro eius reſolutione eſt ſupponendum, quod ſicut illud ſolum mouet per ſe, cui id ratione ſui & non ratione alterius competit. Vnde album, v.g. non per ſe, ſed per accidens calefacit, quia non ratione ſuæ albedinis, ſed ratione alterius, ſcilicet ratione caloris ei calefacere competit. Ita ad id ſolum eſt per ſe motus, quod ratione ſui & nõ vt reſultans ad terminum primarium motus, per motum acquiritur, & ipſum terminat motum.

3 His ſuppoſitis affirmatiue reſpondetur ad quæſtionem cum Ariſtotele D. Thom. & noſtro Authore q. 1. & 2. huius libri communique ſententia, & probatur. Primo, quia tres ſpecies ſubalternæ motus ab Ariſtotele aſſignantur, augmẽtatio videlicet, alteratio & motus localis: ſed augmentatio eſt ad quantitatem, alteratio ad qualitatem, & motus localis ad vbi: ergo ad hæc tria prædicamenta eſt per ſe motus. §. Confirmatur, quia hæc tria poſſunt per ſe primo & abſque eo quod ad aliquem terminum primarium motus reſultent, proprium motum terminare: ergo ad illa eſt per ſe motus. Conſequentia patet, quia in eo, vt proxime dicebamus; conſiſtit eſſe ad aliquid per ſe motum. Antecedens autem probatur, quia per motum localem nihil aliud intrinſecum preter vbi acquirit mobile: locus enim, ad quem per motum peruenit, licet cum illo coniungatur, non eſt quid intrinſecum ipſi mobili. Similiter qualitas

litas ratione ſui acquiritur per motum alterationis, & per motum intenſionis intenditur, ac denique quantitas in agmentatione (vt late Deo dante explicabimus in libris de generatione) non acquiritur ad acquiſitionem ſubſtantiæ, ſicuti quantitas quæ in prima ſui productione per modum proprietatis ſubſtantię ad illius productionem reſultat. Sed quod primo intenditur in augmentatione eſt productio maioris quantitatis: ergo quãtitas, qualitas & vbi poſſnut ratione ſui, & abſque eo quod ad terminum alicuius motus reſultent, proprium & verum motum terminare.

4 Secundo probatur, quia in his tribus vel eſt proprie contrarietas vt in qualitate, vel ſaltem eſt latitudo pertranſibilis per verum motum: quantitas enim cum habeat extenſionem & latitudinem, poteſt per verum augmentationis motum fieri de minori maior, ſicut propter eam ſolam latitudinem qualitatis poteſt illa per verum motum intenſionis intendi, abſque eo quod talis motus ſit inter terminos cum omni proprietate & rigore contrarios: calor enim ver.g. vt vnum non non proprie contrariatur calori vt octo; ac denique ea etiam latitudo reperitur in termino motus localis, qualis eſt inter locum ſurſum & deorſum: ac perinde in ipſo vbi, quod per coniunctionem ad diuerſa loca mobile acquiret: ergo ad hæc tria datur per ſe motus. §. Confirmatur,

quia in his tribus inuenitur medium, per quod tranſitur de extremo in extremum. Ergo ad hæc tria poteſt verus,& proprius motus ſucceſſiuus per ſe primo terminari. Patet conſequentia. Quia ideo inter terminum negatiuum, & ſucceſſiuum non eſt proprius motus ſucceſſiuus, quia inter tales terminos nullum eſt medium pertranſibile per motum, vt inter eſſe, & non eſſe, & inter non eſſe, & eſſe. Antecedens vero probatur, quia inter qualitates proprie contrarias, vt inter album & nigrum,dantur colores extremi, & in eadem quantitate, & qualitate cum detur latitudo ſecundum intenſionem,& extenſionem, datur inter terminos extremos medium, & ſimiliter in termino motus localis, ſicut inter terminos ſpacij in quo fit, eſt medium, ita inter diuerſum vbi quod mobile acquirit, & deperdit, eſt vbi intermedium.

5 Obijcies primo, quod quantitati, & vbi nihil eſt contrarium. Ergo cum motus proprie ſumptus debeat eſſe inter terminos contrarios, ad quantitatem & vbi non poteſt eſſe proprie motus.

§. Reſpondetur, quod licet poſſet ſaluari contrarietas in quantitate & vbi,quatenus quantitas magna, & parua, & vbi in loco ſurſum, & deorſum contrariantur. Quidquid tamen ſit de hoc, ad minus in quantitate, & vbi & iu quantitate ad ſemetipſam comparata eſt latitudo explicata,quæ ſufficit in termino proprij motus, & quæ

ad

ad minus debet intelligi, cum dicitur; quod motus debet eſſe in terminos contrarios.

6 Obijcies ſecundo, quod cum quantitas conſequatur ab ſubſtantiam, imò etiā qualitas, ſicut calor vt illius proprietas conſequitur ad ſubſtantiam ignis, non videntur terminare motum per ſe, ſed vt terminum ſecundarium reſultare ad productionem ſubſtantiæ.

Reſpondetur, quod non intendimus, omnem quantitatem, & qualitatem per ſe primo motum terminare, ſicut illum non terminat quantitas, quæ in prima generatione ſubſtantiæ ad illam vt illius proprietas reſultat, & ſimiliter calor, qui eſt proprietas ignis. Sed intendimus, quod aliqua quantitas, illa videlicet, quæ acquiritur per augmentationem, terminet per ſe motum, quia illa non reſultat per modum proprietatis ad ſubſtantiam nec ad nouam partem ſubſtantiæ, ſed per ſe intenditur, & potius ad productionem illius producitur noua pars ſubſtantiæ, & ſimiliter plures qualitates per ſe in ſua prima productione terminant motum, & omnes cum intenduntur, licet aliqua, vt calor quia eſt proprietas ignis, ad ſubſtantiam ignis reſultet, & lux quia non producitur per expulſionem contrarij, ſed eius productio fit à priuatione lucis ad illam, inter quos perinde terminos non eſt medium, non producitur per motum, ſed per mutationem inſtantaneam, quamuis

uis ipſa lux, quia in ſe habet latitudinem, per verum motum intendatur.

7 Obijcies tertio, quod ſi aliquis eſſet motus ad quantitatem, maxime motus augmentationis, cum de minori fit maior quantitas. Sed hic non eſt proprie motus. Ergo nullus datur proprie motus ad quantitatem. Minor probatur, quia in motu debet relinqui terminus à quo, & acquiri terminus ad quem. Sed cum quantitas de minori fit maior, minor quãtitas, quæ ſolum poteſt habere rationem termini à quo non relinquitur, ſed permanet. Ergo tale quantitatis augmentum non fit per verum motum.

Reſpondetur negando minorem. Et ad probationem, quod licet in augmento quantitatis maneat eadem quantitas quoad ſubſtantiam: non tamen cum eadem terminatione minoris: quantitas enim quæ ante augmentum erat parua, poſt augmentum non manet parua, ſed magna. Et id ſufficit, vt terminus à quo formaliter vt terminus à quo relinquatur per motum & non maneat cum termino ad quem.

8 Obijcies quarto, quod ad vbi ſolum poteſt eſſe motus localis. Sed ille non eſt proprie motus. Ergo ad vbi non datur per ſe motus. Minor probatur, quia in proprio motu & ſucceſſiuo mobile debet eſſe partim in termino à quo, & partim in termino ad quem. Sed id non contingit in motu locali. Ergo ille non

eſt

eſt proprie motus. Minor probatur, quia cum mobile eſt in termino à quo, non pertingit, nec partialiter terminum ad quem, & cum eſt in termino ad quem, iam totaliter relinquit terminum à quo. Ergo nunquam mobile eſt partim in termino à quo, & partim in termino ad quem.

Reſpondetur negando minorem, & ad probationem dico, quod præterquam quod mobile corporale quantum & extẽſum ſimul eſt ſecundũ aliquam ſui partem in termino à quo, & ſecundum aliam in termino ad quem. Præter hoc, in quam cum mobile mouetur à loco in locum diſtantem, & per motum eſt in ſpacio inter medio, dicetur tunc eſſe partim in termino à quo & partim in termino ad quem, quia tale ſpacium inter medium participat de vtroque loco extremo, & ſic mobile exiſtens in illo dicitur eſſe partim in termino à quo, & partim in termino ad quem. Sicut quia color medius inter extremos colores participat de vtroque extremo tranſiens de vno colore extremo ad alterũ colorem extremũ per colorem medium, dicitur eſſe partim in vtroque colore extremo.

QVÆSTIO II.

Vtrum ad ſubſtantiam, & reliqua prædicamenta ſit per ſe motus?

DIco primo. Ad ſubſtantiam non eſt per ſe motus. Probatur. Quia ſubſtantia in ſui productione non fit per ſe ex aliquo poſitiuo, ſed ex ſui priuatione, inter quam & ipſam ſubſtantiam cum non ſit medium, ſubſtantia non acquiretur per motum ſucceſſiuum, ſed per mutationem inſtantaneam. Similiter cum ſubſtantia corrumpitur, non fit tranſitus per ſe ab illa ad aliquid poſitiuum, ſed ab illa ad ſui priuationem, inter quam & ſubſtantiam cum non ſit medium, corruptio ſubſtantiæ nō eſt motus ſucceſſiuus, ſed mutatio inſtantanea.

3 Nec valet dicere, quod aliquæ ſubſtantiæ fiunt per ſe ex forma poſitiua, vt forma cadaueris ex viuenti, & forma aceti ex forma vini, imò generaliter ad productionem cuiuslibet formæ ſubſtantialis præſupponitur alia forma ſubſtantialis in materia, & ad corruptionem cuiuſlibet formæ ſubſtantialis ſequitur alia forma ſubſtantialis in materia. Generatio igitur & corruptio formæ ſubſtantialis eſt inter terminos poſitiuos, ac perinde

de

defecto huius non debet excludi à ratione proprij motus. §. Non, inquam, id valet, quia (vt oſtendimus lib.1. de principijs entis naturalibus agentes) terminus per ſe à quo productionis formæ ſubſtantialis, & terminus per ſe ad quem corruptionis formæ ſubſtantialis non eſt niſi priuatio ipſius formæ, & per accidens ratione materiæ, quæ non poteſt abſque omni exiſtere forma ſubſtantiali, productionem vnius formæ ſubſtantialis præcedit altera forma ſubſtantialis in materia & corruptionem vnius formæ ſequitur alia; ex terminis autem per ſe ſumitur ratio mutationis & motus, & ſic corruptio & productio formæ ſubſtantialis, quia per ſe non eſt inter terminos poſitiuos, non eſt motus, ſed mutatio inſtantanea. §. Nec etiam per ſe, ſed ex diſpoſitione materiæ ſequitur ad formam viuentis forma cadaueris, nec ad formam vini forma aceti, corruptio enim talium formarum per ſe ſolum tendit ad non eſſe illarum. Huic etiam concluſioni poterat obijci, quod nutritio eſt motus ſucceſſiuus & per ſe terminatus ad ſubſtantiam. Sed de hoc, Deo dante, late agemus in libris de generatione.

3 Dico ſecundo. Ad relationem non eſt per ſe motus. Probatur. Quia omnis relatio realis prædicamentalis (de tranſcendentale enim, vtpote ab his quibus competit indiſtincta, non loquimur) ſequitur per naturalem reſultantiam ad

poſitionem ſui fundamenti cum conditione coexiſtentiæ ſui termini: ergo relatio non per ſe & ratione ſui aliquem terminat proprie motum aut mutationem, ſed eſt terminus ſecundarius motus aut mutationis, per quam producitur ſuum fundamentum.

4 Dico tertio. Ad actionem & paſſionem non eſt per ſe motus. Hanc concluſionem pluribus rationibus oſtendit Philoſophus ex quibus hæc facile deducitur. Quia cum actio & paſſio identificentur cum motu, ſi ad actionem, & paſſionem eſſet per ſe motus, etiam ad vnum motum eſſe per ſe motus, & eadem ratione ad iſtum eſſet per ſe alius motus, & ad illum alius, & ſic in infinitum, quod cum non poſſit admitti, dicendum eſt, quod cum actio, & paſſio ſint ipſe motus, aut mutatio, ad actionem, & paſſionem, nec eſt per ſe motus aut aliqua mutatio.

5 Dico quarto. Ad prædicamentum ſitus non eſt per ſe motus. Probatur: quia cum ſitus ſit diſpoſitio partium corporis in ordine ad locum reſultat ex vbicatione ipſius corporis in loco, ac perinde non per ſe aliquem terminat motum, ſed motus localis per ſe terminatur ad vbi & tanquam terminus ſecundarius reſultat ſitus.

6 Dico quinto. Nec ad prædicamentum quando eſt per ſe motus. Probatur, quia id prædicamentum conſiſtit in

hoc

hoc, quod eſt rem aliquam eſſe in tali, vel tali tempore, quod reſultat ex duratione intrinſeca rei, & menſuratione illius à tempore, & quatenus reſultat ex duratione intrinſeca rei, motus aut mutatio non ad ipſum quando, ſed ad ipſam rem, vt continuata illius productio per ſe terminatur: quatenus vero reſultat ex tempore, ſeu menſuratione temporis cum tempus, vt lib. diximus præcedenti, non diſtinguatur à motu primi mobilis, ſicut ad motum non eſt per ſe motus; ita nec ad tempus: ac perinde multo minus ad ipſum quando, quatenus à tempore reſultat.

7 Vltimo tandem dico. Ad prædicamentum habitus non eſt per ſe motus. Probatur: quia vt in logica explicuimus, prædicamentum habitus conſiſtit in hoc, quod eſt habere aliquid media aliqua actione: ac perinde illud ex actione, qua aliquid habetur non tanquam terminus primarius ipſius actionis (ille enim eſt id, quod per talem actionem habetur) ſed tanquam terminus ſecundarius reſultat. Ergo ad prędicamentum habitus non eſt per ſe motus.

QVÆSTIO III.

A quo deſumatur vnitas formalis motus?

AD motum concurrunt ipſum mobile, motor, terminus à quo, & ad quem & ſpacium, ſeu medium per quod fit motus. Vnde à quo iſtorum vnitas formalis motus, generica videlicet, & ſpecifica deſumatur, inquirimus, breuiterque aliquibus concluſionibus ex noſtro Authore Ss. Magiſtro Soto quæſtion. 3. huius libri reſpondebimus.

2 Dico igitur primo. Ab vnitate vel diuerſitate mobilis nō ſumitur vnitas formalis motus. Probatur. Tum, quia mobile comparatur ad motum, vt illius ſubiectum & à ſubiecto non vnitas, aut diuerſitas formalis, ſed ſolum numerica accidentium deſumitur. Tum etiam quia idem omnino ſpecifice & numerice mobile diuerſos formaliter recipit motus, & è contra diuerſum formaliter & numerice mobile poteſt recipere motum eiuſdē ſpeciei: ergo nulla vnitas aut diuerſitas mobilis arguit vnitatem vel diuerſitatem formalem motus.

3 Dico ſecundo. Vnitas formalis motus non ſumitur ab vnitate motoris: ita noſter author in prædicta q. art. 1. co cl 5.

Et

Et probatur. Tum, quia eiuſdem athomæ ſpeciei eſt motus lapidis, & ferri deſcendentis ad centrum, & motor, vtpote generans talia corpora, eſt diuerſæ ſpeciei. Et ſimiliter eiuſdem ſpeciei eſt motus violentus lapidis proiecti ab homine vel elephante, quamuis talis motor ſit diuerſæ ſpeciei. Tum etiam, quia licet motus vt actio formaliter reſpiciat agens ſeu motorem; non tamen ſub formalitate motus, & ideo agens in illius definitione ſub formalitate motus, non ingreditur. Ergo non ſumitur vnitas formalis motus ab vnitate vel diuerſitate motoris.

4 Obijcies, quod motus naturalis ignis ſurſum & motus violentus lapidis ad eundem terminum ſunt motus formaliter diſtincti, ſiquidem formales videntur eſſe differentiæ motus eſſe naturalem & violentum, & tamen ea differentia ſolum ſumitur ex diuerſitate motoris, cum vtriuſque talis motus ſit per idem ſpacium ab eodem termino à quo in eundem terminum ad quem: ergo ſola diuerſitas motoris ſufficit formaliter diuerſificare motum.

Reſpondetur, quod naturale & violentum non ſunt differentiæ intraneæ motus in ratione motus, ſed accidentales. Vnde licet illæ deſumantur ex diuerſitate motoris, non ſequitur ex illius vnitate vel diuerſitate ſumi vnitatem vel diuerſitatem formalem motus formaliter in ratione motus, quod docuit D. Thom. de potentia

q. 9.

q. 9. art. 8. dicens, quod motus non ſumit ſpeciem à principio, ab illo tamen ſortitur, vt ſit naturalis vel violentus.

5 Dico tertio. Vnitas & diuerſitas formalis motus formaliter deſumitur ab vnitate vel diuerſitate formali illius termini ad quem in ratione termini formaliter accepti. Et cum vnitas formalis cuiuſlibet rei ſit generica vel ſpecifica, de vtraque loquimur, & aſſerimus, omnes motus eſſe eiuſdem generis, qui ad terminum eiuſdem prædicamenti terminantur, & eſſe eiuſdē ſpeciei athomæ vel ſubalternæ, qui ad terminū eiuſdem ſpeciei athomæ vel ſubalternæ terminantur.

6 Concluſio ſic explicata eſt cōmunis, & colligitur ex Ariſtotele in hoc lib. tex. 31. docente, omnes dealbationes eſſe eiuſdem athomæ ſpeciei, quia omnes albedines eiuſdem athomæ ſpeciei ſunt, omnes autem diſciplinationes eſſe eiuſdē ſpeciei ſubalternæ, quia diſciplina eſt ſpecies ſubalterna in diuerſas ſpecies athomas diuiſibilis: idemque docet D. Tho. pluribus in locis, & probatur, quia ratio motus eſt eſſe viam, & ſententiam in ſuum terminum: ergo ab illo ſuam ſpeciem & vnitatem formalē deſumit. Conſequentia patet. Quia eo quod actus ſcientiæ & potentiæ ſunt via & tendentia in ſuum obiectum, ab illo ſuam ſpeciem & vnitatem formalem ſumunt: ergo à fortiori à ſuo termino illam deſumit motus, cuius tota ratio eſt eſſe viam & tendentiam in terminum.

§. Con-

§. Confirmatur primo, quilibet motus in particulari definitur in ordine ad ſuum terminum ad quem: ergo in ordine ad illum & ab illius vnitate ſuam accipit ſpeciem & vnitatem formalem. §. Confirmatur ſecundo, quia motus ab illo accipit ſpeciem à quo & denominationem: vnum quodque enim ab eo à quo habet eſſe, denominatur. Sed motus à ſuo termino ad quem accipit denominationem: ergo ſuam ſpeciem & vnitatem formalem. Minor patet. Quia eo quod motus v.g. terminetur ad albedinem, determinatur albefactio, & ſi ad calorem calefactio, & ſic de alijs.

7 Dixi vnitatem formalem motus deſumi formaliter ab illius termino ad quem formaliter in eſſe termini accepti, quia ſicut ſcientiæ & potentiæ non ſpecificantur à ſuis obiectis in eſſe entis, ſed formaliter in eſſe obiecti, & contingit, ſcientiam aut potentiam eiuſdem athomæ ſpeciei ad obiecta ſpecifice in eſſe entis diſtincta terminari, & è contra idem obiectum in eſſe entis diuerſas ſpecifice terminare ſcientias; ita & motus non à ſuo termino ad quem in eſſe entis, ſed formaliter in eſſe termini ſuam accipit vnitatem, vel diuerſitatem formalem. Vnde ad eundem entitatiue terminum poteſt dari diuerſus formaliter motus.

8 Dico quarto. Nihilominus cauſaliter aliquando ex diuerſitate termini à quo deſumitur, vnitas vel diuerſitas forma-

malis motus, ita tamen quod talis diuerſitas termini à quo refundatur in ipſum terminum ad quem, vt ab illo formaliter diuerſitas motus deſumitur. Concluſio & à ſimili & exemplis ipſius motus probatur. A ſimili quidem, quia licet, vt diximus, diuerſitas formalis ſcientiarum ab illarum obiectis formaliter ſumatur, cauſaliter aliquando deſumitur ex diuerſitate mediorum & illorum diuerſitas in ipſum obiectum refunditur. Similiter licet relatio in ordine ad ſuum terminum formaliter ſuam accipiat vnitatem vel diuerſitatem formalem, cauſaliter illam accipit à ſuo fundamento, illiuſque diuerſitas in ipſum refunditur terminum: ergo licet motus, vtpote via & tendentia ad terminum ad quem, ab illo formaliter accipiat ſuam vnitatem vel diuerſitatem formalem, poteſt etiam cauſaliter illam accipere à ſuo termino à quo, & illius diuerſitas refundi in ipſum terminum ad quem.

9 Exemplis etiam id confirmatur, nam aſcenſus aeris & deſcenſus lapidis ad aliquod idem punctum eſt motus formaliter diuerſus vtpote vnus motus ſurſum & alter motus deorſum, & terminus ad quē talis vtriuſque motus ſolum poteſt eſſe formaliter diuerſus diuerſitate cauſaliter deſumpta ex diuerſo termino à quo, & in ipſum terminum ad quem refuſa; quatenus videlicet idemmet materialiter terminus ſecundum quod reſpicit diuerſum terminum à quo, eſt formaliter diuerſus. Simili-

militer motus ex nigro ad fuſcum, & ex albo ad fuſcum, quamuis ſint ad eundem terminum ad quem in eſſe entis ſunt formaliter diuerſi motus, & terminus ad quẽ vtriuſque eſt formaliter diuerſus diuerſitate cauſaliter deſumpta ex diuerſo termino à quo, quia fuſcum, cum ſit medium inter album & nigrum, quatenus contrariatur albo, & quis per motum recedit àb albo in fuſcum, accipitur fuſcum vt nigrum; & quatenus fuſcum contrariatur nigro, & aliquis per motum recedit à nigro ad fuſcum accipitur: vt album, & ſic idem fuſcum vt reſpicit talem vtrumque terminũ à quo, eſt formaliter diuerſum diuerſitate cauſaliter ab ipſis terminis à quibus, deſumpta. §. Aduertendum eſt tamen, quod non quælibet diuerſitas in termino à quo motus ſufficit, vel cauſaliter ipſum motum diuerſificare, ſed illa dumtaxat, quæ formaliter in ratione termini à quò, & ſecundum quam reſpicitur à termino ad quem, ei competit: motus enim ab albò in nigrũ & à fuſco in nigrum non eſt formaliter diſtinctus; quia licet terminus à quo album ſcilicet & fuſcum in ratione entis diſtinguantur; non tamen formaliter in ratione termini à quo, quia vterque reſcipitur à termino ad quem ſecundum rationem albi, & ſecundum quod ab vtriuſque albedine per motum quis recedit, & ad nigredinem accedit; & ita talis in eſſe entis diuerſitas prædicti termini à quo, nec cauſaliter diuerſificat motum, nec in illius

ter-

terminum ad quem, vllatenus refunditur.

10 Quod ſi huic concluſioni obijcias, quod oppoſitum illius videtur docere Diu. Thomas 1.part. quæſt.23. art.1. ad 3. dicens: *Quod motus non accipit ſpeciem à termino à quo, ſed à termino ad quem*: Reſpondetur; quod in eo ſolum intendit D. Thomas, motum non accipere formaliter ſpeciem à termino à quo, ſed à termino ad quem (quod nos præcedenti concluſione fatemur) non vero quod cauſaliter non poſſit aliquando motus accipere ſpeciem à termino à quo. Præterquam quod D. Thomas, vt ex illius contextu conſtat, loquitur ibi de diuerſitate termini à quo, vt patet ex exemplo dealbationis ex nigro, palido, vel rubeo, quæ differentia termini à quo, vt proxime dicebamus, non eſt formaliter in eſſe termini, ſed in eſſe entis.

11 Vltimo tandem dico. Etiam ab ſpacio, & medio, per quod fit motus, cauſaliter deſumitur diuerſitas formalis motus, & talis diuerſitas ſpacij in ipſum terminum ad quem motus refunditur. Concluſio eſt Philoſophi hic text.32. & probatur: quia motus circularis, & rectus ad eundem terminum eſt formaliter diſtinctus, & illius diſtinctio cauſaliter ſaltem prouenit à diuerſitate ſpacij, ſcilicet lineę rectæ, & circularis, per quam fit motus. Ergo à diuerſitate formali ſpacij ſeu medij cauſaliter ſumitur formalis diuerſitas motus.

tus. §. Et dixi, illam accipi à diuerſitate formali ſpacij, quia non ſufficit diuerſitas illius in eſſe entis, vt ex eo quod lapis motu recto deſcendat per aerem, vel per aquam, nullam talis motus accipit diuerſitatem formalem.

12 Dices, motum dealbationis à nigro per fuſcum & per palidum fieri per diuerſum medium, & tamen eſſe eiuſdem ſpeciei, cum Ariſtoteles, & D. Thomas, abſque exceptione dicant, omnes de albationes eſſe eiuſdem ſpeciei. Ergo ex diuerſitate medij, per quod aliquid mouetur à termino à quo ad terminum ad quem, nulla vel cauſaliter prouenit diuerſitas formalis motus.

Reſpondetur, quod ſicut diuersitas termini à quo penes fuſcum & palidum eſt materialis, & motus à fuſco in album, & à palido in album eſt eiuſdem ſpeciei, quia vterque talis terminus relinquitur, quatenus participat nigredinem, & opponitur albo, sit diuersitas medij penes fuſcum, & palidum eſt materialis, quia ſub eadem ratione transit mobile de nigro ad album per fuſcum, ac per palidum, ſcilicet vt fuſcum, & palidum participant rationem nigri. Et sic non mirum, quod ex tali diuersitate medij nulla formalis diuersitas motus proueniat, cum hæc (vt diximus) non æqualibet medij diuersitate, ſed à diuersitate illius formali cauſaliter deſumatur.

13 Obijcies, quod aſcenſus aeris è media

dia illius regione vſque ad ſuum locum naturalem, concauum videlicet ignis; & aſcenſus ignis è media ſua regione vſque ad ſuum locum naturalem, concauum videlicet lunæ, ſunt diuerſum medium, & vterque habet diuerſum terminum à quo, & ad quem: & tamen ſunt motus eiuſdem ſpeciei, ſiquidem vterque eſt motus ſurſum, & naturalis. Ergo à nullo prædictorum ſumitur vnitas formalis motus.

Reſpondetur cum noſtro Authore in prædicta quæſt.3. art.1. in ſolutione ad 2. quod ſicut quælibet elementa diuerſa exigunt loca naturalia, ita & motus cuiuslibet elementi ad ſuum naturalem terminũ eſt à motu alterius elementi ad ſuum etiam terminum naturalem formaliter diſtinctus, quia licet vterq; ſit motus ſurſum vel deorſum, terminus differt in ratione motus naturalis. Differentia autem termini in ratione magis propinqui, vel diſtantis non ſufficit diuerſificare motum, ſicut non eſt diuerſus formaliter motus lapidis deſcendentis per aerem vſque ad mediam illius regionem, & ibi detenti, & alterius lapidis deſcendentis vſque ad terram, quia vterque talis motus eſt naturalis, & per ſe tendens in centrum, & vterque talis terminus non vltimatus motus, & ſolum materialiter diſtinctus, ſicut etiam idem formaliter eſt motus ab albo in fuſcum, & ab albo in nigrum, quia fuſcum eſt terminus non vltimatus talis motus, & ſi in illo per accidens motus ſiſtat, materialiter

ter

ter talis illius terminus à termino vltimato diſtinguitur, ac denique motus violentus lapidis vſque ad mediam regionem aeris non diſtinguitur formaliter à motu violento ipſius lapidis vſque ad alium locum ſuperiorem, quia ea differentia termini ſolum eſt materialis, ſicut & differentia termini motus progreſſiui penes magis, vel minus diſtantem; ac perinde nulla talis differentia diuerſificat formaliter motum.

QVÆSTIO IV.

Quid requiratur ac vnitatem numericam motus?

DIco primo. Ad vnitatem numericam motus requiritur vnitas numerica mobilis, vnitas temporis, & vnitas ſpecifica termini ad quem. Concluſio cum Philoſopho eſt omnium communis & probatur. Quia cum motus ſit ens ſucceſſiuum, eius numerica vnitas in illius continuatione conſiſtit. Sed ad illius continuationem hæc tria requiruntur. Ergo ad illius vnitatem numericam. Minor quoad ſingulas partes probatur. Quoad primam quidem. Tum generali ratione, quia cum motus ſit accidens, & cum omne accidens indiuiduetur à ſubiecto, ſicut nullum aliud idem numero accidens poteſt el-

debet eſſe eiuſdem ſpeciei, debet etiam eſſe idem numero, quia duo accidentia ſolum numero diſtincta non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto.

3 Dico tertio. Ad vnitatem numericam motus requiritur vnitas agentis totalis, non tamen vnitas agentis, ſeu motoris in eſſe entis. Explicatur & probatur concl. quia cum motus identificetur cum actione, licet non formaliter ſub ratione motus, ſed ſub ratione actionis reſpiciat agens, materialiter tamen quidquid requiritur ad vnitatem numericam actionis, requiritur & ad vnitatem numericam motus. Sed ad vnitatem numericam actionis non requiritur vnitas omnimoda agentiũ etiam in eſſe entis, cum plura poſſint partialiter concurrere ad eandem numero actionem, ſicut cum plures partialiter mouent nauim; requiritur tamen vnitas agentis totalis, cum idem numero effectus non poſſit à pluribus cauſis totalibus prouenire. Eadem igitur vnitas agentis, ſeu motoris ſaltem materialiter requiritur ad vnitatem numericam motus.

4 Dico quarto. Ad vnitatem numericam motus non requiritur vnitas numerica ſpacij. Ita noſter Author quæſt.3. huius lib.a 2. Idque probat ex Philoſoph. tex.32. huius libri dicente, quod ſi citharedus poſt primam cordam ſonet vltimam, ſine medijs, erit vnus ſonus licet ſpacia non ſint continua. Idemque confirmat alijs exemplis, quia ſi quis tranſit torrentem

tem per lapides parum diſtantes, continuum facit motum, & cum quis deambulat per pauimentum quadrato lapide ſtratum continue mouetur, licet lapides ipſius ſpacij non ſint continui, ac denique lapis continuo, & vnico numerice motu deſcẽderet à cælo vſque ad terram, quamuis ſpacium, per quod tranſit vtpote ex corporibus non continuatis, non ſit materialiter idem numero. Et ratio eſt manifeſta, quia partes motus non continuantur per continuatiua ſpacij, ſed per mutata eſſe, per id videlicet quod mobile aliter, & aliter ſe habeat in diuerſis partibus ſpacij.

§ Aduerſus primam concluſionem obijcies primo, quod cum canis, vel aliud viuens deſcendens à turri in medio deſcenſus moritur, non eſt idem numero mobile, vtpote quod in principio motus informatur forma viuentis, & poſtea forma cadaueris. Et tamen totus illius motus à turri vſque ad terram eſt idem numero. Ergo ad vnitatem numericam motus requiritur vnitas numerica mobilis. Minor probatur, quia talis motus omnino eſt continuus, ſiquidem nulla quiete interrumpitur, aut diſcontinuatur. §. Reſpondetur negando minorem. Et ad probationem negatur etiam minor: talis enim motus diſcontinuatur per quietem negatiuam, quia in illo inſtanti, in quo eſt verum dicere, nunc non eſt forma viuentis, & immediate ante hac erat, & eſt verum dicere, nunc

eſt

eſt forma cadaueris, & ante non erat, iam quieſcit negatiue viuens, quia cum aliquid non eſt, negatiue quieſcit, quatenus tunc non poteſt moueri, & ſimiliter quieſcit negatiue cadauer, quia cum nullius rei motus poſſit incipere per primum ſui eſſe, in primo inſtanti in quo incipit eſſe cadauer, quieſcit negatiue quatenus in illo non poteſt moueri,

6 Aduerſus hanc tamen ſolutionem inſtabis, motum tunc viuentis, & cadaueris eſſe continuum. Ergo eundem numero motum. Antecedens probatur, quia in illo inſtanti in quo primum eſt verum dicere, quod non eſt viuens, ſed eſt cadauer, verificatur, quod immediate ante illud fuerit motus viuentis, & immediate poſt illud erit motus cadaueris. Ergo talis vtriuſque mobilis motus eſt continuus. Probatur conſequentia, quia ideo motus cuiuslibet vnius corporis eſt continuus, quia in quolibet illius inſtanti verificatur, quod immediate ante illud mouebatur tale corpus, & immediate poſt illud mouebitur. Ergo ſi idemmet reſpectu motus prædictorum duorum corporum verificatur in illo inſtanti, motus vtriuſque talis corporis eſt omnino continuus.

Reſpondetur, quod ad continuitatem motus non ſufficit quod immediate ad aliquod inſtans præceſſerit, & ſequatur motus, ſed requiritur, quod illi inſtanti correſpondeat mutatum eſſe mobilis,

quia partes motus non continuantur, niſi per mutata eſſe; & illi inſtanti, quod eſt primum non eſſe viuentis, & primum cadaueris neutrius talis mobilis correſpondet mutatum eſſe, non quidem viuentis, quia quod non eſt non habet mutatum eſſe, nec cadaueris, quia quod nondum incepit moueri, non habet mutatum eſſe, & ſic talis vtriuſque corporis motus non eſt continuus. §. Nec valet dicere, quod in illo inſtanti terminatur motus viuentis. Ergo per mutatum eſſe illius, omnis enim motus terminatur per mutatum eſſe mobilis. Non, inquam, id valet, quia licet motus qui permanente mobili terminatur, debeat terminari per mutatum eſſe ipſius mobilis: non tamen motus qui terminatur per non eſſe ipſius mobilis: talis enim motus ſolum deſinit per accidens ad deſitionem mobilis, & ita non terminatur per mutatum eſſe, ſed negatiue per non eſſe mobilis, nec habet per quod cum alijs partibus motus continuetur; quia continuatiuum motus debet eſſe mutatum eſſe eiuſdem mobilis, quod per priorem, & ſubſequentem partem motus moueatur.

7 Secundo principaliter obijcies, ſimulque aduerſus prædicta inſtabis; quod ſi aliquod viuens exiſtens in naui ad motum nauis moueatur, & in medio motus nauis moriatur, non ſolum motus nauis erit vnus, & continuus, ſed etiam motus omnium, quæ per accidens mouentur ad motum nauis. Et tamen reſpectu talis motus

tus per accidens non eſt idem numero mobile, ſiquidem in principio motus erat viuens, & poſtea cadauer. Ergo iam ad vnitatem talis motus non concurrit vnitas numerica mobilis. Antecedens probatur, quia quæ mouentur per accidẽs ad motum alterius, tandiu continuate videntur moueri, quandiu continue mobile per ſe mouetur. Sed per id quod viuens exiſtens in naui moriatur, nullatenus motus nauis diſcontinuatur. Ergo nec motus eorum, quæ per accidens ad motum nauis mouentur. §. Confirmatur ex oppoſito, quia ſi canis è turri deſcendens, qui in medio motus moritur, portet tot quem, ad motum ipſius canis mouetur & torquis, & mouetur motu continuo vſque ad terram. Ergo & motus canis, & cadaueris vſque ad terram eſt continuus, quantumuis mobile per ſe non ſit idem numero. Conſequentia patet, quia quod mouetur per accidens ad motum alterius, non poteſt moueri continue, niſi motus mobilis per ſe, ad cuius motum mouetur, ſit omnino continuus ſicut enim continuatio motus mobilis per ſe facit mobile per accidens continue moueri: ita & quælibet diſcontinuatio motus, aut quies mobilis per ſe facit, motum mobilis per accidens diſcontinuati, & illud quieſcere. Antecedens autem probatur, quia in illo inſtanti, quod eſt primum non eſſe canis, & primum eſſe cadaueris, non ſolum verificatur, quod torques immediate ante illud per accidens mouebatur, &

immediate poſt illud per accidens mouebitur, ſed quod in eodem inſtanti eſt per accidens mutatum eſſe talis torquis, ſiquidem ad id non deficit ſubiectum, ſcilicet ipſe torques, cui tale per accidens mutatum eſſe competat. Ergo motus per accidens torquis in tali caſu eſt omnino continuus.

Reſpondetur ad argumentum, negando antecedens, quia licet continuato motu mobilis per ſe, continuetur, & motus eorum, quæ per accidens ad motum illius mouentur, ſi illa eadem numero perſeuerent: non tamen ſi mobile per accidens deſinat eſſe, & loco illius aliud diſtinctum mobile per accidens ſuccedat, quia tunc motus vt applicatus tali mobili per accidens diſcontinuatur per quietem negatiuam. §. Ad confirmationem reſpondetur, negando conſequentiam, licet enim quies priuatiua mobilis per ſe, cum per aliquam videlicet morulam temporis illius ceſſat motus, inferat neceſſario diſcōtinuationem motus mobilis, quod ad motum talis mobilis per ſe, mouetur per accidens. Quies tamen negatiua mobilis per ſe, & quæ ſolum contingit per non exiſtentiam mobilis, & immediate ſuccedit aliud mobile per ſe, vt in caſu in argumento adducto, non neceſſario infert diſcontinuationem motus corporis, quod ad motum talium mobilium mouetur per accidens, quia ſi illud idem numero perſeueret in motibus talium mobilium, mo-

tus

tus per accidens illius erit continuus, quia manet idem mobile per accidens, cui competat mutatum eſſe, in illo inſtanti in quo eſt verum dicere, quod primum mobile per ſe iam non eſt, & ſecundum tunc eſt, & ante non erat.

8 Obijcies tertio, quod idem eſt numero motus, quo mouetur virga, cuius medietas eſt viridis & altera ſicca. Et tamen non eſt idem numero mobile. Quia cum forma diſtinctæ ſpeciei informetur viridis pars virgæ, ac pars illius ſicca, non poteſt vtraque pars continuari, ac perinde nec vnam numero componere virgam. §. Reſpond. re vera non eſſe in tali caſu eandem numero virgam, nec partem viridem, & ſiccam re vera continuari, quia vt docet Ariſtotil. hic, ea quæ ſunt diuerſæ ſpeciei, continuari non poſſunt. Vnde quamuis ad ſenſum videatur, talem partem viridem, & ſiccam continuari, ſicut ad ſenſum videtur, partes tabulæ glutino coniunctas continuari, quia ita iunguntur, quod facilius ſit par alias partes, quam per illam iuncturam tabulam frangi, tamen re vera ita non eſt. Et ita pars viridis, & ſicca vt duo còrpora contigua, ſimul non eodem, ſed diuerſo numero motu mouentur, licet ad ſenſum videantur eodem motu moueri.

9 Obijcies quarto, quod motus non poteſt indiuiduari par tempus, cum reſpectu motuum inferiorum ſit quid extrinſecum, & à motu primi mobilis potius ipſum

ſum tempus indiuiduetur. Nullius igitur motus indiuiduatio, & vnitas numerica ab vnitate temporis numerica deſumitur. §. Reſpond. quod licet motus non indiuiduetur à tempore, ab vnitate tamen numerica temporis tanquã à ſigno colligitur vnitas motus. Ab vnitate, inquam, numerica temporis, non quidem quod ipſum tempus in ſe ſit vnum numero: nam cum totum tempus à principio vſque ad finem mundi ſit continuum, totum illud eſt vnum numero tempus, ſed cũ vt motus ſit vnus numero, requiritur, quod ſit continuus, requiritur, quod in tẽpore quo durat motus, non ſit ſignabilis aliqua pars temporis, cui non correſpondeat aliqua pars motus, nec ſit ſignabile aliquod inſtans temporis, cui non correſpondeat aliquod mutatum eſſe mobilis, quod per talem motum mouetur: ſi enim quomodolibet interrumpatur motus, eius interrumpitur intrinſeca duratio, & non cuilibet parti temporis correſpondet pars motus, vel ſaltem non cuilibet inſtanti temporis correſpondet mutatum eſſe mobilis.

10 Vltimo obijcies, quod motus rectus, & circularis poteſt eſſe idem numero motus, quia poteſt eſſe continuus, vt ſi aliquid moueatur per arcum, & chordam illius, & tamen in illo motu non eſt vnitas ſpecifica termini ad quem, ſicut nec vnitas ſpecifica motus. Non igitur ad vnitatem numericam motus requiritur vnitas ſpecifica termini ad quem. Nec eſt verum, quod

quod ea quæ ſunt diuerſæ ſpeciei non poſſunt continuari. §. Confirm. nam cum pila motu violento ſurſum aſcendit verſus tectum, & per repercuſionem deſcendit, aſcenſus,& deſcenſus illius eſt vnus numero motus, ſiquidem continuatur & nulla interrumpitur quiete, & tamen non eſt idem ſpecifice terminus, nec idem ſpecifice motus, cum aſcenſus ſit motus ſurſum & deſcenſus motus deorſum: ergo ad vnitatem numericam motus non exigitur vnitas ſpecifica termini.

Reſpondetur ad argumentum cum ſua confirmatione, quod in neutro tali caſu eſſet idem numero motus, ſed interrumperetur per aliquam licet breuiſſimam & imperceptibilem quietem: non enim ſolum in tranſitu per arcum ad chordam, & in repercuſione pilæ interuenit aliqua quies negatiua per vnicum inſtans, ſed per breuiſſimam morulam temporis,licet illa, vt diximus,ſenſibus non percipiatur,& ita tales motus non continuantur.

QVÆSTIO V.

A quo deſumatur contrarietas motuum?

LAre de hoc diſſerit Ariſtot. c.5. huius libri & cum illo noſter auth. quæſt.4. breuiter tamen hanc difficultatem reſoluemus,

mus, in qua vnum ſupponimus ſcilicet dari aliquos motus contrarios & in eodem ſubiecto ſimul incompatibiles, vt calefactionem & frigefactionem, ſicut etiam dantur motus per ſe ordinati, vt alteratio ordinatur ad generationem vel augmentationem, & dantur motus diſparati, vt calefactio & albefactio. Et hoc ſuppoſito inquirimus, à quo in motibus inter ſe contrarij eorum contrarietas deſumatur. Et quia non ſolum motus, ſed quieti contrariatur, & quies alteri quieti opponitur, de hac etiam oppoſitione & contrarietate breuiter in hac q. dicemus,

2 Dico igitur primo, contrarietas motuum formaliter primo & per ſe deſumitur excontrarietate terminorum, ad quos, & cauſaliter excontrarietate terminorum à quibus, & excontrarietate medij ſeu ſpacij per quod fit motus. Vtraque pars concluſionis deducitur ex his, quæ de ſpecificatione motus diximus quæſt. 3. huius lib. quia cum vnumquodque ei cui contrariatur ratione ſuæ naturæ & ſpeciei cõtrarietur, ab omni principio vnumquodque; accipit ſuam contrarietatem cum alio, à quo accipit ſuam naturam & ſpeciem, ſecundum quam alteri opponitur & contrariatur. Sed vt in eadem q. oſtendimus motus formaliter & per ſe à ſuo termino ad quem accipit naturam & ſpeciem & cauſaliter aliquando à termino à quo, & ab ſpacio aut medio per quod fit, ſecundũ quod diuerſitas termini à quo & ſpacij in

ip-

ipſum terminum ad quem refunditur. Ab eiſdem igitur principijs & eodem modo accipit motus ſuam contrarietatem, ita, vt quicumque motus ſunt inter ſe contrarij eo ſint contrarij, quia termini ad quos terminantur, formaliter vt termini illorum ſunt, contrarietatem inter ſe habent, licet aliquando ipſorum terminorum contrarietas ex terminis à quibus prædictorũ motuum cauſaliter deſumatur, vt motus ab albo in fuſcum, & à nigro in fuſcum ſunt contrarij, quia idemmet fuſcum, vt comparatur nigro, accipitur vt nigrum, & vt comparatur nigro, accipitur vt album; ac perinde idemmet fuſcum formaliter vt terminat motum ab albo, & vt terminat motum à nigro ſibimet ipſi eſt cõtrarium, & tales duos motus formaliter ex termino ad quem, & cauſaliter ex terminis à quibus accipiunt inter ſe contrarietatem.

3 Dico ſecundo. Motus quilibet contrariatur quieti, non quidem illi, quæ eſt ſub termino ad quem, ſed ei, quæ eſt ſub termino à quo, vt motus calefactionis cõtrariatur, & opponitur quieti, quam habet mobile ſuo termino à quo, & vt eſt frigidum: non autem quieti, quæ eſt terminus motus calefactionis, & vt mobile ſuo termino ad quem habet eſſe calefactum. Ita noſter Author in prædicta quæſtione concl.6. & probat primam huius concluſ. partem quia ea quæ inter ſe contrariantur, & opponuntur, non ſimul acquiruntur, ſed potius acquiſitio vnius eſt deperditio

 alte-

alterius: ſed motus, & quies quæ eſt ſub termino ad quem ſimul acquiruntur, imò ipſe motus eſt acquiſitio quietis, quam habet mobile ſub termino ad quem: nihil enim aliud eſt aliquid calefieri, quam acquirere ipſum calefactum eſſe. Ergo motus non proprie contrariatur quieti, quã acquirit mobile ſub termino ad quem, licet multum improprie poſſet dici, quod opponitur illi & eſt cum illa in compatibilis, quatenus non poteſt intelligi quies mobilis ſub termino ad quem vſque dum ceſſet, & finiatur motus. §. Secunda autem pars concl. patet quia per motum expellitur à mobili quies, quam habet ſub termino á quo, & motus omnis ad id tendit, vt quietem, quam habet mobile ſub termino à quo, expellat & deſtruat. Ergo tali quieti motus contrariatur.

4 Dico tertio, quies quam habet mobile ſub termino à quo contrariatur quieti, quam habet ſub termino ad quem. Probatur manifeſte, quia motus v.g. calefactionis, & frigefactionis contrariantur penes terminos ad quos, calidum videlicet & frigidum eſſe. Ergo cum in terminis eiuſdem motus calefactionis mobile ſub termino à quo eſt frigidum, & ſub termino, à quo eſt calidum, illius quies ſub termino à quo contrariantur, & opponitur eius quieti ſub termino ad quem.

5 Nihil amplius ſpeciale contra hoc occurrit dicendum, quia cum hic non loquamur de contrarietate motuum, omni-

mode

mode proprijs, & rigurose accepta contrarietate, qualis ſolum reperitur inter qualitates, ſed de contrarietate pro incompoſſibilitate inter aliqua poſſitiua, quæ habent ſufficientem latitudinem ad motum. Huic reſolutioni non obſtat, quod plures ſunt motus contrarij, qui ſuam contrarietatem accipere nequeunt ex contrarietate ſuorum terminorum, quia illi contrarij non ſunt, vt motus augmenmentationis, et diminutionis, qui cum terminentur ad quantitatem, cui nihil eſt contrarium, non videntur habere terminos contrarios; ac perinde nec ab illorum contrarietate ſuam poſſe accipere contrarietatem. Non, inquam, id obſtat, quia quantitas maior, et minor ad quam augmentatio, et diminutio terminatur, licet non omnino proprie contrarientur, ſufficienter tamen opponuntur, vt ex earum oppoſitione contrarietas ipſorum motuum deſumatur.

LIBER SEXTVS Phiſicorum.

Summa textus.

IN primo cap. oſtendit Ariſt. continuum non componi ex indiuiſibilibus, ſpecialiterque id de motu, & tempore demonſtrat. §. In ſecundo cap. oſtendit amplius ab inconueniẽtibus continuum ſolis indiuiſibilibus non conſtare, ſed quodlibet componi ex partibus diuiſibilibus. §. In tertio aſſerit inſtans temporis eſſe indiuiſibile continuatiuum partis temporis præteritæ & futuræ, & quod in inſtãti non poteſt fieri motus.

§. In quarto duplicem adſtruit diuiſibilitatem motus, alteram ad diuiſionem mobilis, alteram ad diuiſibilitatem temporis. §. In quinto, & ſexto capite ait, inter partes motus dari mutatum eſſe, & infine motus; non temen in initio motus, colligit-

gitque motum incipere per vltimum ſui eſſe. §. In cap. ſeptimo oſtendit mobile, tempus, motum & magnitudinem ſpacij ſuper quod fit motus ſecundum finitatem, aut infinitatem proportionari. §. In cap. octauo probat quietem quatenus eſt priuatio motus, eſſe in infinitum diuiſibilem. §. In nono denique & decimo cap. errores Philoſophorum circa prædicta proponit, eos refutat, eorumque fundamentis occurrit.

QVÆSTIO I.

Vtrum continuum componatur ex indiuiſibilibus?

Continuum componi ex indiuiſibilibus nihil eſt aliud, quam quod illud ſolis indiuiſibilibus conſtet, & in illo eius vltima fiat reſolutio: quodlibet enim ex his componitur, in quæ vltimo reſoluitur. Si enim continuum haberet partes diuiſibiles, quæ quantumuis diuiderentur in partes adhuc diuiſibiles, & non indiuiſibilia diuidantur, illud re vera ex talibus partibus diuiſibilibus & non ex indiuiſibilibus earundem partium terminatiuis, aut continuatiuis componeretur. Perperam perinde aliqui ad hanc quæſt. aliam vt ab illa diſtinctam præmittunt, an in continuo ſint partes diuiſibiles. Si enim

illæ ſint, ex illis vtique cōponitur. Quæſtio autem iſta de multiplici continuo poteſt procedere, de motu videlicet, an indiuiſibilibus mutatis eſſe, & de tempore, an indiuiſibilibus inſtantibus; & de linea, an indiuiſibilibus punctis; et de ſuperficie, an lineis ſecundum latitudinem indiuiſibilibus, ac denique de corpore, an ſuperficiebus ſecundum profunditatem indiuiſibilibus componatur. De linea tamen ſolum loquemur, vt exinde, quid de alijs ſit ſentiendum, deducatur.

2 Dicendum eſt, continuum non componi ex indiuiſibilibus. Oppoſitum tenuerunt aliqui Ariſt. antiquiores, paucique alij illo iuniores, inter quos Ioannes Hus, qui ob id de errore in Philoſoph. in Concil. Conſtantienſi Seſſ. 15. notatur. Sed concluſionem cum ipſo Ariſtot. & D. Thom. et communi ſententia docet noſter Author quæſt. 1. huius libri.

3 Probatur primò, quia neceſſe eſt, quamlibet quantitatem continuam habere magnitudinem aliquam et extenſionem. Sed ſi componeretur ex indiuiſibilibus, nullam prorſus magnitudinem, aut extenſionem haberet. Non igitur componitur ex indiuiſibilibus. Minor probatur, quia ſi continuum componeretur ex ſolis indiuiſibilibus præterquam quod, vt poſtea oſtendemus, illa non poſſent eſſe continuata, imò nec proprie poſſet vnum alterum tangere, eo modo quo talia indiuiſibilia

eſſent

eſſent ſimul et ſe tangerent, vtique ſecundum ſe tota ſe tangerent, ſiquidem cum quodlibet indiuiſibile non habeat partes, nec vltimum, et non vltimum, indiuiſibilia ſe tangunt ſecundum ſe tota. Ergo ex ſolis indiuiſibilibus nulla poteſt reſultare magnitudo, aut extenſio. Antecedens ſatis manet in illius propóſitione probatum. Conſequentia autem probatum. Tum, quia quæ ſe tangunt ſecundum ſe tota, nullam faciunt extenſionem, aut magnitudinem. Sicut illam non facerent lapides. v.g. in ædificio collocari, ſi vnus alterum ſecundum ſe totum tangeret. Et ideò re vera faciunt extenſionem et magnitudinem, quia vnus lapis non ſecundũ ſe totum, ſed ſecundum vltimam ſuperficiem alterum lapidem tangit. Ergo ſi indiuiſibilia, ex quibus ſolis componeretur continuum, ſe tangerent ſecundum ſe tota, compoſitum ex illis reſultans nullam prorſus haberet magnitudinem aut extẽſionem. Tum etiam, quia omnia talia indiuiſibilia adinuicem quaſi penetrarentur, nec omnia ſimul, quam quodlibet illorum, maiorem occuparet locum. Ergo cum quodlibet illorum ſit indiuiſibile, et inextenſum, compoſitum etiam ex omnibus illis reſultans nullam haberet magnitudinem, aut extenſionem. Conſequentia patet. Nam ea quæ penetrantur, ſic ſimul pẽnetrata non maiorem occupant locum, quam quodlibet illorum. Ergo ſi omnia indiuiſibilia, ex quibus componeretur

con-

continuum, eſſent adinuicem,quaſi penetrata non maiorem ſic omnia ſimul,quam quodlibet illorum occuparent locum : ac perinde ſicut quodlibet illorum, quia eſt indiuiſibile, & inextenſum, nullam occupat locum diuiſibilem, & extenſum, ita & omnia ſimul non occuparent locum diuiſibilem, & extenſum, ac per conſequens nullam haberent magnitudinem, aut extenſionem, quia quod illam habet, vere occupat locum diuiſibilem, & extenſum. Antecedens autem probatur, nam licet proprie talia indiuiſibilia non penetrarentur (quia penetratio ſolum proprie poteſt competere diuiſibili quantitati) quoad id tamen quod eſt non maiorem locum occupare omnia talia indiuiſibilia, quam quodlibet illorum, haberent ſe ac ſi proprie penetrarentur, quia ſe tangerent ſecundum ſe tota.

4 Nec valet dicere, quod licet diuiſibilia, ſi darentur, & ſecundum ſe tota ſe tangerent, penetrarentur, & non maiorem nec diſtinctum ſimul, quam quodlibet illorum occuparent locum, indiuiſibilia tamen etiam ſi ſecundum ſe tota ſe tangerēt, non penetrarentur, ſed maiorem ſimul quam quodlibet illorum occuparent locum, ſicut in oppoſita ſententia quamuis indiuiſibile continuatiuum, vel terminatiuum partis diuiſibilis ſecundum ſe totum illam tangat, non penetratur cum illa. §. Non, inquam, id valet, quia quamuis indiuiſibile ſecundum ſe totum

tan-

tangat partem diuiſibilem, nõ tamen adæquate, & ſecundum ſe totam illam, ſed in adæquate illam tangit, licet ipſum indiuiſibile, quia nullam extenſionem addit ad partem, per accidens, ideſt per ipſam partem ſit in eodem illius loco, plura tamen indiuiſibilia ſi darentur immediata (vt neceſſario deberent dari, ſi continuũ ex indiuiſibilibus componeretur) cum nullum illorum haberet partes, adæquate adinuicem ſe tangerent ſecundum ſe tota; & non maiorem omnia ſimul, quam qudlibet illorum occuparent locum.

5 Secundo probatur concluſio, quia ſi continuum componeretur ex indiuiſibilibus, ſequeretur, non maiorem magnitudinem, aut extenſionem habere continuũ, verbi gratia compoſitum ex vndecim indiuiſibilibus, quam illud quod ex decem componeretur. Conſequens autem non compatitur cum compoſitione continui ex indiuiſibilibus, & quod ex illis reſultet extenſum: quodlibet enim ſi ex his ex quibus componitur, reſultat extenſum, ſi ei addatur aliquod ſimile, neceſſe eſt, quod reſultet magis extenſum. Sequela autem probatur, quia illud vndecimum indiuiſibile, quod alijs decem additur indiuiſibilibus, eſt in extenſum. Ergo additum præexiſtentibus non poteſt facere compoſitum ex illis reſultans magis extenſum. Quod enim in ſe nullam habere extenſionem quomodo poteſt illam alteri tribuere, illudque facere extenſum, aut

ma-

magis extenſum. Vnde hinc ortum habuit commune proloquium, quod indiuiſibile additum indiuiſibili non facit maius.

§. Nec valet dicere, quod licet illud vltimum indiuiſibile ſecundum ſe ſit inextenſum; vt coniungitur tamen cum alijs indiuiſibilibus, facit continuum ex illis reſultans magis extenſum, quam eſſet abſq; illo. §. Non, inquam, valet, quia pars diuiſibilis quãta vt vlna per id quod, alijs vlnis coniungatur, nullam prorſus maiorem compoſito ex illis reſultanti tribuit extenſionem, quam ipſa vlna ſecundum ſe, & vt ſeparata ab alijs extenſionem habeat. Ita vt ſi corpori habenti extenſionem duplicis vlnæ, tertia ei vlna ſuper addatur, ſolum ſit ſecundum vnam vlnam magis extenſum, quam antea. Ergo ſi indiuiſibile ſecundum ſe nullam habet extenſionem ex coniunctione ad alia indiuiſibilia, imò ad alia diuiſibilia, non facit compoſitum ex illis reſultans magis extenſum, quam ſi ad compoſitionem, vel terminationem partium illius tale indiuiſibile nullatenus adiungeretur.

6 Obijcies tamen, quod inſtans temporis additum tempori reddit illud longius, & maioris extenſionis ac longitudinis. Falſum igitur eſt, quod indiuiſibile additum quibuslibet partibus, vel indiuiſibilibus continui nõ reddat illud longius ac magis extenſum. Antecedens probatur, nam res durans ſolum v.g per totam horã, & in inſtanti terminatiuo illius horæ iam

non

non durans, vtpote quæ deſinat per primũ ſui non eſſe, & in tali inſtanti verificetur, quod talis res non eſt, & immediate ante illud erat, minus duraret, quam res quæ etiam per illud duraret inſtans, & de qua vtpote deſinente per vltimum ſui eſſe, in illo inſtanti verificaretur, quod tunc eſt, & immediate poſt non erit: & talis res ſolum excederet priorem in duratione vnius inſtantis. Ergo vnicum inſtans additum tempori facit illud maius, longius, & magis extenſum.

Reſpondetur negando antecedens, & ad probationem negatur conſequentia, quia cum duratio rerum permanentium poſſit eſſe non ſolum ſucceſſiua, ſed inſtantanea, & durare poſſit non ſolum in tempore, ſed in inſtanti, res quæ ſolum aliquo tempore durat, & non pro inſtanti illius terminatiuo minus durat, quam res, cuius duratio ad illud etiam protrahitur inſtans, & non ſolum toti tali tempori, ſed & illius inſtanti continuatiuo coexiſtit. Tempus autem nec redditur longius, aut magis extenſum per inſtans illius terminatiuum, imò nec pars temporis per id quod terminetur inſtanti, magis durat, quam ſi per impoſſibile tali inſtanti non terminaretur, quia non poteſt habere durationem inſtantaneam, ſed ſucceſſiuam, & in inſtanti quo terminatur, ſemper verificatur, quod talis pars temporis iam non eſt, & ita per inſtans terminatiuum partis temporis illa non redditur ma-

magis lõga magis extẽſa aut magis durãs.

7 Tertio probatur concluſio, quia ſi continuum componeretur ex indiuiſibilibus, eo ipſo non eſſet continuum. Implicat ergo, quod continuum componatur ex indiuiſibilibus. Antecedens probatur, quia continuum eſt, cuius partes ſunt continuæ ſeu continuatæ. Sed ſi continuum componeretur ex indiuiſibilibus, illius partes, talia videlicet indiuiſibilia, non eſſent continuatæ. Ergo contradictionem implicat, aliquid eſſe continuum, & illud componi ex indiuiſibilibus. Minor probatur, quia continua ſunt, quorum vltima ſunt vnum, hoc eſt, quod vltimum vtriuſque rei quæ continuantur, ſit vnum illas vniens & vt nexus & vinculum vtriuſque illas coniungens. Sed indiuiſibilia non poſſent eſſe quorum vltima eſſent vnum. Tum, quia cum quodlibet illorum eſſet indiuiſibile nullum illorum haberet vltimũ, & nõ vltimum. Ergo talia indiuiſibilia nõ eſſent continuata. Tum vel maxime, quia ex talibus indiuiſibilibus non vniretur vnum alteri immediate, & abſque aliquo medio per modum actus & potentiæ, ſicut immediate vnitur materia, & forma, quia cum omnia talia indiuiſibilia ſint omnino e iuſdem rationis, non eſſet cur vnum reſpectu alterius ſe haberet per modum actus, & aliud per modum potentiæ, nec vnirentur medio aliquo vinculo ab ipſis indiuiſibilibus diſtincto, quia cum illud non poſſet eſſe, niſi aliud indiuiſibile

eiuſ-

eiuſdem rationis cum illis, non eſſet, cur magis illud eſſet medium, & vinculum vniens, & alia indiuiſibilia eſſent extrema per illud vnita. Nullatenus igitur talia indiuiſibilia eſſent inter ſe vnita, & continuata, ac perinde non compoſitum ex ſolis illis reſultans poſſet eſſe continuum.

8 Quarto probatur concluſio, quia ſi continuum componeretur ex indiuiſibilibus: idem ſpacium æquali temporis morula mobile tardiſſimum, & velociſſimum pertranſiret. Conſequens experientiæ & rationi aduerſatur. Ergo: ſequela probatur, nam ſi ſpacium componatur ex decem v.g. indiuiſibilibus, illud vtrumque tale mobile non pluribus aut paucioribus, quā decem inſtantibus, ac perinde æquali temporis mora tranſiret, nam quodlibet indiuiſibile ſpacij neutrum mobile nō minus, nec plus quam vnico inſtanti tranſiret, quia cum inſtans ſit indiuiſibile, non poteſt aliquid minus, quam in vno inſtanti pertranſiri, nec poſſet in duobus, vel pluribus inſtantibus per tranſire vnum indiuiſibile ſpacij, quia in quolibet inſtanti, vel totum indiuiſibile ſpacij, vel nihil illius pertranſitur.

9 Vltimo probatur concluſio, quia ſi continuum componeretur ex indiuiſibilibus, non poſſet fieri rarefactio abſque acquiſitione nouæ partis quantitatis, nec cōdenſatio abſq; deperditione alicuius partis quantitatis. Conſequens aduerſatur naturæ rarefactionis, & condenſationis de-

illius

illius enim ratione eſt, quod quãtitas præexiſtens abſque acquiſitione nouæ quantitatis extendatur, fiat maior, maioremque occupet locum. De ratione autem condeſationis eſt, quod abſque deperditione alicuius partis quantitatis, quantitas præexiſtens conſtringatur, fiat minor, minoremq; occupet locum. Sequela probatur. Quia quantitas compoſita, verbi gratia, ex tribus indiuiſibilibus, occuparet tria indiuiſibilia loci, nec poſſet amplius aut minus occupare: quodlibet enim indiuiſibile quantitatis non poſſet amplius aut minus quam aliquod indiuiſibile loci occupare. Ergo talis quantitas non poſſet rare fieri maioremque occupare locũ, niſi ei alij quod indiuiſibile (quod in ſentẽtia, quam impugnamus, eſſet pars quantitatis) de nouo ſuperaddatur. Et eadem ratione probatur, quod non poſſet condenſari talis quantitas abſque de perditione alicuius ſuæ partis, quia per tria ſua indiuiſibilia, ex quibus componeretur, non poſſet minus quam tria indiuiſibilia loci occupare, ac perinde vt fieret minor, minoremque occuparet locum, deberet deperdere aliquod ex ſuis indiuiſibilibus, quod eſſet deperdi aliquam partem ipſius quantitatis.

10 Obijcies primo, quod in continuo neceſſe eſt dari indiuiſibilia. Sed illa sũt ſibi immediata ita vt inter indiuiſibile & indiuiſibile non mediet aliqua pars diuiſibilis: ergo continuum ex ſolis inddiuiſibilibus componitur. Bonitatem huius con-

conſequētiæ manifeſte vidit Philoſophus, qui vt adſtrueret continuum non componi ex indiuiſibilibus, cap. 1. huius lib. tex. 2. aſſerit, in continuo indiuiſibilia non poſſe eſſe immediata, dicens. *At verò neque conſequenter erit punctum ad punctum aut ipſum nunc ad nunc ipſum, vt ex his ſit longitudo aut tempus: conſequenter enim ſunt, intra quæ nihil eſt eiuſdem generis, inter autem puncta ſemper eſt linea, & inter ipſum nunc eſt tempus.* Minor autem probatur. Quia vt indiuiſibilia cōtinui nō eſſent immediata, ſed inter illa mediaret aliqua pars diuiſibilis, deberet indiuiſibile ipſam tangere partem diuiſibilem. Sed illam tangere nequit: ergo indiuiſibilia continui ſunt ſibi immediata. Minor probatur. Quia inter contingens & contactum debet eſſe proportio, ob cuius defectum quantitas diuiſibilis non poteſt contingere Angelum aut aliam ſubſtantiam ſpiritualem & indiuiſibilem: ergo defectu eiuſdem proportionis punctum indiuiſibile non poteſt tangere partem diuiſibilem.

Confirmatur primo, quia poſt primum punctum indiuiſibile initiatiuum lineæ & quodlibet aliud indiuiſibile, vel nihil mediat, vel mediat aliqua pars diuiſibilis. Si primum, habetur intentum, quod indiuiſibilia ſunt ſibi immediata. Si verò dicatur ſecundum, talis pars diuiſibilis nullis in diuiſibilibus continuabitur, ſiquidem mediat inter primum indiuiſibile & omnia alia indiuiſibilia. §. Confirma-

matur ſecundo, quia ſi baculus vſque ad ſui medietatem ſit intra aquam, ex parte loci illum ambientis correſpondebunt duę ſuperficies immediate contiguæ aeris & aquæ: ergo in ipſo baculo erunt duæ ſuperficies immediatæ, quę talibus immediatis ſuperficiebus loci reſpondeant: ac perinde in continuo dantur immediatæ ſuperficies indiuiſibiles ſecundum latitudinem.

11 Reſpondetur ad argumentum, negando minorem, & ad probationem, negatur etiam minor. Ad cuius probationem dico, quod indiuiſibile terminatiuum, vel continuatiuum diuiſibilis partis continuæ non tangit adæquatæ, ſeu in adæquate ipſam partem. Et non obſtat indiuiſibilitas v.g. puncti, vt partem diuiſibilem lineæ inadæquate, & non ſecundũ totam illam tangat, obſtaretque ſolum vt adæquate, & ſecundum totam illam eam tangeret.

Ad primam confirmationem reſpondetur, quod licet inter primum punctum initiatiuum lineæ, & quodlibet aliud illius indiuiſibile mediet diuiſibilis pars lineæ; tamen cum illa ſit diuiſibilis in ſemper diuiſibilia, & habeat infinitas partes ſuis indiuiſibilibus, continuatas, nunquam poterit ſignari poſt primum punctum lineæ pars diuiſibilis, quæ plura in ſe indiuiſibilia non contineat, licet non ſecundum illa, ſed ſecundum ſe ipſam immediate tali primo indiuiſibili coniungatur.

§. Ad

§. Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, in baculo, ſicut in quolibet alio continuo, non dari duas ſuperficies immediatas. Sed in caſu confirmationis vnica illius ſuperficies reſpondebit duabus ſuperficiebus aeris, & aquæ, quæ cum indiuiſibiles, & immediatæ ſint, non occupant maiorem locum, quam vnica ſuperficies baculi, & ſic bene poteſt vtrique hæc correſpondere. Sicuti cum duo corpora ſunt contigua, licet vnum habeat ſuam ſuperficiem ſuperficiei alterius immediatã, vtrique tali ſuperficiei, quia ſecundum latitudinem indiuiſibilis eſt, vnica correſpondet ſuperficies aeris vtrumque tale corpus ambientis.

12 Obijcies ſecundo, quod poſſibile eſt, continuum in omnem ſuam diuidi partem. Ergo partes illius, in quæ vltimo diuiditur, & reſoluitur ſunt indiuiſibiles. Conſequentia patet, nam ſi partes in quas diuideretur continuum, eſſent diuiſibiles, illæ poſſent in alias diuidi partes, ac perinde illud non eſſet in omnem ſuam partem diuiſum. Ergo vt poſſit in omnem ſuam diuidi partem, debet ex indiuiſibilibus componi. Antecedens probatur. Tum, quia Deus cognoſcit diſtincte omnem partem continui. Ergo poteſt illud in omnem illam diuidere. Tum etiam, quia ſi ſuper vitrum perfecte planum tabula etiam perfecte plana ponatur, & ſuper illam magna aliqua moles æqualiter cadat, vitrum in omnem ſuã

diuidetur partem, cum non ſit maior ratio, quare magis in aliquas, quam in alias diuidatur. Et ſimiliter ſi in globo perfecte ſphærico cum æquali vndique groſitie, & duritie aqua æqualiter congeletur, globus, nedetur vacuum, in omnem ſuam diuidetur partem, cum non ſit, quare magis in aliquas quam in alias diuidatur.

Reſpondetur negando antecedens & ad primam probationem negatur conſequentia, quia de ratione partis continui eſt eſſe diuiſibilem in ſemper diuiſibilia, cum nulla illarum ex diuiſibilibus componatur, & quælibet pars infinitis partibus conſtet; & cum infinitum etiam de potentia Dei abſoluta non poſſit exauriri, & quibuslibet ab illo ſeparatis poſſunt alia & alia ſemper dari, quamuis Deus cognoſcat omnes partes continui, non poteſt in omnes illas illud diuidere.

§. Ad ſecundam probationem reſpondetur, quod in neutro caſu in illa aducto diuidentur illa continua in omnem ſuam partem, ſed ſi non ſit aliud à quo diuiſio magis per aliquas quam per alias partes determinetur, id ad authorem naturæ pertinebit determinare.

13 Obijcies tertio, quod ſi globus perfectè ſphæricus moueatur ſuper perfecte planum, ſolum illud tangeret ſecundũ aliquod ſui indiuiſibile, alias non eſſet perfecte ſphæricus, ſed planum in ea parte ſecundum quam tangeret alterum corpus planũ: ergo talis globus tangeret pla-

num

num in toto ſuo motu ſolum ſecundum punctum, ac perinde in linea quam ſuo motu faceret, eſſent indiuiſibilia ſibi immediata, illaque per conſequens ſolum componeretur indiuiſibilibus.

Reſpondetur primo, quod præter quã quod ſi globus moueretur ſuper ſpacium diuiſibile conſtans ex illo plano & aere circunſtante, ſuo motu non tangeret immediate planum; ſed per ſaltum in illo moueretur, tangendo ſolum indiuiſibilia illius & eius partes intactas relinquens, quod experientia conſtat in motu pilæ per terram, quæ per ſaltum & non omnes partes tangens ſpacij, per illud mouetur. Si autem globus ab aliquo perfecte planum manu veheretur, adhuc tunc licet minus perceptibiliter per ſaltus moueretur, & ſuo motu non faceret lineam, ſed puncta ſpacij, licet imperceptibiliter interrupta ſignaret. Et licet hoc videatur intellectu difficile, id eſt, quia punctum ſphærici globi conſideramus admodum cacuminis acus, quæ certe ſi protraheretur ſuper planum, faceret lineam; tamen re vera cum illud ſit quantum & diuiſibile eſt longe maius indiuiſibili puncto, & ſic poteſt tangere partes ſpacij quod punctum indiuiſibile facere nequit. §. Secundo reſpondetur, quod indiuiſibile, per quod globus tangeret planum; etiam in adæquate tangeret partes illius, ſicut quodlibet punctum continuatiuum vel terminatiuum lineæ

quantumuis indiuiſibile inadæquate tangit partem lineæ diuiſibilem quam terminat vel continuat, & ſic indiuiſibile globi ſphærici non per ſaltum, ſed continue totum planum poteſt tranſire, adæquate tangens indiuiſibilia talis ſpacij, & inadæquate partes illius.

Vltimo tandem obijcies, quod ſi continuum non componeretur ex indiuiſibilibus, ſed ex partibus diuiſibilibus, illæ darentur actu infinitæ in quolibet continuo. Conſequens eſt impoſſibile. Ergo & antecedens. Sequela probatur, quia ſi cõtinuum componeretur ex partibus diuiſibilibus quacumque diuiſione data, qualibet pars illarum in quas diuideretur, eſſet diuiſibilis in alias & alias partes, ita vt non poſsit deueniri ad aliquam, quæ non ſit in alias & alias diuiſibilis, ſed omnes partes, in quas eſt diuiſibile continuum, actu ſunt in illo: nõ enim eſt diuiſibile in partes, quas poteſt habere, ſed quas actu, licet actualiter non diuiſas habet. Ergo ſi continuum eſt diuiſibile in ſemper diuiſibilia, actu habet infinitas partes. Falſitas autem conſequentis probatur primo. Quia impoſſibile eſt, dari infinitum in actu ſecundum multitudinem, & ſi continuum actu haberet infinitas partes, illæ facerent infinitum in actu ſecundum multitudinem. §. Secundo, quia quodlibet continuum haberet infinitam magnitudinem, ſiquidem qualibet pars illius habet ſuam extenſionem diſtinctam ab extenſio-

ne

ne alterius ; ac perinde ſi actu ſunt infini-
tæ partes in continuo , quælibet adderet
extenſionem ad extenſionem alterius , &
omnes ſimul facerent extensionem & ma-
gnitudinem infinitam . §. Tertio , quia
non eſſet maius vnum continuum quam
alterum , cœlum verbi gratia , quam
digitus , nec plures partes vnum haberet
quam alterum , ſiquidem vtrumque habe-
ret actu infinitas partes . §. Quarto de-
nique , quia nullum mobile poſſet in ali-
quo determinato tēpore aliquod per mo-
tum pertranſire ſpatium , quia cum de-
beat pertransire vnam partem ſpatij pri-
uſquam alteram , si ſpatium habet infini-
tas partes , cum infinitum non poſſit de-
terminato tempore pertranſire , nullum
mobile poſſet determinato tempore ali-
quod pertransire ſpatium . §. Confir-
matur , quia ſequeretur , etiam in quoli-
bet continuo actu eſſe infinita indiuisibi-
lia , ſiquidem cum omnes illius partes vt
ſint continuæ debeant continuari per in-
diuiſibilia , ſi actu ſunt infinitæ partes ,
actu ſunt infinita indiuiſibilia , quibus
continuentur , id autem etiam videtur
impoſſibile, quia eſſet dari aliud actu in-
finitum ſecundum multitudinem . Ergo
ne demus in continuo infinitas partes aut
actu infinita indiuiſibilia , debet dici il-
lud ſolum ex infinitis in diuiſibilibus cō-
poni, eſſeque maius aut minus , quatenus
ex pluribus vel paucioribus indiuiſibili-
bus componatur .

15 Reſpondetur ad argumentum concesſa ſequela, negando minorem. Et ad primam illius probationem dico, quod quia partes continui dum actu non ſunt diuiſæ, non conſtituunt diuerſa entia, ſed vnum ens, cum omnes illæ vt vnitæ & continuatæ per eandem totius continui exiſtentiam exiſtant, quamuis illæ ſint infinitæ, non datur infinitum in actu ſecundum multitudinem: multitudo enim ſicut & numerus non conſtituitur niſi ex vnitatibus, quæ ſint diſtincta entia & diſtinctis exiſtentijs exiſtentia. Vnde communiter dicitur, quod numerus fit ex diuiſione continui, quia dum partes continui non ſunt actu diuiſæ, licet continuatæ & vnitæ reperiantur actu in continuo, nec faciunt numerum, nec multitudinem. §. Ad ſecundam probationem reſpondetur, quod quamuis partes cuiuslibet continui in ipſo actualiter exiſtentes ſint infinitæ, non ſunt æquales alicui parti ſignatæ, ſed proportionales, id eſt vna ſignata altera eſt minor & altera minor, & ſic ſemper proportionaliter diminuuntur: ita vt nunquam ſit ad minimam deuenire, & ſic non faciunt continuum infinitæ magnitudinis, qualiter illud facerent, ſi vni illius parti determinatæ verbi gratia digi tali darentur actu infinitæ partes illi æquales. §. Ad tertiam probationem reſpondetur, quod licet quodlibet continuum habeat actu infinitas partes, non ſequitur, vnum conti-

nuum

nuum non habere plures partes quã aliud, quia ſicut ſi daretur actu infinitum ſecundum multitudinem hominum, daretur aliud infinitum maius, ſcilicet infinitum capillorum eorumdem hominum, ita etiam ſi vnum continuum habeat actu infinitas partes, poteſt aliud continuum habere plures, & eſtò vnum continuum non haberet plures partes, quam aliud, non inde ſequitur, quod vnum continuum non ſit maius alio, quia cum partes continui non ſint aliquotæ & omnes vni ſignatæ æquales, ſed ſint partes proportionales & inæquales vnaque minor altera, poteſt vnum continuum, quia maiores habet partes quam aliud, eſſe illo maius.

§. Ad quartam denique probationem, negatur ſequela; licet enim quodlibet ſpatium, ſuper quod fiat motus, habeat actu infinitas partes, quia illæ non ſunt aliquotæ & æquales, ſed minores & minores, ſicut non faciunt tale ſpatium infinitæ magnitudinis, ita nec faciunt illud in aliquo tempore determinato impertranſibile: mobile enim tranſit omnes partes ſpatij, ita vt qualibet ſignata prius aliam & aliam tranſierit, & ad hoc ſufficit, quod ſicut in ſpatio ſunt actu infinitæ partes, ita & in motu, & tempore quod in motu conſumitur; ſint etiam infinitæ partes.

Ad confirmationem reſpondetur, quod ſicut in continuo dantur actu infinitæ partes, cum illæ debeant eſſe con-

tinuatæ, dantur etiam infinita indiuiſibilia, quibus continuentur. Quia tamen omnia illa non ſunt actu diuiſa, nec per diſtinctas exiſtentias, ſed per eandem exiſtentiam totius continui exiſtunt, non faciunt infinitum in actu ſecundum multitudinem.

16 Nec valet dicere, quod cum indiuiſibilia, quibus continuantur partes cõtinui, realiter ab ipſis partibus diſtinguatur, poteſt Deus omnia indiuiſibilia continui deſtruere abſque eo, quod illius deſtrueret partes, & tunc manebunt omnes partes continui actu diuiſæ, ac perinde ſi illæ erant infinitæ, dabitur infinitum in actu ſecundum multitudinem: tales enim partes ſic diuiſæ deſtructis omnibus indiuiſibilibus, non vnum, ſed tot entia eſſent quot partes. §. Non, inquam, id valet, quia licet indiuiſibilia continuatiua partium realiter ab illis diſtinguantur: ita tamen partes continui ab illis in ſui continuatione, ac perinde & in ratione actualis partis continui dependent, quod deſtructis omnibus indiuiſibilibus impoſſibile ſit, aliquam manere partem continui.

17 Præter indiuiſibilia autem, quæ continuatiua illius partium actu ſunt in continuo, ſunt etiam alia indiuiſibilia in potentia, quia continuum eſt in potentia, vt diuidatur, & per diuiſionem deſtruatur illud indiuiſibile, quo partes quæ ſic diuiduntur, erant continuatæ, & in quali-

libet parte ſic diuiſa reſultabit ſuum indiuiſibile, quo terminetur: & huiuſmodi indiuiſibilia terminatiua non actu, ſed ſolum in potentia erant ante diuiſionem in continuo.

QVÆSTIO II.

Qualiter incipiant motus, & illius indiuiſibilia.

CVm eſſe cuiuſlibet rei corruptibilis menſuretur tempore, vel inſtanti temporis noſtri, imò licet eſſe Angeli menſuretur æuo, & illius operatio tempore diſcreto, quia vtraque talis menſura eſt virtualiter diuiſibilis, & æquiualet diuerſis partibus, & inſtantibus temporis noſtri, cuiuslibet rei inceptio, vel deſitio tempore, vel inſtanti menſuratur, quælibetque res incipit, vel deſinit in tempore, vel in inſtanti; quia tamen quælibet ſignata pars temporis eſt in plures, & plures alias partes diuiſibilis, vnde quæ incipiunt in tempore, quacumque parte temporis illorum inceptionis deſignata in priori incipiunt, & quæ deſinunt in tempore quacumque parte temporis illorum deſitionis ſignata, in poſteriori deſinunt, ideò eorum inceptionem, & deſitionem per ordinem ad indiuiſibile, & determinatum inſtans, quod immediate eorum in-

ceptionem præcedit, vel eorum deſitionem ſubſequitur, conſueuerunt explicare Philoſophi.

2 Dupliciter ergo, res poſſunt incipere, per primum videlicet ſui eſſe, cum videlicet ſignato aliquo inſtanti eſt verũ dicere, nunc res eſt,& immediate ante nõ erat: & huiuſmodi terminus dicitur intrinſecus inceptionis, quia eſt in quo verè res incipit eſſe. Aliter res incipiunt, per vltimum videlicet ſui non eſſe, vt cum ſignato aliquo inſtanti eſt verũ dicere,quod tunc res non eſt & immediate poſt erit, & huiuſmodi terminus dicitur extrinſecus inceptionis, quia re vera in illo res nõ incipit, ſed in tempore immediate ſequenti, quod cum vt diximus diuiſibile ſit, non habet partem ſignabilem, qua non poſſit ſignari altera prior, in qua res inceperit eſſe,& ſic ſolum poteſt ſignari inſtans immediate præcedens illius inceptionem. Dupliciter etiam res poſſunt desinere,per vltimum videlicet ſui eſſe, vt cum ſignato aliquo inſtanti eſt verum dicere, quod tũc res eſt & immediate poſt non erit, & huiuſmodi terminus dicitur intrinſecus deſitionis rerum, quia in illo finitur, & vlterius non progreditur illarum eſſe. Aliter res poſſunt desinere, per primum videlicet ſui nõ eſſe, cum videlicet aliquo ſignato inſtanti, in illo verificatur, quod tunc res non eſt, & immediate ante erat: & huiuſmodi terminus dicitur extrinſecus deſitionis rerum, quia re vera in illo res

non

non deſinit, ſed in tempore immediatè præcedenti; quod cum vt diximus, ſit diuiſibile, non habet partem ſignabilem qua non poſſit ſignari altera poſterior, in qua res adhuc duret & non dum deſinerit eſſe, & ſic ſolum poteſt ſignari inſtans immediate ſubſequens eius deſitionem. §. His ergo pro hac & ſequentibus quæſtionibus expoſitis, propoſitæ difficultati duabus concluſionis reſpondemus,

3 Dico igitur primo. Motus non in inſtanti, ſed in tempore incipit & deſinit eſſe: ac perinde eius inceptio explicabitur per vltimum ſui non eſſe & eius deſitio per primum ſui non eſſe. Ita cum Ariſtotele cap.5. & 6. huius libri & communi ſententia docet noſter author eiuſdem libri quæſtion.3. & probatur, ea quæ incipiunt aut deſinunt in inſtanti, vere in tali inſtanti habent eſſe, vt ex præiacta explicatione terminorum inceptionis cōſtat. Sed non eſt ſignabile primum nec vltimum inſtans in quo, verum ſit, quod tunc eſt motus: ergo motus non incipit aut deſinit in inſtanti, ſed in tempore, & ſolum eſt ſignabile inſtans in quo non dum ſit & immediate poſt illud incipiat eſſe, & inſtans in quo iam non ſit, & immediate ante illud fuerit, & re vera ſuum finierit eſſe. Minor probatur, quia tunc re vera eſt motus, cum habet ſuas partes. Sed in nullo inſtāti ſignato, motus habere poteſt ſuas partes, quia cum illæ ſint ſucceſſiuæ & vna prior altera, non poſſunt

eſſe ſimul in aliquo inſtanti, alias illarum eſſe eſſet permanens & non ſucceſſiuum: ergo in nullo inſtanti ſignato eſt verum dicere, quod tunc eſt motus.

4 Obijcies primo, quod ſi non datur primum eſſe motus, ſed quacumque parte temporis ſignata in priori & priori incipit motus, ſequitur quemlibet motum à à parte ante eſſe infinitum & non habere initium ſuæ durationis. Conſequens eſt manifeſte falſum, cum id ſit facere motũ æternum à parte ante: ergo. Sequela probatur, quia id eſt à parte ante æternũ, cuius non eſt ſignare principium & quælibet illius duratione ſignata ante illam habet eſſe.

Reſpondetur, negando ſequelam, quia vt motus non ſit æternus ſufficit eſſe ſignabile inſtans in quo ille non dum inceperit eſſe, & quamuis non ſit ſignabilis aliqua pars temporis in qua motus inceperit eſſe, & ante illam non dum fuerit, id non eſt, motũ eſſe à parte ante æternũ. Sed quia quælibet pars temporis, qua eius inceptio menſuratur, habet infinitas partes proportionales, & vnam minorem altera, & ſicut ipſæ partes temporis quamuis infinitæ, quia non ſunt æquales, ſed proportionales, & vna minor altera non facius tempus infinitæ durationis, ita nec motus, quia in aliquo tempore incipit nec à parte ante nec à parte poſt eſt æternus, ſed ſignabile eſt à parte ante inſtãs, in quo non dum inceperit eſſe, & à parte

poſt

poſt inſtans, in quo iam deſineret eſſe.

5 Obijcies ſecundo, quod ſi motus deſineret eſſe in tempore eiuſque deſitio explicaretur per primum ſui non eſſe, in illo inſtanti in quo mobile primo eſt in termino ad quem, debet verificari, quod tunc non eſt motus, & immediate ante illud erat motus. Sed id non verificatur, ſed potius quod in tali inſtanti eſt motus: ergo motus non deſinit extrinſece per primum ſui non eſſe. Minor probatur. Quia in tali inſtanti verificatur, quod tunc eſt vltimum mutatum eſſe mobilis: ergo verificatur, quod tunc eſt motus. Probatur conſequentia, quia cum motus ſit res ſucceſſiua, exiſtit per exiſtentiam indiuiſibilium quibus ſuæ partes terminantur aut continuantur: ergo cum vltimum mutatum eſſe mobilis ſit indiuiſibile quo terminantur partes motus, in inſtanti in quo verificatur, quod eſt vltimum mutatum eſſe mobilis verificatur etiam quod eſt illius motus.

Reſpondetur, quod res ſucceſſiuæ ſicut nunquam exiſtunt in ſe, ſed ratione ſui indiuiſibilis quo terminantur vel continuantur, vt motus, & qualibet res ſucceſſiua dicatur deſinere in tempore, & per primum ſui non eſſe, ſufficit, quod in inſtanti, in quo exiſtit illius indiuiſibile mutatum eſſe continuatiuum vel terminatiuum ſit verum dicere, quod tunc motus aut pars motus in ſe ipſa non eſt, & ante illud inſtans erat, quia in tempore immediato

ante illud inſtans habebat ſuum eſſe fluidum & tranſiens, quod re vera in ipſo tempore finiuit, & ſolum eſt ſignabile inſtans, in quo iam motus in ſe non eſt, licet aliqualiter dicatur, tunc extrinſece exiſtere quatenus tunc exiſtit aliquod ſui ſcilicet indiuiſibile mutatum eſſe, per quod extrinſece partes motus terminantur.

6 Obijcies tertio, quod ſi canis in medio motus è turri moreretur, cadauer incipit in inſtanti, & in eodem inſtanti inciperet illius motus; in eodem enim inſtanti, in quo inciperet eſſe, vere moueretur, ſiquidem motus cadaueris immediate ſequeretur ad motum canis. §. Confirmatur, quia ſi cum nauis mouetur, aliquod animal in illa moriatur, cadauer quod tunc inciperet in inſtanti, in eodem inſtanti incipiet moueri, quia moueretur per accidens ad motum nauis, & cum motus nauis non interrumpatur, in eodem inſtanti in quo incipiat cadauer, incipiet ad motum nauis moueri.

Reſpondetur, quod vt ſupra lib.5. q.4. oſtendimus, in vtroque caſu, argumenti videlicet & confirmationis, cadauer in inſtanti in quo incipiet, non incipiet moueri, ſed in eodem inſtanti haberet quietem negatiuam, & in tempore immediate ſequenti illius inciperet motus.

7 Obijcies quarto, quod ſi in inſtanti Deus crearet lapidem in aere, vbi nihil eſſet impediens illius deſcenſum incentrum,

ſta-

ſtatim in eodem inſtanti illius inciperet motus in centrum. Iam igitur aliquis motus poteſt incipere in inſtanti. Antecedens patet, quia vt infra videbimus, motus grauis in centrum ſequitur naturalr reſultantia per modum proprietatis ad illius grauitatem. Sed quidquid ſic ab aliquo reſultat, ſi nullum ad illius reſultantiam adſit impedimentum, in eodem inſtanti in quo illud incipit eſſe, talis ab illo dimanat proprietas: ergo cum in aere nullum ſit impedimentum ad deſcenſum lapidis, in eodem inſtanti, in quo in aere produceretur lapis, ille inciperet moueri in centrum.

Reſpondetur negando antecedens, quia quamuis deſcenſus grauis in centrum ſit illius paſſio, etiam ſi nullum ſit impedimentum, non inciperet in inſtanti generationis grauis, ſed in tempore immediate ſequenti, quia vt aliqua res ſucceſſiua, qualis eſt motus, naturali emanatione ad aliquod reſultet, ſufficit, quod quam primum iuxta ſuam naturam ab illo dimanet, & quia natura rei ſucceſſiuæ eſt incipere in tempore, ſufficit, quod in tempore immediate ſequenti ad productionem grauis, illius incipiat motus in centrum.

8 Ex dictis ſequitur, non dari in principio motus principium mutatum eſſe, quia mutatum eſſe eſt terminus motus: ergo cum non detur primum eſſe motus, nec datur in principio motus primum mutatum eſſe, datur tamen verſus finem motus

pri-

primum mutatum eſſe, quia in illo primo inſtanti, in quo eſt verum dicere, nunc non eſt motus, & immediate ante hac erat, eſt etiam verum dicere, nunc mobile eſt in termino ad quem, & immediate ante hac non erat in illo, quod eſt dari primum mutatum eſſe verſus finem motus.

9 Sequitur etiam, omnes formas accidentales, quæ producuntur per motum incipere in tempore, per vltimum videlicet ſui non eſſe, & deſinere in tempore, per primum ſui non eſſe, quia cum per quamlibet partem motus aliquod prędictarum formarum acquiratur, ſicut non eſt dari in principio motus aliqua pars motus, antequam non ſit alia, & verſus finem motus non eſt dabilis aliqua pars motus, poſt quam non ſit alia, ita in prædictis formis non eſt dabilis in principio aliqua pars determinata, ante quam non ſit alia, nec in fine aliqua pars, poſtquam non ſit alia, quod eſt, tales formas incipere per vltimum ſui non eſſe, & deſinere per primum ſui non eſſe.

10 Sequitur denique formas quantumuis producibiles per motum in gradu determinato incipere per primum ſui eſſe, & deſinere per vltimum ſui eſſe, quia tunc in gradu determinato incipiunt, cum mobile peruenit ad terminum ad quem, & verſus finem motus datur primum mutatum eſſe. Ergo cum hoc detur in inſtanti, in inſtanti prædictæ formæ accidentales incipiunt eſſe in gradu determinato, &

in

in inſtanti deſinunt etiam eſſe in tali gradu determinato: cum enim calor vt biduo v.g. per introductionem frigoris, incipit remitti; in eodem inſtanti in quo eſt verum dicere, nunc non eſt motus frigefactionis, & immediate poſt hoc erit, eſt verum dicere, nunc eſt calor vt duo & immediate poſt hoc nôn erit calor, vt duo; quia non poteſt aliqua pars vel indeterminata frigiditatis introduci per motum niſi prius aliquid expellatur, & deſinat eſſe caloris, & cum quidquid caloris calor v.g. vt duo, amittat deſinat eſſe in tali gradu determinato caloris, vt aliqua pars vel indeterminata frigiditatis acquiratur in tempore per motum, neceſſarium eſt, quod in inſtanti immediate præcedenti deſinat eſſe calor in gradu determinato, quod eſt illum ſic deſinere per vltimum ſui eſſe.

10 Dico ſecundo. Quodlibet indiuiſibile motus, ſcilicet mutatum eſſe, incipit & deſinit in inſtanti, per primum videlicet ſui eſſe, & per vltimum ſui eſſe, ita vt in vnico inſtanti, quo quodlibet indiuiſibile mutatum eſſe menſuratur, verificetur, quod eſt tale mutatum eſſe, & ante illud non erat. Et ſimiliter quod tunc eſt tale mutatnm eſſe, & poſt illud inſtans non erit. Concluſio ſic explicata patet, quia in his quæ ſolum durant per indiuiſibile inſtans incipere & deſinere, eſt ſimul eſſe, non quidem quod in eodem inſtanti illa habeant ſimul eſſe & non eſſe (id enim eſt omnino impoſſibile) ſed per id quod

eſſe

eſſe illorum ſicut incipit in inſtanti: ſic ſolum per idem perſeueret inſtans & vltra illud non progrediatur, nec vt in illo inſtanti deſinant eſſe, requiritur, quod in illo verificetur, quod non ſunt: id enim ſolum requiritur, vt verificetur, rem iam deſijſſe, non verò vt verificetur illa deſinere. Sed ſolum requiritur, quod in nullo inſtanti verificetur, quod illa ſunt, & poſt illud inſtans non erunt.

QVÆSTIO III.

Qualiter incipiant & deſinant ſubſtantiæ generabiles & corruptibiles?

DIco primo, ſubſtantiæ generabiles & corruptibiles incipiunt in inſtanti, per primum videlicet ſui eſſe. Cōcluſio eſt communis, & probatur, quia ſubſtantia producitur ſeparata iam omni reſiſtentia contrarij ad illius productionem: ergo producitur in inſtanti: & incipit per primum ſui eſſe. Conſequentia patet. Quia rem aliquam nō produci per mutationem inſtantaneam, ſed per motum, eo eſt, quia producitur cum reſiſtentia ſui contrarij, eoque ex oppoſito illuminatio fit in inſtanti, quia abſque aliqua fit reſiſtentia contrarii: ergo ſi productio ſubſtantiæ fit ſeparata iam antecedenter omni reſiſtentia

con-

contrarij, fit vtique in inſtanti. Antecedens autem probatur, quia cum ad generationem ſubſtantiæ præcedit alteratio, per illam in tempore diſponitur materia ad formam generandam & expelluntur accidentia contraria quæ erant diſpoſitiones formæ corruptæ, ac denique; ipſa forma ſubſtantialis, quæ præcedebat in materia deſinit eſſe, & in inſtanti immediato ad tale tempus, iam eſt ſeparata omni reſiſtentia contrarij, ac perinde in illo incipit forma ſubſtantialis, & eſt verum dicere, quod tunc eſt, & immediate ante non erat.

4 Nec valet dicere, quod ad introductionem formæ ſubſtantialis requiritur diſpoſitio determinata, vt ad introductionem formæ ignis calor vt octo. Sed talis forma accidentalis determinata (vt quæſtione præcedenti dicebamus) incipit per primum ſui eſſe: ergo cum prius debeat eſſe talis diſpoſitio, quam forma ſubſtantialis introducatur, hæc non incipit in inſtanti, ſed in tempore immediate ſequenti ad inſtans inceptionis talis diſpoſitionis.

5. Non, inquam, id valet, quia, vt explicabimus in libris de generatione, huiuſmodi vltimæ diſpoſitiones ad formas ſubſtantiales in eodem inſtanti temporis incipiũt ac ipſæ formæ ſubſtantiales producuntur, & ob id dicuntur diſpoſitiones concomitantes & recipiuntur in ipſo compoſito genito, non incorrupto, nec ſunt diſpoſitiones ad fieri formæ, ſed ad conſeruationem illius; diſpoſitiones autem, quæ re-

qui-

quiruntur ad introductionem formæ ſubſtantialis & illam præcedunt in compoſito corrupto receptæ, omnes deſinunt eſſe per motum in tempore immediate antecedenti, & ad deſitionem illarum deſinet etiam in tempore, vt ſtatim videbimus, forma ſubſtantialis, quæ præcedit in materia. Vnde in inſtanti immediate ſequenti in quo eſt verum dicere, quod iam non ſunt tales diſpoſitiones, nec forma, verbi gratia, ſubſtantialis ligni, & immediate ante erant, eſt verum etiam dicere, quod in eodem inſtanti eſt iam ſuperata omnis reſiſtentia ad introductionem formæ ignis, & quod in illo eſt forma ignis, & immediate ante illud non erat, quod eſt talem formam ſubſtantialem incipere per primum ſui eſſe.

3 Dico ſecundo. Formæ ſubſtantiales corruptibiles, quæ deſinunt ad generationem alterius formæ ſubſtantialis, deſinunt in tempore per primum videlicet ſui non eſſe, ita vt in inſtanti ſit verum dicere, quod tunc non ſunt, & immediate ante erant. Concluſio eſt communis, & probatur. Quia non poſſunt deſinere in inſtanti per vltimum ſui eſſe: ergo deſinunt in tempore & per primũ ſui non eſſe. Antecedẽs probatur. Et loquamur exempli gratia de forma ſubſtantiali ligni, quæ corrumpitur & deſinit eſſe, vt in eadẽ materia introducatur forma ignis, quia cũ forma ignis vt conſtat ex concluſione præcedenti, debeat incipere in inſtãti, ſi forma ligni deſineret

in

in inſtanti, ſequeretur, vel materiam in eodem inſtanti eſſe ſub duplici forma ſubſtantiali, quod impoſſibile eſſe, oſtendimus in libris de anima, vel materiam per aliquam partem temporis abſque aliqua forma ſubſtantiali exiſtere, quod impoſſibile eſſe oſtendimus ſupra libro 1. quæſt 8. vel denique quod darentur duo inſtantia immediata, quod quæſt. 1. huius libri oſtẽdimus eſſe impoſſibile. Sequela probatur. Quia ſi forma ligni deſineret per vltimum ſui eſſe, eſſet verum dicere in inſtanti, nunc eſt forma ligni, & immediate poſt non erit: ergo vel in eodem inſtanti eſt verum dicere, nunc eſt forma ignis, & immediate ante non erat, & ſic in eodem inſtanti erit ſimul in materia forma ligni & forma ignis, vel non in eodemmet inſtanti, ſed in altero inſtanti, incipit forma ignis, & ſi ſit inſtans immediatum ad inſtans in quo deſinit forma ligni, iam dabuntur duo inſtantia immediata. Si vero non ſit immediata, ſed inter illa mediet tempus, in tali tempore nec erit forma ligni nec forma ignis: ac perinde pro tali tempore materia exiſtet abſque aliqua forma, quæ omnia cum, vt diximus, ſint impoſſibilia, dicendum eſt ſubſtantiam corruptibilem, quæ deſinit ad generationem alterius ſubſtantiæ, deſinere in tempore & per primũ ſui non eſſe, ita vt in eodem inſtanti in quo eſt verum dicere, nunc non eſt forma corrupti, & immediate ante erat, ſit verum dicere, nunc eſt forma geniti,

&

& immediate ante non erat.

4 Obijcies, quod formæ ſubſtantiales ſunt indiuiſibiles: ergo non poſſunt deſinere in tempore. Patet conſequentia, quia ſicut quælibet pars temporis eſt diuiſibilis in plures partes, ita quidquid deſinit aut incipit in tempore, debet habere plures partes, quarum quælibet indeterminata deſinat, aut incipiat in determinata parte temporis: ergo ſi forma ſubſtantialis eſt indiuiſibilis, non poteſt incipere, nec deſinere in tempore, ſed inſtanti in quo tota illa deſinat aut incipiat.

§. Nec valet dicere, quod forma ſubſtantialis corporea, qualis eſt forma corruptibilis ſaltem ratione quantitatis habet diuiſibilitatem & partes, vt poſſit deſinere in tempore, & partibus temporis, in quo deſinat correſpondeant partes deſinentes ſubſtantiæ. §. Non, inquam, id valet, quia licet id ſufficiat, vt forma, quæ producitur ſimul cum quantitate poſſit incipere in tempore, & quantitate affecta in tempore deſinere, ſaltem ſequeretur, quod ſi forma ſubſtantialis, ſeparata prius ab illa diuinitus quantitate, deſineret eſſe ad introductionem alterius formæ ſubſtãtialis in eadem materia, tunc non poſſet deſinere eſſe in tempore, ſed in *inſtanti*, & cum ex eo etiam ſequeretur aliquod ex tribus inconuenientibus in concluſione propoſitis, videtur, aliquod illorum eſſe admittendum.

Reſpondetur, omiſſa ſolutione in argu-

mento aſſignata, quod cum (vt in logica capite de quantitate oſtendimus) ſubſtantia corporea ex ſe & independenter à quãtitate actuali habeat partes ſubſtantialiter diſtinctas, id ſufficit, vt etiam ſi abſque quantitate actuali produceretur aut corrumperetur, poſſit incipere & deſinere eſſe in tempore,& partes ſubſtantiæ correſponderent partibus temporis, in quo inciperet aut deſineret eſſe, & ita de facto contingit in definitione formæ ſubſtantialis, quæ ad introductionẽ alterius formæ ſubſtantialis, in eadem materia corrumpitur; in inceptione autem formæ ſubſtantialis id per ſe & connaturaliter non contingit, ſed incipit (vt diximus in prima concluſione) in inſtanti; quia quamuis habeat partes, cum illæ ſint permanentes, & producantur, ſuperata iam omni reſiſtentia contrarij, omnes illæ poſſunt ſimul in eodem inſtanti produci.

5 Dico tertio, ſi forma ſubſtantialis corruptibilis non ad generationem alterius formæ in eadem materia, ſed modo ſibi non connaturali per anihilationem deſinat, deſinet vtique in inſtanti, quia deſinet per ſuſpenſionem diuini concurſus, quæ quamuis poſſet fieri in tempore ſuſpendendo Deus concurſum paulatim ad ſingulas partes ſubſtantiæ, connaturalius quodam modo eſt & magis conforme diuinæ omnipotentiæ, quod illum ſuſpendat in inſtanti, & in inſtanti, in quo eſt verum dicere, nunc Deus concurrit ad conſer-

ua-

uationem talis formæ, & immediate poſt non concurret, erit verum dicere, nunc eſt talis forma, & immediate poſt nõ erit.

6 Dico quarto. Per accidens forma ſubſtantialis generabilis poteſt incipere in tempore & per vltimum ſui non eſſe, & tunc etiam per accidens forma ſubſtantialis, ad cuius corruptionem altera generatur, deſinet in inſtanti, & per vltimum ſui eſſe. Explicatur, & probatur concluſio. Nam vt dicemus in libris de generatione, nutritio quæ eſt acquiſitio nouæ partis ſubſtantiæ conſequatur ad augmentationem ſucceſſiuam quantitatis, illamque omnino commitetur, eſt ſucceſſiua ſicut *ipſa* augmentatio. Tunc igitur talis pars ſubſtantiæ, vtpóte quæ habet diſtinctionem ſubſtantialem in plures partes, & diſtinctionem accidentalem ratione quantitatis, quam ſimul ac *producitur*, acquirit, *producibilis* eſt in *tempore* & de facto, quia non iuxta ſuam naturam, ſed ad productionem quantitatis producitur, non in inſtanti, ſed in tempore incipit eſſe, & tunc etiam oportet, quod forma alimenti, quæ deſinit eſſe in materia, in qua introducitur forma partialis aliti, deſinat in inſtanti: quia alias, vt facile conſideranti conſtabit, vel illa pars materiæ eſſet in aliquo inſtanti cum duplici forma ſubſtantiali, vel darentur duo inſtantia immediata, vel illa pars materiæ exiſteret pro aliquo tempore abſque aliqua forma ſubſtantiali.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Qualiter incipiunt, ſubſtantiæ ingenerabiles & incorruptibiles?

IN triplici genere ſunt ſubſtantiæ ingenerabiles & incorruptibiles, ſubſtantiæ videlicet ſpirituales completæ, vt Angeli, ſubſtantia ſpiritualis incompleta, anima videlicet rationalis & corpora cœleſtia, & quidem de inceptione & desitione animæ rationalis quoad ſuum eſſe eodem modo, ac de Angelis eſt dicendum. De inceptione autem & desitione informandi materiam, proportionabiliter eſt dicendum de illa, ac diximus de inceptione ac desitione ſubſtantiarum generabiliũ & corruptibilium.

2 De corporibus cœleſtibus eſt dicendum, quod connaturaliter & per ſe incipiunt in inſtanti per primum ſui eſſe, & ſi desinant, debent desinere etiam in inſtanti per vltimum ſui eſſe, abſolute tamen poſſunt incipere & desinere in tempore. Prima pars concluſionis probatur, quia corpora cœleſtia incipiunt abſque aliqua reſiſtentia contrarij, ergo siue incipiant, vt de facto inceperunt per creationem, siue (vt incipere potuerunt) per eductionem eorum formæ ex materia, connaturaliter & per ſe petunt incipere

in inſtanti. Similiter ſi deſinerent, deſinerent etiam in inſtanti, quia deſinerent per anihilationem & ſuſpenſionem diuini concurſus, & non vt in eorum materia alia introduceretur forma. §. Secunda autem pars concluſionis probatur: quia corpora cœleſtia non ſolum ratione quantitatis, cum qua de facto ſunt producta, ſed ex ſe habent partes ſubſtantialiter diſtinctas. Ergo ratione latitudinis talium partium potuerunt à Deo in tempore produci & in tempore anihilari, ita vt omnibus indeterminatis partibus diuiſibilis temporis, in quo producerentur, aut anihilarentur, totidem indeterminatæ partes ipſorum corporum incipientes aut deſinentes correſponderent, & non poſſet deſignari aliqua determinata pars temporis, in qua eſſet verum dicere, quod antea non incepiſſent, vel in qua verificaretur, quod immediate poſt non erunt, & ſolum eſſet deſignabile inſtans extrinſecum inceptionis & deſitionis illorum.

3 De Angelis autem, vtpote omnino indiuiſibilibus eſt dicendum, quod nullatenus in tempore, ſed in inſtanti potuerunt incipere, nec aliter niſi in inſtanti vllatenus deſinere poſſunt: oppoſitum aliqui tenent. Sed concluſio cum aliis mihi videtur certa. Quia vt aliquid incipiat aut deſinat in tempore, requiritur, quod in nulla parte temporis, totum illud deſinat aut incipiat, ſed cum ſicut in qualibet parte temporis, in qua incidit aut deſinit,

finit, infinitæ ſunt partes indeternatæ & proportionales, ita in ipſo etiam, quod in tempore incipit, aut deſinit, totidem dentur partes incipientes aut deſinentes, vt qualibet eius parte in inceptione aſſignata, alia & alia prior inceperit, & qualibet illius parte in deſitione aſſignata alia & alia reſtet deſinenda. Sed in Angelis, cum ſint omnino indiuiſibiles, huiuſmodi partes deſignari nequeunt. Implicat ergo illos incipere aut deſinere in tempore, ſed vnicus poſſibilis motus illis incipiendi & deſinendi eſt in inſtanti, per primum videlicet ſui eſſe, & per vltimum ſui eſſe.

§. Confirmatur, quia in parte determinata temporis vel inciperet totus Angelus, vel aliquid illius; hoc ſecundum dici non poteſt, cum Angelus ſit omnino indiuiſibilis; nec poteſt dici primum, quia cum quælibet pars temporis ſit diuiſibilis in infinitas partes in qualibet illarum parte inquiritur, an inceperit totus Angelus, vel aliquid illius. Si dicatur, vt neceſſariò eſt dicendum, quod totus inceperit. Ergo non incipit in alijs partibus, ac perinde non eſt deſignabile aliquod quãtumuis minimum tempus, in quo toto tempore Angelus incipiat aut deſinat, ſed ſolum poteſt incipere aut deſinere in inſtanti.

4 Nec huic reſolutioni obſtat exemplum, quod authores oppoſiti adducunt de puncto indiuiſibili, quod quantumuis indiuiſibile ſit, tangit inadæquate partem indiuiſibilem lineæ, à ſimili aſſerentes,

quod Angelus quantumuis indiuiſibilis ſit, poteſt inadæquate in aliquo tempore incipere aut deſinere eſſe. §. Non, inquam, id obſtat, quia contactus inadæquatus puncti ad partem diuiſibilem lineæ ſolum eſt quædam terminatio illius, & non ea extenſio cum illa. Vt autem toto aliquo tempore Angelus produceretur, requireretur neceſſariò, quod Angelo ſic producto eſſent partes correſpondentes partibus temporis, vt in qualibet illarum aliquid talis Angeli produceretur, vt totus ille in toto tempore fieret & inciperet eſſe. Et idem proportionaliter dico de illius deſitione.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LIBER SEPTIMVS Phiſicorum.

Summma textus.

IN primo capite huius libri oſtendit Ariſtoteles omne quod mouetur, ab alio moueri; & quod in mouentibus non eſt dari proceſſum in infinitum, vt deueniatur ad primum motorem immotum. §. In ſecundo, oſtendit, mouens & motum debere eſſe ſimul.
§. In tertio probat motum alterationis eſſe ad qualitates tertiæ ſpeciei. §. In quarto agit de comparatione diuerſorum motuum inter ſe quoad velocitatem & tarditatem. Ad denique in quinto eaſdem comparationis magis in particulari explicat,

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

QVAESTIO I.

Vtrum omne quod mouetur, ab alio moueatur?

HAnc quæſtionem quæ cum ea, quæ ſub alijs proponitur terminis, an videlicet idem poſſit eſſe mouens & motũ, ſeu idem poſſit mouere ſe ipſum, coincidit, in hoc lib. & ſequenti diſcutit Ariſt. Et licet in ſequenti illam diſputet noſter Author hic eam tractare libuit, quia plura in hoc & ſequenti lib. dicenda ex illius pendent reſolutione.

2 Ad illam tamen, vt certum, ſuppono idem poſſe mouere ſe ipſum ad ſui motum per accidens, vt remiger, qui nauem, in qua vehetur mouens, ad illius motum mouetur, mouet ſe ipſum ad ſui motum per accidens. Et ſolum eſt quæſtio an aliquid poſſit ſemetipſum mouere ad ſui motum per ſe, id eſt ad motum, qui ratione ſui & non ratione alterius mobilis illi competit.

3 Quæſtionem hanc non recte aliqui dirimunt, diſtinguendo, in eo quod mouetur, materiam & formam, & quod forma mouet materiam: & materia mouetur à forma. Loquimur enim de motu & motore vt quod, & cum motus non in materia, ſed in toto recipiatur compoſito, materia proprie non mouetur, & cum actiones

nes ſint ſuppoſitorum, forma non eſt, quæ mouet, ſed ſolum principium quo aliquid mouendi.

4 Dicendum eſt, quod vniuerſaliter omne quod mouetur, oportet quod ab alio moueatur, oppoſitum tenet Scotus 9. metaph. q. 14. & alij eius diſcipuli. Sed cõcluſio eſt expreſſa Ariſtotelis qui in hoc libro & ſequenti, & cum illo D.Tho. 1. p. q. 2. art. 3. & 1. contra gentes, c. 13. ex hoc principio, & quia non poteſt dari in mouentibus proceſſus in infinitum, colligunt, deueniendũ eſſe ad vnum primum motorẽ, qui abſq; eo quod ipſe moueatur, alia moueat. Quod argumentum omnino corrueret, ſi idem omnino reſpectu eiuſdem poſſet eſſe mouens & motum. Et ſimiliter ex eodem principio, & quia in nõ viuentibus homogeneis non poſſunt deſignari partes diuerſæ rationis, quarum perinde vna poſſit eſſe mouens, & alia mota, colligunt illa ab alio moueri, quod argumentũ etiam nullius eſſet roboris, ſi idem ſecundum eandem partem & eandem rationem poſſet eſſe mouens & motum.

5 Probatur autem primo, ratione Ariſtotelis; & D. Thomæ in prædictis locis, quia omne quod aliquo motu mouetur, neceſſe eſt quod in quantum huiuſmodi ſit in potentia ad terminum talis motus, cum motus ſit actus entis in potẽtia ſecundum quod in potentia: omne autem quod aliquid ad aliquem terminum mouet, oportet quod ſit in actu reſpectu

talis termini: vt quod mouet aliquid illud calefaciens, oportet, quod in ſe actu habeat calorem: ſed nihil poteſt reſpectu eiuſdem eſſe ſimul in actu & potentia: ergo nihil poteſt mouere ſe ipſum, ac perinde oportet, quod omne quod mouetur, ab alio moueatur. §. Nec valet dicere, quod vt aliquid aliquod moueat ad aliquem terminum, ſufficit, quod reſpectu talis termini ſit in actu virtuali, & optime poteſt aliquid eſſe ſimul reſpectu eiuſdem in actu virtuali & in potentia formali. §. Non inquam, id valet, quia licet non ſemper requiratur, quod vt aliquid aliud ad aliquem terminum moueat ipſum terminum actu formaliter in ſe habeat, ſicuti vt ſol aliquid calefaciat, non requiritur, quod actu formaliter in ſe habeat calorem, requiritur tamen, quod illum in ſe habeat actualiter, formaliter vel eminenter, id eſt in aliqua forma actuali, quæ eminenter ſit calor, & in hoc ſenſu intelligitur, quod idem reſpectu eiuſdem poteſt eſſe ſimul in actu virtuali & in potentia formali eſt falſum, quia id quod eminenter eſt tale, non habet potentiam vt formaliter ſit tale, ſicut Sol non habet potentia, vt formaliter ſit calidus. Nec ſufficit, quod ſit in actu virtuali, vt contraponitur ad eſſe in actu formaliter vel eminenter, quia quod ſic eſt in actu virtuali abſolute & ſimpliciter eſt in potentia, & omne quod mouet aliquid, debet eſſe in actu cum nihil poſſit agere

&

& mouere, niſi in quantum eſt in actu.

6 Secundo probatur & amplius explicatur concluſio, quia licet omne agens creatum exiſtens in potentia ad aliquem ſui motum indigeat præuia Dei motione, per quam reducatur ad actum, & ad talem motum applicetur, vt late oſtendimus ſupra lib. 2. quæſtion. 13. & id ſufficeret ad ſaluandum, quod omne quod mouetur, ab alio mouetur, & vt ex motu probetur, deueniendum eſſe in quolibet motu ad aliquem primum motorem qui immotus alia moueat; tamen præter hanc generalem motionem aliquid dicitur mouere ſeipſum, cum ex vno ſuo actu vel motu applicatur vel mouetur ad alium motum vel actum, vt homo per actum intentionis mouetur & applicatur ad eliciendum actum electionis, licet etiam ad illius elicientiam indigeat efficaci præmotione Dei; & ſimiliter animal per motum cordis applicatur & mouetur ad alios motus vitales vt ad motum augmentationis, quamuis etiam ad illum indigeat præuia efficaci motione Dei. Homo igitur ad illos ſecundos, actus vel motus non ſolum mouetur à Deo, ſed ipſemet ſecundum vnam ſui partem, vel vt actuatus vno ſuo actu ſe mouet ad motum alterius partis, vel ad alterius actus elicientiam. In primo igitur actu, vt in actu intentionis, quem nullus præceſſit hominis actus quoad ta-

lem actum homo ſe moueat, Deus per ſuam motionem applicans hominem ad talem primum actum eſt vnicum mouens illum. Proceſſus igitur in mouentibus eſt, quod omne quod mouetur, ſi ipſummet ad id ſe mouet medio alio ſuo motu, cum non poſſit procedi in mouentibus in infinitum, deueniendum eſt ad aliquem primum motum ad quem ipſum non ſe moueat, ſed præciſe moueatur ab alio.

7 Tertio inductiue probat concluſionem Diu. Thom. in prædicto cap.13. lib. 1. contra gentes his verbis. *Omne quod mouetur per accidens, non mouetur à ſe ipſo: mouetur enim ad motum alterius. Similiter neque quod mouetur per violentiam vt manifeſtum eſt, neque quæ mouentur per naturam, vt ex ſe mota; ſicut animalia, quæ contant ab anima moueri. Nec iterum quæ mouentur per natura, vt grauia & leuia, quia hæc mouentur à generante & remouente prohibens*. Hæc D. Thom. Cuius inductionis ſingulæ partes ex dicendis in duabus quæſtionibus ſequentibus magis patefient.

(...)

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Vtrum grauia & leuia moueantur à ſe, an vero à generante?

EXperientia conſtat, corpora grauia non viuentia, ſi ab aliquo extrinſeco non impediantur, ſtatim deſcendere: & corpora leuia, vt ignis, ſeorſum aſcendere. De huiuſmodi ergo motu inquirimus, an ad illum corpora grauia & leuia ſe moueant, vt aliqui exiſtimant extra ſcholam D. Thomæ, an vero talis eorum motus ſpecialiter vt propriæ & particulari cauſæ efficienti, eorum tribuatur generanti, vt communis fert Thomiſtarum ſententia. Nec dubium eſt de cauſa per accidens talis motus: ſi enim graue extra centrum aliquo impedimento detineatur, certum eſt, quod tunc remouens tale impedimentum, quod illius prohibebat motum, erit cauſa per accidens motus illius, quæ cauſa vocatur remouens prohibens, & ſolum eſt dubium, quæ ſit cauſa per ſe talis motus.

2 Dicendum eſt, grauia & leuia ad ſuos motus naturales in centrum non moueri à ſe, ſed à generante. Concluſionem docet noſter Author lib. 2. Phiſ. quæſt. 1. &

lib. 8. quæſt. 3. & eſt expræſſa Ariſtot. & D. Thom. pluribus in locis. Ariſtoteles enim lib. 3. cap 4. text. 29. ſupponens grauia & leuia motu naturali moueri, & inquirens, à quo principio moueantur. Reſpondet. *Eſt autem impoſſibile; quod moueantur à ſcripſis: eſt enim hoc officium vitæ & animatorum propriũ.* Et aſſignans directe cauſam motus grauium & leuium aſſerit text. 33. ſequenti. *Quæcumque à ſeipſis mouentur, ab aliquo mouentur, & quæ non à ſeipſis, vt leuia & grauia (aut enim à generante, & faciente leue & graue aut ab eo quod impedientia & prohibentia prohibet.)* Idem etiam docet D. Thomas pluribus in locis: enim p. q. 18. art. 1. ad 2. ait. *Corpora grauia & leuia mouentur à motore extrinſeco vel generante, qui dat formam, vel remouente prohibens, vt dicitur 8. Phiſicorum, & ita non mouent ſeipſa, ſicut corpora viuentia.* Et 1. contra gentes, cap. 27. idem docet his, verbis. *Illa ſola per ſe mouentur, quæ mouent ſeipſa compoſita ex motore & moto, ſicut animata. Vnde hac ſola proprie viuere dicimus. Alia vero omnia ab aliquo exteriori mouentur, vel generante vel remouente prohibens, vel impellente.* Ac deniq; (alijs omiſſis eiuſdem Angelici Doctoris teſtimonijs) ita habet in 1. diſtin. 14. art. 3. *In motu corporum ſimplicium quamuis forma naturalis ſit principium motus, non tamen eſt motor, ſed eſſentialis motor eſt generans, qui dedit formam, & accidentales eſt remouens prohibens, vt dicitur 8. Phiſicor.*

3 Pri-

3 Prima autem pars concluſionis, videlicet, quod grauia & leuia in ſuis motibus naturalibus non ſemoueant, probatur primo, quia in omnibus quæ ſic ſe mouent debent aſſignari diſtinctæ partes, vt ſecundum vnam ſe moueant, & ſecundum alteram moueantur. Sed tales diſtinctæ partes non ſunt aſſignabiles in grauibus & leuibus. Ergo non poſſunt ſe mouere. Maior conſtat ex dicti quæſt. præcedenti, & ex teſtimonio proximè adducto Diuo Thomæ ex lib. contra gentes: & patet, quia cum idem omnino idem & ſecundum eandem partem & rationem non poſſit reſpectu eiuſdem eſſe ſimul mouens & motum: alias idem ſecundum eandem rationem eſſet ſimul reſpectu eiuſdem in actu & potentia, vt aliquit ſe moneat, debet in illo aſſignari aliqua pars vel ratio, ſecundum quam ſe moueat, & alia pars aut ratio diſtincta, ſecundum quam moueatur, vt in animali, cum ſit etherogeneum, aſſignantur partes diuerſæ rationis, & ex motu cordis mouet ſe ad motum aliarum ſuarum partium, & homo per actum intentionis ad actum electionis ſe mouet. Minor autem probatur. Quia cum grauia & leuia ſint homogenea, & omnes illius partes eiuſdem rationis, non eſt maior ratio, quare ſecundum vnam ſe moueant, & ſecundum alteram ſint mota, quam è contra. Ergo non eſt aſſignabilis in illis prædicta partium diſtinctio.

4 Se-

4 Secunda autem pars concluſionis probatur, quia ſi grauia & leuia mouerent ſeipſa, eſſent vtique viuentia. Ergo cum viuentia non ſint, ſeipſa mouere non poſſunt. Antecedens manifeſte deducitur ex adductis teſtimonijs, & pluribus alijs Ariſtotelis & Diuo Thomæ, in quibus aſſerunt, proprium eſſe viuentium mouere ſeipſa, & in hoc differentiam conſtituunt illorum à non viuentibus, quod quidem (vt verbis noſtri authoris in allegata quæſt. 3. lib. 8. Phiſic. circa ſolutionem ad 3. argumentum vtar) non fuit tantum aſſertum Ariſtotelis, vt hic patet, & latius 1. de anima, ſed fuit indubitata confeſſio omnium Philoſophorum, vt in Phædro videre eſt apud Platonem, vbi nullum aliud diſcrimen inter viuentia & res in animes conſtituit, quam quod viuentia habent internum motorem, res vero inanimes non niſi externum. Hæc noſter author. Idque manifeſte patet. Quia tandiu vitam cuiuſuis durat, quandiu ipſum ſe mouens perſeuerat, & ex quo animal ex animе iacet, nullatenus niſi ab alio mouetur: & ex quo planta exciſſa moritur, & non iam viuens, ſed vt ſui iacet cadauer, nullatenus iam augetur (qui ſolus motus erat illi proprius, dum vita fruebatur) ſed ſolum motu locali, vel motu alterationis ab extrinſeco motore poteſt moueri. Sufficit ergo huiuſmodi irrefragabilis experientia ſuadere, proprium eſſe viuentium ſe mouere, idque per-

perinde nulli non viuenti competere poſſe. §. Nec valet diſcrimen quod inter viuens & non viuens, etiam ſi vtrumque ſe moueat, aſſignat Scotus, quod viuens ſe mouet media ſui cognitione,non vero non viuens. Non, inquam, id valet. Tum quia plantæ vegetabilem vitam habentes abſque cognitione ſemouent, & per id diſtinguuntur à non viuentibus. Tum etiam, quia animalia, licet ad aliquos motus media cognitione ſe mouent, ad motum tamen augmentationis aliofque motus naturales ſemouent, & non media aliqua cognitione, cum talis etiam motus ſit proprius illorum vt viuentium.

5 Secunda pars concluſionis, videlicet quod motus grauium & leuium tribuatur illorum generanti, præterquam quod ſequitur ex prima concluſionis parte, quia ſi grauia & leuia ad tales motus non ſe mouent, neceſſarium eſt, quod moueantur ab alio: & aliud à quo moueri poſſint, non eſt niſi generans: præter hoc, inquam directe id probatur ratione Diu. Thomæ quæſt. 5. de veritate, quæ ſic inducitur, generans quod dat alicuius formam, dat etiam ea quæ ad talem formam per modum proprietatis ſequuntur: ſed motus naturalis grauium & leuium ad eorum formam & naturam per modum proprietatis conſequitur. Ergo illorum generans dat illis talem illorum motum, illeque perinde actioni generantis tribuitur. Maior probatur, & explicatur, quia proprietates,

tes, quæ ad aliquam conſequuntur naturam, non per diuerſam, ſed per eandem actionem, ac ipſa natura producuntur, & actionem generantis vt terminus illius primarius natura geniti terminat, & vt terminus ſecundarius proprietatis & paſſionis quæ ad eandem naturam reſultant. Ergo actioni generantis vterque talis terminus primarius & ſecundarius tribuitur, & ſicut generans dicitur dare naturã geniti, ita & proprietates illius. Minor eſt expræſſa Diu. Thomæ ſic aſſerentis, *Formam ipſius elementaris corporis ſequitur talis motus, ſicut & aliæ naturales proprietates eſſentialibus principijs conſequuntur. Vnde in eis generans dicitur eſſe mouens, in quantum dat formam, quam conſequitur motus*. Et probatur. Quia licet vt ibidem docet Diuus Thomas, nulla natura poſſit inclinari ad motum propter ipſum motum, bene tamen propter quietem, ad quam ordinatur motus. Sed quies in ſuis naturalibus locis eſt proprietas naturæ grauium & leuium ad quam perinde vt ad propriam ſui paſſionem ipſorum natura propenditur & inclinatur. Ergo cum grauia & leuia extra ſua loca naturalia producuntur, eorum motus in talia loca per modum paſſionis & proprietatis ab eorum natura dimanat. Et ſi cum corpus aliquod huiuſmodi elementale extra ſuum centrum producitur, aliquod ad talem illius motum obſtet impedimentum illo ablato ſta-

tim

tim naturali ſequela talis ſequeretur motus, ſicuti ſi ab humanitate Chriſti tolleretur ſubſiſtentia Verbi, quæ eſt quaſi impedimentum, ne ad illam propria creata emanaret ſubſiſtentia, ſtatim hæc ad illam conſequeretur. Et ſi graue ſemel in centro productum, vel per motum ad centrum perueniens ab illo extraheretur, etiam tunc quotieſcumque extra centrum quomodolibet exiſteret, inclinaretur ad quietem in centro, & motus ad illud naturali ſequela ab illius natura reſultaret, & vt terminus ſecundarius primæ tribueretur actioni generantis.

Confirmatur. Quia ad generans pertinet conſtituere genitum in perfectione ſibi pro inſtanti generationis debita. Sed perfectio pro inſtanti ſuæ generationis debita grauibus & leuibus eſt eſſe in ſuo centro. Ergo ad generans pertinet illa in tali loco conſtituere, & vſque dum illa in tali loco conſtituat, ipſius generantis non ceſſat actio, ſed potius quidquid ad conſecutionem talis perfectionis ordinatur, qualiter ad illam ordinatur eorum motus in centrum, cum extra illud ſint, ipſi actioni generantis tribuitur.

6 Obijcies primo. Quod motus grauium & leuium non eſt illorum propria paſſio. Falſo igitur ob id aſſerimus, illum tribui actioni generantis. Antecedens probatur primo. Quia eſto quæ ad aliquam naturam vt illius proprietates ſe-

quun-

ouuntur, poſſent ſupernaturaliter, ne de facto ſequantur, impediri, naturaliter ſaltem impediri nequeunt. Sed naturaliter impediri poteſt (vt conſtat per oppoſitionem alterius corporis motus grauium & leuium. Ille igitur non conſequitur ad eorum naturam per modum propriæ paſſionis & proprietatis. Secundo probatur antecedens, quia quod vt illius proprietas alicui conuenit; non prædicatur de illo accidentaliter ſeparabiliter & prædicatione quinti prædicabilis: ſed actualis motus in centrum ſic prædicatur de grauibus & leuibus, & hæc non minus eſt accidentalis & quinti prædicabilis prædicatio, lapis actualiter deſcendit in centrum, quam iſta, homo ridet. Ergo licet potentia ad motum ſit proprietas grauis, ſicut riſibilitas quæ eſt potentia ad ridendum eſt proprietas hominis, actualis tamen motus non eſt proprietas grauis, ſicut actu ridere non eſt proprietas hominis.

§. Tertio probatur antecedens, quia id quod vt alicuius naturæ proprietas ad illam conſequitur, nullo poſito impedimento ſtatim & in eodem inſtanti productionis talis naturæ ſequitur ad illam. Sed etiam nullo appoſito impedimento non ſequitur in inſtanti ipſo productionis extra centrum illius in centrum deſcenſus. Ergo ille nō ſequitur per modum naturalis paſſionis & proprietatis ad naturā grauis. Maior patet in omnibus quæ per modum

dum proprietatis ad aliquam conſequuntur naturam, quæ ſi nullum adſit impedimentum, in eodem inſtanti productionis talis naturæ ad illam conſequentur. Minor autem probatur. Quia corpus graue & leue incipit in inſtanti, deſcenſus autem illius in centrum, cum ſit vere motus ſucceſſiuus, in inſtanti incipere nequit. Ergo motus grauium & leuium non poteſt in eodem inſtanti productionis illorum ad eorum naturam conſequi. §. Quarto denique & ſpecialius idem probatur antecedens. Nam id quod ſequitur ad aliquid per modum proprietatis & propriæ paſſionis, nullo appoſito ad illius ſequelam impedimento non poteſt ſaltem per magnam & infinitam durationem ad illud nō ſequi, ſed poteſt abſque appoſitione alicuius impedimenti graue productum extra centrum magnam aut infinitam durationem eſſe abſque ſuo motu incentrum: ergo illius motus in centrum ad illius naturam per modum proprietatis non conſequitur. Minor probatur, quia potuit Deus hoc vniuerſum ſaltem quoad res permanentes ab æterno creare, & in illo graue extra centrum in aere v.g. lapidem ab æterno producere, ſed tunc per magnam imò per infinitam durationem tale corpus deberet eſſe abſque ſuo motu in centrum, quia motus illius vtpote ſucceſſiuus ſecundum probabilem ſententiam non potuit incipere ab æterno, ſed in quacumque duratione non ab æterno inciperet, inter

illius

illius inceptionem & productionem gra-
uis ab æterno interueneric infinita dura-
tio : ergo poſſet tale corpus per infinitam
durationem eſſe abſque ſuo motu in cen-
trum, etiam ſi ad illum nullum ei appone-
retur impedimentum. Minor probatur,
quia inter æternum & non æternum infi-
nita interuenit duratio: ergo inter tale
corpus ab æterno productum & illius mo-
tum, quia à parte ante non eſſet æternus,
infinita interueniret duratio, & pro tota
illa tale corpus eſſet abſque ſuo motu in
centrum.

7 Reſpondetur, negando principale antecedens. Et ad primam illius probationem dico, quod licet paſſiones, quæ omnino ſunt independentes ab extrinſeco, non poſſint naturaliter impediri; bene tamen quæ dependent ab extrinſeco, qualiter dependent motus à non interpoſitione corporis.

Ad ſecundam probationem reſpondetur, quod quia iſtæ paſſiones aliquando dependent ab extrinſeco, ſcilicet remotione corporis impedientis motum, quia huiuſmodi impedimentum & illius remotio poteſt naturaliter contingere & non contingere, motus accidentaliter ſeparabiliter prædicatur de grauibus, non quia non profluat per modum paſſionis ab illorum natura, ſed quatenus actualis motus connotat negationem vel remotionem impedimenti, quæ omnino accidentaliter poteſt contigere.

Ad

Ad tertiam probationem reſpond. quod vt motus grauis ſit illius paſſio, ſufficit, quod non appoſito impedimento ſequatur ad graue ſtatim iuxta naturam ipſius motus, hoc eſt in tempore immediate ſequenti illius productionem, quia natura rei ſucceſſiuæ eſt, quod incipiat in tempore, & ſi proprietas fuerit rei permanentis, ſolum ob id habebit ſequi & incipere in tempore immediate ſequenti ad inſtans illius productionis, ſi nullum apponatur impedimentum.

8 Ad quartam denique probationem præter quam quod (vt videbimus lib. 8. quæſt. 3.) probabilius eſt, poſſe eſſe ab æterno, quia licet de eſſentia rei ſucceſſiuæ, qualis eſt motus, ſit quod non poſſit illius prima pars deſignari, id etiam habebit, ſi fuiſſet ab æterno, quia non poteſt in his, quæ ſunt ab æterno, imaginari aliqua duratio, qua non habuerint aliam priorem durationem. Præter hoc, inquam, etiam ſi ſupponamus motum, aliaſque res ſucceſſiuas non potuiſſe eſſe ab æterno, in ea ſententia reſpondetur, quod etiam ſi mundus quoad res permanentes potuerit eſſe ab æterno, non tamen ſeruatis omnibus quæ connaturaliter exigunt. Vnde licet grauia extra centrum producta connaturaliter exigant, quod tempore immediate ad illorum productionem incipiant moueri in centrum, non poſſent produci ab æterno conformiter ſuæ naturæ & inſtanti, ſed poſt infinitam durationem in-

cen-

centrum moueri, quod vtique non arguit, talem illorum motum non eſſe illorum proprietatem, ſed quod tunc non producerentur conformiter ad ſuam naturam cum tali ſtatim ſua propriatate.

9 Obijcies ſecundo, quod eſto motus grauium & leuium ſit proprietas illorum, id non tollit, quod ad talem motum ipſa grauia & leuia ſe moueant, nec facit, quod talis motus ipſorum tribuatur generanti. Nulla igitur eſt conſequentia in vltima ratione concluſionis facta. Antecedens probatur. Nam motus in animalibus ſequitur vt propria paſſio ad illorum animam, vt expræſſe docet Diu. Thomas opuſc. 35. de motu cordis: & tamen ad talem motum ipſum animal ſe mouet, ipſeque talis motus non tribuitur generanti. Propoſitum ergo antecedens eſt verum. Minor probatur, quia motus cordis eſt vitalis, imò maxime vitalis, cum ſit primum omnium aliorum motuum vitalium animalis: ergo ad talem motum cordis ipſum animal ſe mouet. Probatur conſequentia, quia ſicut viuens in eo diſtinguitur à non viuente, quod ſe mouet, ita motus vitalis in eo diſtinguitur à non vitali, quod ille ipſi viuenti & non alij motori extrinſeco tribuitur.

Reſpondetur negando antecedens. Et ad probationem neganda eſt minor, ſicut illam negat Diuus Thomas in prædicto opuſculo, non ſolum aſſerens, motum cordis ſequi per modum proprietatis ad ani-

animam, ſed & quod illi tribuitur danti talem formam, ſicuti & danti formam elementarem tribuitur motus naturalis elementorum, grauium videlicet aut leuium, & ad probationem in oppoſitum reſpondetur, quod non omnis motus vitalis tribuitur ipſi viuenti, ſed illi dumtaxat, qui iam ſupponit primum motum vitalem illius, qui cum naturalis ſit, & perfectio debita ipſi viuenti pro primo inſtanti ſuæ generationis ſequitur naturali ſequela ad eius formam, & tribuitur generanti, quod alij non improbabiliter aliter explicant dicentes, quod motus cordis eſt vitalis vt quo, & initium vitæ, quia medio illo animal ad alios motus ſe mouet, non tamen eſt motus vitalis conſummatus, quales ſunt alij motus ſubſequentes in animali. Vnde licet ad iſtos ipſum ſe debeat mouere, non tamen ad motum cordis, qui eſt initium vitæ, & terminus ſecundarius generationis viuentis, qui ad terminum primarium, formam videlicet viuentis naturali reſultantia dimanat: ac perinde non ipſi viuenti, ſed illius tribuitur generanti.

10 Obijcies tertio, quod in grauibus & leuibus eſt principium intrinſecum actiuum ſui motus. Ipſa igitur grauia & leuia medio tali principio actiuo ſe mouent. Antecedens conceditur à D. Thom. pluribus in locis, præcipue quæſt 5. de veritate art. 5. vbi ſic ait. *Attendendum eſt, quod motus cæli non hoc modo eſt natu-*

ralis

talis cœleſti corpori ſicut motus elementaris corporis eſt ſibi naturalis: habet enim huiuſmodi motus in mobili principium non ſolum materiale & receptiuum, ſed etiam formale & actiuum. Conſequentia vero probatur, quia viuens ideo ad ſuos motus vitales vt ad motum augmentationis ſe mouet, quia in ſe habet principium actiuum talis motus: ergo ſi graue v.g. lapis in ſe habet principium actiuum ſui motus deorſum ad talem motum ſe ipſum mouet.

Reſpondetur, quod grauia & leuia habent quidem in ſe principium actiuum ſui motus, principium tamen actiuum formale vt expreſſe in allegato teſtimonio aduertit Diuus Thomas, hoc eſt principium emanationis radicale & proximum, radicale ſcilicet ſuam formam & proximũ ſuam grauitatem; quia ſicut in alijs rebus aliquæ proprietates dimanant immediate à forma, & aliæ medijs illis; ita in grauibus immediate dimanant ab eorum forma grauitas & media grauitate motus in centrum. Et in hoc poſuit diſcrimen ibi Sanctus Doctor inter huiuſmodi elemẽtorum motum & motum cœli, quod huius nullum principium actiuum etiam formale & emanationis, ſed ſolum principium paſsiuum eſt in cœlo; non tamen ad motum grauium & leuium eſt in illis principium actiuum propriæ efficientię, & vt per propriam actionem diſtinctam ab actione generantis, ab ipſis grauibus & leuibus talis motus cauſetur. In viuentibus autem

ad

ad ſuos motus vitales, qui non ſequuntur per modum proprietatis ad eorum formã eſt principium actiuum propriæ efficientiæ, & ſic tales eorum motus per propriam actionem & diſtinctam ab actione generantis ab illis cauſantur: ac perinde ipſis & non generanti immediate tales motus tribuuntur, proprieque ad illos viuentia ſe mouere dicuntur.

11 Obijcies quarto, quod quamuis ſe mouere ad centrum ſit perfectio debita grauibus extra centrum exiſtentibus non inde ſequitur, talem motum eorum tribui generanti. Perperam igitur ob id aſſeritur, generanti eſſe tribuendum. Antecedens probatur, quia etiam motus augmentationis, alijque motus naturales virtuales ſunt perfectiones debitæ viuentibus, & tamen illi non ita immediate tribuuntur generanti, vt ad illos ipſa viuentia non ſe moueant: ergo etiam ſi motus grauium & leuium ſit perfectio ipſis exiſtentibus extra centrum debita, non ita immediate tribuuntur eorum generanti, vt ad ipſos motus ipſa grauia & leuia non ſe moueant.

Reſpondetur, quod non ex eo quod motus grauium & leuium ſit perfectio qualitercumque eis debita, colligitur, talem motum ſpecialiter tribui ipſorum generanti, ſed quia eſt perfectio eis pro inſtanti ſuæ generationis debita, & ad generans pertinet conſtituere genitum in ſtatu perfecto ei pro inſtanti generationis debito. Augmentatio autem & alij motus vitales

licet ſunt perfectiones viuentium, non tamen eis pro inſtanti ſuæ generationis debitæ: tunc enim ſolum debetur illis motus cordis & potentiæ ad alios motus habendos, qui perinde ipſis viuentibus tribuuntur.

12 Obijcies quinto, quod multoties cum graue mouetur in centrum, tunc generans realiter non exiſtit: ergo talis illius motus non cauſatur tunc à generante: ac perinde cum debeat aſſignari tunc cauſa actualis illius, nullaque alia aſſignabilis ſit quam ipſummet graue, illud cauſat talem ſui motum. Conſequentia probatur, quia cum aliquod realiter non exiſtit, non poteſt eſſe alicuius effectus actualis cauſa realis: ergo nec generans poteſt eſſe realis cauſa motus, qui incipit. cum iam ipſum realiter non exiſtit.

Reſpond. quod cum motus grauium & leuium cauſetur ſolum vt terminus ſecundarius productionis ipſorum, ſufficit, quod eorum natura realiter exiſtat, etiam ſi in ſe tunc non exiſtat generans, quod talem produxit naturam, vt motus, qui tunc ſequitur, ipſius tribuatur actioni generantis, quæ in illius termino primario virtualiter permanet ad reſultantiam termini ſecundarij. Nec iſtud eſt hic peculiare, ſed contingere poteſt in omni termino ſecundario alicuius actionis, qui vt agenti & illius actioni tribuatur, ſufficit, quod tam illud quam illius actio in ſuo termino primario perſeueret.

13 Vl-

13 Vltimo tandem obijcies, quod ſi grauia & leuia mouerentur à generante, quo illi eſſent propinquiora, velocius mouerentur. Cuius oppoſitum experientia conſtat, ſiquidem in fine motus eſt velocior quam in principio cum minus diſtant à generante. Non igitur ab illo mouentur.

Reſpond. negando ſequelam, quia cum motus grauium & leuium non tribuatur generanti per aliquem, quem illis imprimat, impulſum, vt proiecta mouentur à proijciente, qui perinde impulſus debilior fit per maiorem diſtantiam; ſed eorum motus tribuitur generanti, quatenus eis tribuit naturam, grauitatem vel leuitatem, quæ licet dependeant in fieri à generante, non tamen in conſeruari, ideo non minuitur velocitas motus grauium & leuium ex eorum diſtentia à generante, ſed ex maiore propinquitate ad centrum augetur, qui quanto magis illis appropinquant; magis grauitant, & maiori inclinatione in centrum trahuntur, velociuſque ad illud deſcendunt. §. Nec huic obſtat, quod graue, quod multum diſtat à centro velocius in medio motus mouetur in illud, quam in qualibet parte motus graue, quod parum diſtat à centro, cum tamen hoc in qualibet parte ſui motus propinquius ſit centro, quam aliud in medio ſui motus. Non, inquam, id obſtat, quia id prouenit ex eo quod in minori diſtantia non eſt tantum tempus,

vt pondus & inclinatio ad centrum paulatim augeatur, & motus fiat velocior.

QVÆSTIO III.

Qualiter moueantur violenter proiecta?

VT circa omnes partes inductionis omnium quæ mouentur quæſt. 1. exacte factæ diſcurramus, cauſam motus violenti proiectorum oportet explicare. Ad quod, omiſſis aliquorum ſententijs reſolutorie ex doctrina noſtri authoris, lib. ſequenti quæſt. 3. circa ſolutionem ad 2. argumentum aliquibus concluſionibus reſpondetur.

2 Dico igitur primo. Proiecta nec à ſolo proiiciente, nec à ſolo aere circunſtante, ſed ab vtroque mouentur. Prima pars concluſionis eo probatur, quia experientia conſtet, proiecta minus velociter in principio quam in medio motus moueri, minuſque fortiter in principio quam in medio ſui motus aliquid percutere. Ergo non mouentur à ſolo proiiciente: alias cum in principio ſui motus ei eſſent propinquiora, velocius tunc quam in medio ſui motus mouerentur.

§. Secunda autem pars probatur, quia ſi à ſolo aere proiecta mouerentur, eo velo-

locius mouerentur ab illo, quo illa eſſent minoris grauitatis. Velociuſque verbi gratia lana quam ferrum: aer enim ex ſe maiorem vim habet ad mouendum corpus minus quam magis graue. Ergo cum experientia conſtet, velocius moueri proiecta maioris quam minoris grauitatis, illa non mouentur à ſolo aere circunſtante. Vera igitur eſt tertia pars concluſionis, videlicet quòd mouentur & à proiiciente & à partibus aeris, quæ medio proijcientis impulſu concitatæ & condenſatæ impellunt ipſum proiectum, quod ratione vtriuſque impulſus velocius mouetur in medio ſui motus quam in principio, cum ſolus aderat impulſus proijcientis. Nec Ariſtoteles quamuis in aliquibus locis videatur ſoli aeri tribuere motum proiectorum nulla facta mentione proijcientis, intendit negare illa à proijciente moueri, ſed ſolum quod ad id multum iuuat aer circumſtans à proijciente concitatus & motus.

3 Dico ſecundo. Talis motus proiectorum fit medio aliquo impulſu eis & aeri circunſtanti à proijciente impreſſo. Concluſio eſt communis. Et quidem quod fiat medio impulſu ipſis proiectis à proijciente impreſſo, colligitur ex diuerſis teſtimonijs D. Thom. quæſt. enim de anima, art. 11. ad 2. ait. *Virtus, quæ eſt in ſemine à Padre, eſt virtus permanens ab intrinſeco, non fluens ab extriſeco, ſicut virtus mouentis, quæ eſt in proiecto.* Quod au-

tem etiam fiat medio impulſu aeri circumſtanti à proijciente impreſſo, colligitur etiam ex D. Thoma 3. de cœlo lect. 7. vbi ait. *Quod aer ſuſceptibilior eſt huius impræſſionis quam lapis*. Sentitque perinde, quod vtrumque, lapis ſcilicet & aer illum circunſtans eam impræſſionem ſeu impulſum à proijciente recipit. Ratione autem concluſio probatur. Quia licet in principio motus proiectorum coniectorum coniunctum ſit cum illis proijciens, poſtea tamen manet in ſe ab illis diſtans. Ergo cum nullum corpus poſſit agere in diſtans, niſi media virtute illi impreſſam, vt proijciens moueat lapidem, conciteque partes diſtantes aeris, tam illis quam lapidi aliquem debet imprimere impulſum.

Nec huic concluſioni obſtat, quod D. Thom. de cœlo lect. 7. aſſerit. *Non eſſe intelligendum, quod virtus motoris imprimat lapidi in motu violento aliquam virtutem, per quam moueatur ſicut virtus generantis imprimit genito formã quam conſequitur motus naturalis*. Non, inquam, id obſtat, quia ibi non intendit abſolute negare D. Tho. omnem virtutem à proijciente lapidi impreſſam, ſed virtutem permanentem, qualis à generante imprimitur generato ad ſuum motum naturalem.

4 Dico tertio, Cum aliquod proiectum inueniens reſiſtentiam in alio corpore motu contrario reſiſtit & mouetur, talis ſecundus motus & tribuitur proijcienti,

ti, & etiam corpori reſiſtenti: tribuitur quidem proijcienti, quia iuxta quantitatē maioris vel minoris illius impulſus velocius proiectum motu contrario reſiſtit. Tribuitur etiam ipſi corpori reſiſtenti, quia etiam quanto illud fortius reſiſtit, tāto etiam ipſum proiectum velocius motu contrario reſiſtit. Vnde ſi cum æquali impulſu proijcientis pilam inæqualis ſit reſiſtētia corporis obſtantis, vt ſi alterū ſit paries luteus, alterū paries lapideus, pila velocius reſiliet ab iſto quam ab illo, & è contra ſi cum æquali reſiſtentia corporis obſtantis inæqualis ſit impulſus proijciētis, velocius reſilibit pila, quæ cum maiori impulſu proijcitur.

QVÆSTIO IV.

Vtrum agens & patiens debeant eſſe ſimul.

SVb alijs terminis ſolet hæc quæſtio proponi, an videlicet ad actionem requiratur approximatio agentis ad paſſum. Pro reſolutione autem eſt ſupponendum, duplicem poſſe eſſe coniunctionem ſeu approximationem agētis ad paſſum, per ſimultatem videlicet & immediationem ſuppoſiti, aut per ſimultatem & immediationem ſolum virtutis. Cum autem ſi ipſum agens non eſt immedia-

tum ad paſſum; & virtus agentis eſt immediata ad illud, cũ talis virtus agentis nõ poſſit eſſe niſi recepta in aliquo, illud immediatione ſuppoſiti eſſe ſimul cum paſſo, vel ſaltem immediatione virtutis agentis differatur ad paſſum medio alio, quod in ipſo immediate operetur quod vtriq; fieri nequit, niſi primum agens ſit immediatũ immediatione ſuppoſiti in primũ paſſum, & hoc virtute recepta à primo agente influat in aliud paſsũ ſibi propinquũ. Vnde quæſtio iſta in re coincidit cũ ea, an agens poſſit agere in diſtans, quin prius agat in propinquum.

2 Dicendum eſt, agens & patiens debere eſſe ſimul ſimultate, & immediatione ſuppoſiti, vel ſaltem immediatione virtutis, ita vt nullum agens poſſit naturaliter agere in diſtans, quin prius agat in propinquum. Oppoſitum tenet Auicena & alij. Sed concluſionem cum Ariſtotele & D. Thoma communique ſententia tenet noſter Author in hoc lib. queſt. 1. & probatur primo cum Ariſtotele inductiue, quia non datur aliquod agens, quod abſq; approximatione ad paſſum & immediatione ſuppoſiti aut virtutis agat in illud, neque huius vniuerſalis propoſitionis aliqua inuenitur inſtantia, vt ex ſolutione ad eas quæ in oppoſitum obijciemus conſtabit.

5 Secundo probatur. Quia non poteſt aliquod agere in diſtans, quin prius

agat

agat in propinquum. Id igitur eſt vt eius virtus per propinquum paſſum deferatur ad diſtans, ac perinde vt in illud agat, requiritur ſaltem immediatio & ſimultas virtutis cum illo. Antecedens probatur primo, quia non poſſet aliquod agere in diſtans, ſi inter ipſum agens & paſſum nullum intercederet corpus, ſed omnino eſſet vacuum, ſed ideo id eſt, quia in vacuo non poteſt operari. Ergo vt aliquid operetur in diſtans requiritur quod prius operetur in propinquum. Minor non poteſt experientia conſtare, cum nullum de facto detur vacuum, ſed ex eo colligitur, quia ideo natura vacuum abhorret, vt corpora ſublunaria, quæ à cœleſtibus dependent, eorum influxus poſſint recipere, & quia ſi inter illa & corpora cœleſtia eſſet vacuum, non poſſent corpora cœleſtia in hæc inferiora agere, aut influere. §. Secundo idem antecedens principale probatur. Quia ſi poſſet aliquod agere in diſtans abſque eo quod ageret in ſibi propinquum, nulla eſſet limitata ſphæra alicuius agentis, ſed quodlibet in quamcumque diſtantiam agere poſſet: ſi enim ignis calefaciat aut comburat lignum, non exigit naturaliter approximationem & immediationem ſaltem virtutis ad illud; non erit cur in lignum quantumuis ab ipſo diſtans eundem non poſsit cauſare effectum, cuius oppoſitum, experientia teſtatur.

4 Tertio probatur concluſio. Quia agens non poteſt agere niſi in materiam determinatam & ſibi ſubiectam: alias nulla erit ratio, maxime in agentibus naturalibus, & quæ nō libere & media cognitione agunt, quare magis in vnum quam alterum paſſum agat. Sed talis determinatio & ſubiectio materiæ ad determinatum agens abſq; approximatione & ſimultate agentis ad materiam prouenire non poteſt. Ergo talis approximatio & ſimultas ſaltem virtutis agentis cum paſſo neceſſaria eſt, vt illud agat.

5 Obijcies primo retorquēdo aduerſus nos argumentum, quod pro nobis fecimus, quia ſi non poſſet agens agere in diſtans, quin ageret in propinquum per cōmunicationem & multiplicationem virtutis agendi, ſequeretur, nullam eſſe ſphæram limitatam alicuius agentis, ſed quodlibet in quamcumque diſtantiam poſſe ſic agere, quia ſicut primum agens eſt immediatum propinquo ſibi paſſo, ita & hoc alteri ſequenti, & illud alij. Ergo ſi quodlibet immediatum paſſum recipit virtutem agendi ab agente ſibi immediato, quodlibet tale paſſum poterit agere in aliud ſibi immediatum, ita vt numquam deueniatur ad aliquod, quod ſi non inueniat reſiſtentiam aut indiſpoſitionem in paſſo ſibi immediato, in illud agere non poſsit, & ſic nullius agentis erit ſphæra limitata, ſed medio eo ordine agentium & patientium in quolibet quantumuis diſtans

ſtans poterit paſſum influere.

Reſpondetur negando ſequelam. Quia cum virtus agentis nõ eadem tranſeat ex vno ſubiecto in aliud, ſed in diuerſis agẽtibus & paſsis multiplicetur, debilitatur & remittitur, ita vt deueniatur ad aliquod paſſum, quod tam remiſſam virtutem accipiat à proximo agente, vt in aliud paſsũ quantumuis ſibi proximũ nullatenus agere poſsit, & per id limitatur ſphæra primi agentis.

6 Obijcies ſecundo, quod ignis inflammat ſtupam, vel ſulphur diſtans, quin agat in aerem ſibi proximum, aut illum inflammet, vt experientia teſtatur. Ergo vt ignis agat; non exigit approximationem nec immediationem ſuppoſiti aut virtutis ad paſſum. §. Confirmatur. Nam ſi quis apponat manum paululum diſtantem ad hoſtium fornacis, ignis intus exiſtens calefacit manum abſque eo quod calefaciat aerem, intermedium, cuius ſignũ eſt, quod ſi hoſtium fornacis claudatur, ſtatim deſinit calor in manu, quod vtique nõ eſſet, ſi illa non immediate ab igne, ſed ab aere intermedio calefieret.

Reſpondetur ad argumentum negando antecedens: licet enim propter maiorem diſpoſitionem ſtupæ aut ſulphuris, & minorem reſiſtentiam quam aeris, qui propter ſuam humiditatem magis igni reſiſtit, maiorem effectum cauſet ignis in ſtupa & ſulphure diſtante, quam in aere ſibi proximo, aliquem etiam effectum cauſat

in illo, imò exiſtimo aliquas tunc vel minutiſſimas partes aeris iu perciptibilitèr inflammati, & medijs illis propter maiorem diſpoſitionē ſtupæ aut ſulphuris hæc comburi & inflammari. §. Ad confirmationem negatur, tunc nō agere prius ignē fornacis in aerem quam in manū, & clauſo hoſtio fornacis, quia non conſeruatur ab igne calor in aere, deficit & in manu, licet paululum in ea ille perſeueret, illum tunc conſeruet aere ab igne calefacto.

7 Obijcies tertio, quod ignis calefacit aquam exiſtentem in lebete, quin fundum lebetis calefaciat, ſiquidem experientia teſtatur, quod aqua in lebeto feruente, fundum lebetis eſt tepidum. Et ſimiliter oleū exiſtens in vaſe papyraceo ſupra ignē appoſito feruet, quin papyrus comburatur, ita vt poſsint ſic in illo oua frigi. Id autem eſſe non poteſt, niſi ignis calefaciat oleum, quin agat in papyrum ſibi proximiórem. Non igitur vt aliquid agat in diſtans, oportet, vt prius agat in ſibi propinquum.

Reſpondetur negando antecendens. Cum experiētia etiam teſtetur, prius ignē incipere calefacere fundum lebetis quam aquam, licet calefactis poſtea profundioribus partibus aquæ, illiſque perinde aſcēdentibus, partes aquæ ſuperiores & frigidiores, ac perinde & grauiores deſcendāt ad fundum lebetis, illinſque calorem ab igne ſibi immediato acceptum ſua frigiditate temperent, licet tamdiu poſſet ignem

in lebetem & aquam in illo exiſtentẽ agere, vt iam omnes partes aquæ ſint calidæ, & ſimiliter fundum lebetis deficientibus partibus aquæ, quæ ſua frigiditate illius calorem temperent, ſit etiam intenſe calidum. §. Et eodem modo dico ad aliud exemplum, quod calefactis profundioribus partibus olei exiſtentis in vaſe papyreo, illæ aſcendunt, & deſcendunt frigidiores, quæ ſua frigiditate & humiditate reſiſtentes calori ab igne in papyrum illum temperant, & faciunt, quod papyrus aliquantulum in combuſta permaneat, licet tandem, ſi iuxta ignem perſeueret, comburatur.

8 Obijcies quarto, quod piſcis quidẽ vt plures authores teſtantur, tangens hamum, agit in brachium diſtans piſcatoris illud ſtupere faciens, ob idque talis piſcis vocatur torpedo. Et tamẽ nihil agit in corpora intermedia, in hamũ videlicet, arundinem, vel chordam, ex qua pendet hamus. Iam igitur aliquid agit in diſtans, quin agat in ſibi propinquum. §. Confirmatur. Nam magnes agit in ferrum diſtans, illud per aliquid ei impreſſum ad ſe trahens. Et tamen non agit in alia corpora intermedia, nec illa trahit ad ſe. Ergo agit in diſtans, quin agat in propinquum.

Reſpondetur ad argumentum negando minorem: aliquam enim qualitatem imprimit talis piſcis prius in arundine & chorda ex qua pendet hamus, quam agat in brachium piſcatoris, cuius ſignum eſt,

quod

quod ſi ſtatim ac talis piſcis tangit hamũ, intercidatur chorda, nullus illius effectus tranſibit ad brachium piſcatoris, licet propter diuerſam capacitatem ſubiecti, non eundem effectum in illo, ac in chorda & arundine, quæ ſtuporis non ſunt capaces causet. § Ad confirmationem aliqui exiſtimant, magnetem non propter aliquã qualitatem quam imprimat ferro illud ad ſe trahere, ſed propter ſimphatiam, quam illud habet cum magnete, quam alia corpora non habent cum illo. Sed id eſſe non poteſt: alias ferrum ex quacumque diſtantia traheretur à magnete ad illumque moueretur, ſed reuera magnes aliquã imprimit qealitatem ferro intra ſphæram ſuæ actiuitatis exiſtenti, aliquemque etiã cauſat effectum in corporibus inter medijs, non tamen eiuſdem rationis ac in ferrò propter diuerſam eorum diſpoſitionẽ & capacitatem, & ſic trahit ad ſe ferrum, non tamen alia.

9 Obijcies quinto, quod oculi faſcinantium aliquam noſciuam qualitatem imprimunt pueris à ſe diſtantibus, cum tamen nihil prorſus agant in corpora inter media, imò neque in homines maioris ætatis, etiam ſi ſibi ſint proximiores: iam igitur aliquid agit indiſtans, quin agat in propinquum.

Reſpondetur, reuera fuſcinãtes aliquid cauſare prius in aere quam in pueris diſtantibus, diuerſum tamen propter diuerſam capacitatem ſubiecti, & propter ma-

iorem teneritudinem pueri quam viri magis apti & capaces ſunt pueri ad recipiendam eam qualitatem noſciuam quam viri, & ſic illi quamuis magis diſtantes eam recipiunt, non vero iſte. Plures aliæ experientiæ poterant obijci, ſed ex his quæ ad propoſitas diximus, facile ad illas poteſt occurri, aduertendo ſemper, quod licet vt agens agat indiſtans, oporteat, quod prius agat in propinquũ, multoties tamen propter diuerſam diſpoſitionem & capacitatem paſsi non eiuſdem rationis in proximo ac in remoto paſſo causat effectum. Sol enim licet vt mineralia producat in viſceribus terræ, oporteat, quod prius agat in corpora inter media propter diuerſam tamen eorum diſpoſitionem, diuerſum in illis ac in viſceribus terræ, cauſat effectum.

LIBER OCTAVVS

Phiſicorum.

Summma textus.

IN primo capite probat aduerſus antiquos Ariſtoteles non dari initium motus, ſed ab æterno eſſe. §. In ſecundo capite ad rationes antiquorum aduerſus æternitatem motus reſpondet. §. In tertio oſtendit, non omnia ſemper quieſcere, nec omnia ſemper moueri. §. In capite quarto confirmat id, quod libro docuerat præcedenti, omne videlicet quod mouetur, ab alio moueri. §. In quinto probat, non poſſe dari in mouentibus proceſſum in infinitum. §. In ſexto inde colligit deueniendum eſſe ad vnum primum motorem, & quod ille eſt ſempiternus, & vnus, & quod primum quod à primo motore mouetur, eſt ſempiternum. §. In capite ſeptimo probat,

bat, motum localem eſſe priorem alijs; illumque eſſe perpetuum. §. In octauo probat, non motum localem, rectum aut reflexum, ſed ſolum circularem poſſe eſſe perpetuum. §. In nono oſtendit, motum circularem eſſe continuum, & alijs motibus nobiliorem. §. In decimo denique capite, oſtendit primum motorem eſſe virtutis infinitæ, indiuiſibilem & incorporeum.

QVÆSTIO I.

Vtrum mundus de facto fuerit ab æterno?

PArtem affirmatiuam, hoc eſt quod motus nunquam habuit initium, ſed ante quemlibet motum alius fuerit motus, & ante quamlibet creaturam alia, abſolute tenuiſſe Ariſtotelem, plures exiſtimant, eamque ſententiam abſolute ei tribuit D. Thomas 2.contra gentes, cap.81. licet ipſe S.Doctor 1. part. quæſt.46. art.1. exiſtimet id Ariſtotelem abſolute non intendiſſe demonſtrare, ſed aduerſus errores antiquorum diuerſimode conſtituentes inceptionem mundi. Vnde ipſemet Philoſophus ait 1. lib. Topicorum, quod quædam ſunt problemata Dialectica, de quibus rationes non habemus, vt vtrum mundus ſit æternus. Quidquid tamen ſit de-

illius mente, veritas fidei eſt adſtruenda.

2 Dicendum igitur eſt, articulum eſſe fidei, mundum non fuiſſe ab æterno, ſed in principio temporis conditum, idque in Symbolo fidei omnibus fidelibus credendum proponi: cum enim in illo dicitur, Deum eſſe Creatorem cœli & terræ, viſibilium & inuiſibilium; non ſolum proponitur, Deum vniuerſa creaſſe, ſeu produxiſſe (id enim vtpote ratione naturali demonſtrabile, non eſt ſpecialis articulus fidei) ſed quod vt articulus fidei propoſitus, eſt, ea omnia non ab æterno, ſed tempore à Deo fuiſſe producta. Cum autem, vt quæſtionibus ſequentibus videbimus, plura Deus potuerit ab æterno producere, an de facto illa Deus ab æterno, an vero in tempore produxerit, ſolum ex illius voluntate dependet, & cum illius voluntas non niſi ex diuinis Scripturis nobis innoteſcat, efficax huius veritatis argumentum ex ſacris litteris eſt deſumendum. Et conſtat ex Geneſ. 1. vbi dicitur. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Nam licet teſte D. Thoma 1. par. quæſt. 46. art. 3. triplicem intelligentiam habeat illud verbum, *in principio*, communior eſt, quod ſignificat initium temporis. Et ita D. Gregorius ſuper Ezechielem homil. 1. aſſerit. *Quod Moiſes propheti zauit de præterito, dicens: in principio creauit Deus cœlum & terram; in quo nouitas mundi traditur.* Probatur etiam ex illo Chriſti ad Patrem,

Ioan.

Ioan 17.*Glorifica me Pater apud ſemetipſum, claritate quam habui, prius quam mundus fieret*. Et ex illo Prouerb 8. vbi diuina Sapientia loquitur, dicens. *Dominus poſſedit me initio viarum ſuarum, ante quam quid quàfaceret à principio.*

3 Licet autem huius, ſicut & aliorum quæ ſolum à diuina voluntate pendent, non poſſit aſſignari ratio, poſſunt tamen aſſignari congruentiæ: non parum enim id congrui, quia ſicut manifeſtius creaturarum à Deo dependentia cognoſcitur, inferioritas earum ad Deum in duratione euidentius videtur, & mundum non ex neceſſitate, ſed ex ſua libera voluntate à Deo fuiſſe conditum, manifeſtatur.

4 Obijcies primo. Quia omne quod incipit eſſe, prius habuit potentiam ad eſſendum, alias eſſe non poſſet. Ergo ſi aliqua res incipit eſſe, prius habuit potentiam ad eſſendum: ſed talis potentia ad eſſendum non potuit eſſe niſi in illius materia. Illius igitur materia ſemper fuit, & cum materia eſſe non poſſit niſi ſub aliqua forma, ante quamcumque rem præſupponebatur materia ſub aliqua forma, ita vt materia ab æterno fuerit ſub aliqua forma, quod eſt, mundum eſſe ab æterno.

Reſpondetur cum D.Thom. 1.part. in prædicta quæſt.46. art.1. ad 2. quod omne quod eſt, oportet, quod prius potuerit eſſe, non quidem per potentiam paſſiuam illius, ſed ſaltem per potentiam actiuam agen;

agentis potentis illud producere. Et hoc ſolum modo ante initium temporis materia & aliæ res potuerunt eſſe, per potentiam videlicet actiuam Dei potentis illas producere, ſeu, quod idem eſt, quia ab æterno non erat repugnans connexio prædicatorum talium rerum.

5 Obiicies ſecundo, quod nullum genitum incipit eſſe. Sed Philoſophus in 1. Phiſicorum probat, materiam eſſe ingenitam, & in 1. de cœlo, quod cœlum eſt ingenitum. Hæc igitur non inceperunt eſſe, & cum aliàs ſint, oportet illa eſſe ab æterno.

Reſpondetur, cum D. Thoma, in eadem quæſt. ſolut. 3. quod Ariſtoteles probat, materiam eſſe ingenitam, quia non habet ſubiectum de quo fiat, & cœlum eſſe ingenium, quia non habet contrarium, ex quo generetur: ex his autem ſolum habetur, quod hæc non fuerint producta per generationem, non autem quod non fuerint producta ex tempore per creationem.

6 Obijcies tertio, quod Deus non eſt prior mundo, niſi tantum prioritate naturæ. Ergo cum Deus ſit æternus, etiam mundus eſt æternus. Patet conſequentia, quia inter quæ ſolum eſt prioritas naturæ, ſunt ſimul duratione: ac perinde ſi ſolum prioritate naturæ Deus præcedit mundũ, Deus & mundus ſum ſimul duratione, & cum Deus ſit æternus, mundus etiam eſt æternus. Antecedens autem probatur; quia

ſi

ſi Deus non ſolum prioritate naturæ, ſed etiam duratione præcederet mundum, ante mundum eſſet tempus: prius enim & poſterius in duratione conſtituunt tempus. Impoſſibile autem eſt, quod ante mundum fuerit tempus: ergo impoſſibile eſt, quod Deus mundum duratione præcedat: ac perinde ſolum præcedit illum prioritate naturæ.

Reſpondetur, cum D. Thom. ibidem ſolut. ad 8. negando antecedens, & ad probationem, quod Deus eſt prior mundo duratione, non quidem temporis, ſed æternitatis, quia in æternitate ante tempus infinita eſt duratio, quæ virtualiter æquiualet pluribus durationibus imaginarijs temporis noſtri, ſecundum quas intelligimus, Deum eſſe priorem mundo, & priorem tempore noſtro.

7 Obijcies quarto. Poſita cauſa efficienti, ponitur effectus, cauſa enim, ad quam non ſequitur effectus, eſt cauſa imperfecta indigens alio, ad hoc vt effectus ſequatur. Sed Deus eſt ſufficiens cauſa mundi, finalis ratione ſuæ bonitatis, exemplaris ratione ſuæ ſapientiæ, & effectiua ratione ſuæ potentiæ: ergo cum Deus ſit ab æterno, & mundus fuit ab æterno.

Reſpondetur, cum D. Thom. ibidem in ſolut. ad 9. quod ſicut effectus ſequitur à cauſa agente naturaliter ſecundum modum ſuæ formæ, ita ſequitur ab agente per voluntatem ſecundum formam ab eo præconceptam & definitam, licet igitur Deus

ab

ab æterno fuerit ſufficiens cauſa mundi; cum tamen fuerit cauſa illius per ſuam liberam voluntatem, non oportet, quod mundus fuerit ab æterno, ſed pro tempore, quo Deus voluit illum eſſe.

8 Vltimo tandem objicies, quia cuius actio eſt æterna, & effectus eſt æternus. Sed actio Dei circa quodlibet, ad quod terminatur: ac perinde & actio Dei productiua mundi, cum ſit eius ſubſtantia, eſt æterna: ergo & mundus eſt æternus.

Reſpondetur, quod hoc argumentum ſi aliquid probaret, conuinceret etiam non ſolum mundum fuiſſe ab æterno, ſed nihil Deum producere ex tempore, quod nec conſtituentes mundum ab æterno concederent, cum in eodem mundo plures res nouiter productas admitterent. Vnde ad argumentum reſp. cum D.Thom. in prædicta q. in ſolutione ad 10.quod licet actio Dei ſit æterna, cum tamen ſit actio libera, ſequitur effectus eo modo & tempore, quo Deus voluit, illum ſequi, & quia voluit mundum non ab æterno, ſed in tempore fieri, non ab æterno, ſed in tempore media tali actione ſequitur mundus.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Vtrùm aliquid creatum potuerit eſſe ab æterno?

STatuto nullam creaturam de facto fuiſſe ab æterno, prius quam de creatis in particulari loquamur, in definite inquirimus, an creaturæ, ex eo præciſe quod aliquid creatum eſt, repugnet eſſe ab æterno.

2 Dicendum eſt, id nullatenus repugnare, ſed poſſe aliquod creatum ab æterno à Deo produci, ita cum D. Thom. 1. p. quæſt. 46. art. 2. & communi ſententia docet noſter auth. Ss. Magiſter Soto in hoc lib. quæſt. 2. Probatur autem concluſio, quia id non repugnat nec ex parte Dei, nec ex parte creaturæ, eo præciſe quod creatura ſit. Nullatenus igitur ad repugnat. Antecedens quoad ſecundam partem non melius quam ex ſolutionibus argumentorum conſtabit. Quoad primam autem illius partem probatur, quia Deus ab æterno habet infinitam virtutem, nec illi aliquod fit ſucceſſiue additamentum virtutis: ergo quantum eſt ex parte ſua, ſicut poteſt in tempore aliquid producere, etiam poteſt illud producere ab æterno. §. Confirmatur primo, quia agens liberum poteſt, quandocumque voluerit, age-

agere, dummodo virtutem habeat ſufficientem agendi. Sed Deus reſpectu cuiuslibet effectus ad extra eſt agens liberũ, & ab æterno habet ſufficientem virtutem illud producendi: ergo quantum eſt ex parte ipſius Dei niſi ex parte naturæ effectus repugnet, potuit illum Deus ab æterno producere.

Confirmatur ſecundo, quia ſi Deus effectus ad extra produceret ex neceſſitate naturæ, eos vtique quibus ex ſua natura non repugnat fieri ab æterno, ab æterno produceret: ergo etiam ſi libere eos producat, potuit ab æterno producere illos. Antecedens probatur. Tum quia ea quæ agunt ex neceſſitate naturæ, ſimul ac ſunt, ſuos effectus producunt, vt ſol, ſimul ac eſt, illuminat ergo cum Deus ſit ab æterno, ſi ageret ex neceſsitate naturæ, ab æterno produceret quidquid ex parte facti non implicaret ab æterno fieri. Tum etiam, quia cum non poſsit ſignari aliqua poſterior pars durationis, in qua Deus agens ex neceſsitate naturæ inciperet agere, cum non eſſet maior ratio vnius quam alterius, neceſſario videtur dicendum, quod ſi ex neceſsitate naturæ ageret, ab æterno ageret. §. Confirmatur tertio, quia ſi Deus non potuit aliquid producere ab æterno, ſequitur, quod per infinitam durationem eſſet impeditus, & impotens ad illud faciendum, quia quæcumque duratio poſterior æternitate ſignetur, in qua illud Deus poſsit facere, cum talem dura-

tio-

tione præceſſerit infinita duratio, per infinitam durationem Deus eſt & impeditus & impotens ad illud faciendum, quod nullatenus dici poteſt.

3 Obijcies primo, quod creaturæ ex eo quod creatura eſt, repugnat eſſe Deum, aut Deo æquari. Sed ſi eſſet ab æterno, eſſet Deus, vel ſaltem Deo æquaretur: ergo creaturæ ex eo præciſe quod creatura eſt, repugnant eſſe ab æterno. Maior eſt certa. Minor quoad primam partem probatur. Ambroſius enim lib. 1. Exameron. c. 1. ait, nullam creaturam eſſe Deo coæternam, quia nulla eſt Deus, ſentiens perinde, quod ſi creatura eſſet ab æterno, eſſet Deus, & plures Patres ex æternitate diuini Filij deducunt aduerſus Arrium, illum non eſſe creaturam, ſed Deum, ſentientes, quod eo ipſo quod aliquid ſit ęternum, eſt Deus: Secunda autem pars minoris prob. quia ſi creatura eſſet ab æterno, eſſet vtiq; æterna: ergo æquaretur Deo in æternitate. Vnde Damaſc. relatus à D. Tho. opuſc. 27. ait non aptum eſt, quod ex non eſſe deducitur, coæternum eſſe ei qui ſine principio eſt & ſemper eſt.

Reſpondetur, quod æternitas, quæ eſt tota ſimul & omnis mutabilitatis & ſucceſſionis expers, eſt nec actu nec potentia terminabilis, & propria Dei, & nulli creaturæ communicabilis; & de hac intelligũtur Patres in prædictis & alijs teſtimonijs cum aſſerunt, quod ſi æternitas creaturæ competeret, eſſet Deus, & quod ſecundũ

coæternitatem nulla creatura poteſt eſſe Deo coæterna; æternitas autem, quæ creaturæ, ſi ab æterno fuiſſet, competeret eſſet æternitas participata, & licet non habens initium, ſucceſſionem tamen, & prius habens & poſterius, & quæ eſſet terminabilis. Patres autem qui ex æternitate Filij diuini aduerſus Arrium arguebant, illum non eſſe creaturam, ſed Deum; id probãt ſuppoſitis teſtimonijs ſcripturarum, quod de facto omnis creatura incepit in tempore, inde deducentes, quod ſi Filius æterni Patris eſt illi coæternus, re vera non eſt creatura.

4 Obijcies ſecundo, quod quidquid fuerit creatum eo ipſo oportet illud eſſe Deo ſecundum durationem poſterius: ergo implicat, aliquid creatum eſſe ab æterno, quia quidquid eſſet ab æterno, non haberet initium, ac perinde nec eſſet Deo duratione poſterius. Antecedẽs probatur, quia omne creatũ debet procedere à Deo: ergo debet eſſe Deo ſecundum duratione poſterius: prius enim Deus debet in ſe eſſe quam aliquid extra ſe cauſet.

Reſpondetur negando antecedens, cauſa enim non oportet, quod ſit prius duratione ſuo effectu, ſed ſufficit, quod ſit illo prius natura: ſicuti enim in eodem inſtanti durationis, quo producitur ſol; illuminat, & in eodem inſtanti in quo in puluere pes produceretur bouis, imprimeret in puluere veſtigium, imò ſi ſol ab æterno produceretur, ab æterno illuminaret, & ſi ab

æter-

æterno pes bouis in puluere produceretur ab æterno imprimeret in puluere veſtigiū, & ſolum huiuſmodi cauſæ prioritate naturæ tales ſuos Præcederent effectus, ita & Deus potuit aliquid ab æterno producere, illudque prioritate ſolum naturæ & non duratione præcedere.

5 Obijcies tertio, quod omnis creatura vt ſit, debet tranſire de non eſſe ad eſſe, priuſque eſſe debet non eſſe illiuſquam illius eſſe. Sed ſi creatura eſſet ab æterno, non poſſet habere eſſe poſt non eſſe, quia ſemper & in quacumque duratione imaginaria habuiſſet eſſe: ergo nulla creatura poteſt eſſe ab æterno. Minor probatur. Quia omnis productio etiam creatio eſt de non eſſe ad eſſe: ergo quidquid producitur acquirit eſſe poſt non eſſe, ac prius debet eſſe non eſſe illius, quam illius eſſe.

Reſpondetur negando maiorem: licet enim generationē alicuius, quia eſt ex pręſuppoſito debeat præcedere non eſſe geniti, creatio tamen alicuius neceſſario præſupponit non eſſe illius, ſed dicitur quod eſt de non eſſe ad eſſe, vt excludatur ſubiectum ex quo fiat, non autem eo quod ſit neceſſarium, quod prius ſit non eſſe quam eſſe illius. Vnde optime potuit aliquid ab æterno à Deo creari, etiam ſi non præceſſerit non eſse illius.

QVÆSTIO III.

Vtrum res ſucceſsiue potuerint eſſe ab æterno?

RESolutoriæ affirmatiuæ reſpondetur, oppoſitum etiam aliqui tenent ex Thomiſtis. Sed concluſionem manifeſte indicat noſter author hic q.2. expræſſeque illam plures alij tenent.

2 Et certe multum fauet Diu. Thom. huic ſententiæ, dum opuſculo 27. abſolute probat, mundum potuiſſe eſſe ab æterno quoad omnes rerum ſpecies & earum mutationes, ſolumque ab ea vniuerſalitate excipit propagationem naturæ humanæ. Idemque aſſerit in ſecundo diſtinct.1. quæſt.1, artic.5. & 1.part. quæſt.46. art.2. vbi ſoluit omnia argumenta contra poſſibilitatem modi ab æterno præter illud quod procedit contra poſſibilitatem naturæ humanæ ab æterno, & quæſt. 3. de potentia, art.17. ad 17. argumento, quod propoſuerat, ad probandum motum circularem eſſe ab æterno, reſpondent dicens. *Deum, quod illa ratio non probat, quod motus ſemper fuerit, ſed quod motus circularis poſſit eſſe ſemper.*

3 Ratio autem efficax concluſionis eſt quia vt ex ſolutione obiectionum conſtabit, nulla in eo apparet repugnantia, &

nec

nec motum ſucceſſiuum aut tempus fuiſſe, ab æterno, eis repugnat ex communi ratione creaturæ, & effectus ab aliqua cauſa producti, cum, vt oſtendimus quæſtione præcedenti, ad rationem effectus, ſufficit, poſterioritas naturæ ad ſuam cauſam, nec requiritur, quod hæc illum duratione præcedat. Nec eis repugnat ex peculiari ratione entis ſucceſſiui: ſi enim eius natura exigit, quod non poſſit prima illius pars deſignari, ante quam non ſit alia hoc optime haberent motus tempus, ſi fuiſſent ab ęterno: ſicut enim in æternitate non poteſt imaginari aliqua duratio, qua non fuerit alia & alia, & infinitæ aliæ priores, ita nō poſſet deſignari aliqua pars motus, quā aliæ infinitæ non præceſſerint, nec vnquam ad primam partem illius erit peruenire, ſed vt hæc manifeſtiora ſtant, aliqua in contrarium obijciamus.

4 Obijcies ergo primo, quod D Toh. op. 27. paulo ante mediū, explicans non repugnare, aliqua cauſam ab æterno, nec oportere omnē cauſā præcedere duratione ſuū effectū aſſerit. *Nō repugnare ſi ponatur cauſa producens effectū ſuū ſubito, quod non præcedat duratione ſuū cauſarū, repugnare autē in cauſis producētibus effectū ſuū per motū, quia oportet, quod principiū motus præcedat finē eius:* In quibus D. Tho. cū manifeſte neget, aliquē effectū per motū, vt condiſtinguitur à mutatione ſubita & inſtātanea, cauſatū potuiſſe eſſe ab æterno, conſequenter negat, motu aliquem ſucceſſiuū ab æterno eſſe: ſi

enim ab æterno eſſet, ab æterno haberet terminum & effectum medio illo cauſatū. §. Confirmatur ex D. Auguſtino 12. de Ciuitate Dei c. 15. dicente. *Tempus quoniam mutabiliter tranſcurrit, æternitati immortali non poteſt eſſe coæternum.*

Reſpondetur ad argumentum D. Tho. in eo teſtimonio intendere, quod effectus, qui aliquem determinatum & finitum motum exigit, vt generatio alicuius indiuidui ſubſtantialis exigit effectum præuiæ alterationis, non potuiſſe eſſe ab æterno, alias per infinitam durationem præcederet generationem alteratio materiæ. Non tamen intendit negare D. Thomas omnem motum potuiſſe eſſe ab æterno, vt motum circularem cœli, qui ſi cœlum ab æterno producentur, poſſet etiam ab æterno circulariter moueri, imò & aliquod mobile poſſet ab æterno motu recto moueri, non quidem vnico & eodem numero moto, quia non poteſt dari ſpacium infinitæ longitudinis, ſuper quod vnico motu recto ab æterno moueretur ſed diuerſis motibus rectis per reflexionem, ita vt non eſset deſignabilis primus illorum, ſed ante quemlibet ſignabilem illorum eſsent alij & alij priores infiniti ſimiles motus recti, licet quilibet illorum in particulari & determinate ſignabilis haberet principium & non eſse ab æterno. Ad confirmationem reſpondetur D. Auguſtinum ſolum intendere, quod tempus propter ſuam ſucceſſionem non poſſit eſſe coæternum,

num, id eſt, omnino æquale æternitati immutabili, & quæ omnem excludit ſucceſſionem, & quia ipſa æternitas omnino eſt interminabilis, tempus autem etiam ſi ab æterno fuiſſet, & actu eſſet interminatum, poſſet terminari & finiri.

5 Obijcies ſecundo, quod de ratione eſſentiali entis ſucceſſiui eſt, quod habeat partes fluentes, & vna ſuccedente depereat alia, quælibetque illarum ſit finitæ durationis, alias ſi aliquæ illarum infinitam durationem haberent, illa non eſſet tranſiens, ſed permanens, nec vnquam ad ſubſequentem partem deueniretur: ſed ſi motus ſeu alia res ſucceſsiua eſſet ab eterno, partes illius non poſſent eſſe tranſeuntes & finitæ durationis. Repugnat igitur rei ſucceſsiuæ eſſe ab æterno. Minor probatur, quia vel illa pars motus cum qua ab æterno producitur eſt infinitæ durationis, vel finitæ: ſi infinitæ durationis habemus intentum: ſi finitæ durationis: ergo illi additis partibus ſuccedentibus, quæ cum non eſſent ab æterno, eſſent finitæ durationis, totus totalis motus non eſset durationis infinitæ, quia finitum additum finito non facit infinitum.

Reſpondetur argumentum hoc ſolum probare, quod quælibet pars deſignabilis & determinata motus, ſeu alterius entis ſucceſsiui debet eſſe finitæ durationis, imò nec poteſt imaginari etiam in confuſo aliqua pars motus non finita, tamen

ſi motus fuiſſet ab æterno, haberet infinitas partes non ſolum proportionales, & vnã minorem altera, ſicut illas habet quęlibet pars motus, & quodlibet continuũ, ſed infinitas partes aliquotas & æquales, ita vt ſignata vna parte motus, præceſſiſſent infinitæ aliæ partes illi æquales, & nunquã poſſet deueniri ad primam, & ſic licet quęlibet pars eſſet finitæ durationis, & illa tranſeunte alia ſuccederet; motus tamen ex omnibus talibus ſuis infinitis partibus compoſitus eſſet durationis infinitæ.

6 Obijcies tertio, quod ſi aliquis motus potuiſſet eſſe ab æterno, maxime motus circularis cæli. Sed ille nõ: ergo nec motus aliquis nec alia res ſucceſſiua potuit eſſe ab æterno. Minor prob. Quia motus cæli neceſſario debet eſſe poſterior duratione ipſo cælo: ergo non potuit eſſe ab æterno, dum quidquid ab æterno eſt, nullo aliquo poſſit eſſe duratione poſterius. Antecedens probatur. Quia cælum cum ſit permanes, debuit incipere per primũ ſui non eſse; motus autem cum ſit res ſucceſſiua non potuit incipere niſi per vltimum ſui non eſse, ita vt in primo inſtanti, in quo verificaretur, quod tunc eſt cælum, verificaretur, quod tunc non eſt illius motus & immediate poſt erit motus illius: ergo neceſſario motus cæli debet eſse poſterior duratione ipſo cęlo.

Reſp. negando minorem, & ad probationem negatur antecedens, ad cuius probationem dico, quod ſi cælum & motus illius

lius eſsent ab æterno,nec cælum nec illius motus inciperent eſse; & ita non eſset locus aſſignandi illis modum incipiendi, ſicut aſſignatur his, quæ re vera habent initium, nec eſset aſſignabile aliquod inſtans etiam imaginarium, ante quod non intelligatur cælum & illius motum iam eſse. Vnde ſicut de ipſo cælo, cum tunc non verificaretur incipere, nec verificaretur incipere principium ſui non eſse; alias eſset ſignabile aliquod inſtans, in quo verificaretur, quod tunc cælum eſt, & ante illud non erat, quod eſset deſtruere ipſius cæli æternitatem, & eſse illius ab æterno: ita nec de motu cæli verificaretur, incipere: ac perinde nec incipere per primum ſui eſse aut per vltimum ſui non eſse.

QVÆSTIO IV.

Vtrum res permanentes potuerint eſſe ab æterno?

CVm duplicis generis ſint res permanentes, incorruptibiles videlicet, vt orbes cæleſtes, & Angeli,& corruptibiles, vt res ſublunares,& de omnibus illis præſens procedat quæſtio. Dico primo: res permanentes incorruptibiles, non ſolum abſolute, ſed ſeruata eorũ natura potuerũt eſſe abæterno. Ita cum communi ſententia noſter auth. hic. q.2. concl. 2. & prob. Quia id non ſolum eis non repugnat ea

parte, qua effectus Dei ſunt, ſed nec ſibi ab ęterno tales res eſſent aliquid contra id quod connaturaliter exigunt, illis competeret, aut deficeret: ergo non ſolum abſolute, ſed etiam ſeruata eorum natura tales res potuerunt eſſe ab æterno. Antecedens quoad primam partem patet ex dictis ſupra q. 2. quoad ſecundum verò prob. & explicatur, quia ſit tales res eſſent ab æterno indeque ſequeretur, earum durationem eſſe infinitam & illimitatam, id nullatenus eſſet contra earum naturam, quia cum incorruptibiles ſint, non exigunt durationem finitam & limitatam.

2 Obijcies primo, quod Angeli connaturaliter exigunt non eſſe per infinitam durationem abſque operatione, & quod quælibet illorum operatio ſit finitæ durationis. Sed ſi Angelus ab æterno produceretur, vel eſſet per infinitam durationem abſque aliqua operatione, vel prima eius operatio eſſet infinitæ durationis: ergo non potuit Angelus conformiter ad ſuam naturam, & ſeruatis omnibus, quæ connaturaliter exigit ab æterno produci. Minor probatur. Nam tunc vel Angelus produceretur cum operatione vel abſque illa, ſi abſque illa cum primam inciperet habere durationem iam infinita præceſſiſſet duratio, in qua abſque omni prorſus operatione extitiſſet; ſi autem produceretur Angelus ab æterno ſimul aliquam aliciens operationem, quandocumque talis eius finiretur operatio, iam infinitam duratio-

nem

nem habuiſſet : ergo ſi Angelus fuiſſet ab æterno, vel per infinitam durationem eſſet abſque operatione, vel aliquam operationem infinitæ durationis haberet.

Reſpondetur negando minorem: omnes enim tunc operationes Angeli ſignabiles & determinatæ eſſent finitæ durationis, ſicut tamen Angelus tunc non haberet initium, ita nec haberet primam operationem, ſed quacumq; ſignata haberet alias & alias priores infinitas operationes & ita nec aliquādo fuiſſet ſine operatione, nec aliqua illius operatio eſſet infinitæ durationis.

3 Obijcies ſecundo, quod cœlum naturaliter exigit non eſſe per infinitam durationem abſque ſuo motu circulari, & quod quælibet illius circulatio non ſit infinitæ durationis, ſed ſi ab æterno produceretur, vel eſſet per infinitam duratione abſque motu circulari, vel eius circulatio, illa videlicet, quam ſimul ac produceretur, haberet eſſet infinitæ durationis: ergo non potuit cœlum conformiter ſuæ naturæ, & ſeruatis omnibus, quæ connaturaliter exigit, ab æterno produci. Minor probatur. Nam vel cœlum tunc ſimul ac produceretur, moueretur, vel non: ſi tunc non moueretur, quodcumque inciperet moueri, iam tranſiſſet infinita duratio, in qua abſque omni motu & circulatione cœlum extitiſſet: ſi autem ſimul ac tunc produceretur, cœlū moueretur circulariter, quandocumque eius, cum qua produceretur, circulatio deſineret eſſe, iam tranſiſ-

ſet infinita duratio: ergo ſi cœlum produceretur ab æterno ve l per infinitam durationẽ eſſet abſq; omni circulatione, vel aliqua eius circulatio eſſet infinitę durationis

Reſpondetur negando minorem iuxta ea quæ quæſt. præcedenti reſoluimus: ſi enim cœlum eſſet ab æterno, & ſimul moueretur, & omnes illius circulationes eſſent finitæ durationis, quia non eſſet ſignabilis aliqua, qua aliæ infinitæ priores non darentur, & ita licet quælibet illarum ſit finitę durationis, totus motus circularis cœli eſſet durationis infinitæ, quia conſtaret infinitis circulationibus. Illi autem qui tenent, motum non poſſe eſſe ab æterno, cõſequenter propter argumentum factũ aſſerere debent, cœlum non poſſe omnino conformiter ſuæ naturæ ab æterno produci; licet enim infinita ipſius ſubſtantiæ cæli duratio, quæ inde ſequeretur non eſſet contra id, quod naturaliter cælum exigit, cum illud ſit incorruptibile; ſequeretur tamen contra exigentiam connaturalem cæli, quod per infinitam durationem eſſet abſque motu, quia in ea ſententia non poſſet ſimul ac produceretur, moueri, & quomodocunque inciperet eius motum tranſiſſet ab illius eſſe vſque ad illius motum infinita duratio.

4 Dico ſecundo, res permanentes corruptibiles ſpecialiterque homines nõ potuerunt conformiter ſuę naturę eſſe ab ęterno abſolute tamen ab æterno eſſe potuerunt. Ita noſter auth. in prędicta q. 2. huius libri

Et

Et prima pars concluſionis probatur,quia cõnaturaliter exigunt omnes res corruptibiles finitã & limitatã durationẽ. Sed ſi ab ęterno eſſent,infinitã quęlibet talis res haberet durationẽ; quãdocũq; enim deſineret eſſe,iã vſq;tunc ab ęterno tranſiſſet infinita duratio. Nulla igitur res corruptibilis potuit cõformiter ſuę naturę eſſe ab ęterno: probatur,quia pręter quam quod illi, ſicut quęlibet alia res corruptibilis connaturaliter exigunt, infinitam non habere durationem, & illam haberent, ſi fuiſſent ab ęterno, exigunt etiam connaturaliter per generationem & multiplicationem indiuiduorum ſpeciem conſeruari. Sed ſi ab ęterno eſſent homines, non poſſent ſic per generationem propagari: ergo ſpecialius illi non potuerunt eſſe ab ęterno conformiter ſuę naturę, & ſeruatis omnibus,quę connaturaliter exigunt. Minor probatur. Quia ſi ſuper generationem ab ęterno propagarentur homines, qualibet duratione ſignata,infinitę pręterijſſent hominum generationes, etiam ſi illæ non contingerent, niſi per mille annos vna poſt aliam, quia ab æterno vſque ad quamlibet durationem ſignatam infinities infinita millia annorum tranſirent. Sed impoſſibile eſt infinitas fuiſſe generationes hominum: ergo impoſſibile eſt quod homo conformiter ſuę naturę fuiſſet ab ęterno. Minor probatur quia ſi infinitę pręceſſiſſent generationes hominum,infiniti pręceſſiſſent & homines, & eorum animę vtpote immortales omnes

ſimul

ſimul exiſterent, dareturque perinde infinitum in actu animarum quod cũ impoſſibile ſit, impoſſibile eſt infinitas pertranſiſſe generationes hominũ. Hoc argumentum propoſuit D.Thom. 1.p.q.46.art.2.& cum ſolutiones, quæ illi iuxta diuerſos errores, mortalitatis videlicet animarum, & tranſmigrationis animarum de vno corpore in altero impugnaſſet; tamen ipſum argumentum inſolutum reliquit, manifeſte inſinuans, illud conuincere, impoſſibiles eſſe ab æterno hominũ generationes, quod expræſſe alijs locis vt opuſc. 27. aſſeruit S. Doctor.

5 Dixi ſpecialius pro alijs rebus corruptibilibus propter hoc inconueniens, non poſſe hominem conformiter ſuæ naturæ eſſe ab æterno, quia hoc inconueniens non ſequeretur in generationibus aliorum, etiam ſi eſsent ab æterno quia etiam ſi leo v.g. ab æterno per infinitas generationes propagaretur, cum formæ leonum, qui ſic generarentur, eſsent corruptibiles, etiam ſi infiniti leones fuiſsent geniti, non ſequeretur, omnes illos, aut omnes illorũ formas ſimul aliquando exiſtere, ac perinde nec ſequeretur dari aliquod infinitum in actu. §. Nec etiã eſset impoſsibilis proceſsus in infinitum in talibus generationibus, quia illæ ſolum repugnant in cauſis per ſe ſubordinatis; non autem in cauſis per accidens, quales eſsẽt ad quemlibet leonem genitum, præter leonem, qui ipſum generaret, omnes alij

qui

qui præceſsiſsent leones.

6 Tertia denique pars concluſionis probatur & explicatur, quia licet res corruptibiles natura ſua exigant durationem finitam, ſicut eis non repugnat à Deo per infinitam durationem conſeruari, ita non repugnabit, quod abſolute licet non conformiter ſuæ naturæ ab æterno fuerint productæ. Similiter licet homines natura ſua expoſcant propagari per generationem, poſsent tamen à Deo indeterminato numero, quem ipſe valet, creari aut formari, & ſic tales homines, vel ex illis, quos ipſæ Deus vellet, poterat ad tempus ſuæ voluntatis conſeruari, abſque, eo quod oporteret ipſos per generationes propagari. Abſolute igitur licet non conformiter ſuæ naturæ tã homines quam aliæ res corruptibiles potuerunt eſse ab æterno.

In duabus vltimis huius libri quæſtionibus diſputat noſter Author, an ex motu deducatur, deueniendum eſse ad primum motorem immobilem, illumque eſse vnũ, ingenitum, æternum, & incorporeum. Sed hæc magis ad Metaphiſicam & Theologiam, quam ad Phiſicam ſpectant. Huicque ſufficit ſcire, quod quia, vt oſtendimus lib. præcedenti q. 1. nihil poteſt mouere ſe ipſum, ſed oportet, quod omne quod mouetur, ab alio moueatur, & quod in mouentibus, cum vnum alij per ſe ſubordinetur, non eſt dabilis proceſsus in infinitum, alias, cum nunquam eſset peruenire ad primum mouens, nunquam

eſset

eſſe motus. Ex his infertur vnum eſſe primum motorem omnino immobilem, ideſt, qui nec ſecundum ſe totum, nec ſecundum aliquam ſui partem moueatur, quia ſi moueretur ſecundum aliquam ſui partem, pars illius mouens non eſset actus purus, ſiquidem ingrederetur totius compoſitionem; & ſi non eſset actus purus, ſed eſset in potentia, indigeret alio à ſe diſtincto, à quo reduceretur ad actum, & ita talis pars non eſset mouens omnino immota. Hoc ergo de primo motore ex motu demonſtraſse ſufficiat aliaque de illo attributa demonſtrare ad Metaphiſicum & Theologum remittamus. Et ſic ſiſtentes finem demus his Phiſicorũ commentarijs ex doctrina venerabilis ac ſapientiſsimi Magiſtri Fratris Dominici de Soto deſumptis ad laudem & gloriam omnipotentis Dei Beatiſsimæ Virginis Mariæ, nec non & Angelici Doctoris Diui Thomæ Aquinatis.

L A V S D E O.

IN-

INDEX
RERVM,
Quæ in hoc tomo continentur.

L. *librum.* Q. *quæſtionem.* N. *numerum in eadem quæſtione deſignat.*

A

ABſtractio diſtincta à materia ſenſibili in mathemathicis, ſe habet formaliter: non vero diſtincta abſtractio à materia ſingulari in partibus Philoſophiæ, q.1. proœmiali, n.10.

Abſtractio altera poſitiua, altera negatiua, l.1.q.3.n.5.

Actio realitur formaliter diſtinguitur à motu & paſſione, lib.3. quæſt.4.num.2. Non tamen realiter entitatiue, ibidem num.3.

Ad actionem non ſe habet motus vt genus, nec vt eſſentialiter ſuperius, ſed in eadem entitate coincidunt formalitas

tas

tas actionis, paſſionis & motus, ibidem n. 4. & 5

Actio altera formaliter immanens, altera formaliter tranſiens, lib. 3. quæſt. 5. num. 1.

Actio tranſiens eſt vere accidens, & habet inhærentiam diſtinctam formaliter ab inhærentia paſſionis, ibid. n. 2.

Actio formaliter tranſiens non inhæret agenti, ſed paſſo, ibid. n. 3.

Non datur duplex actio, altera in agente, altera in paſſo recepta, ibid. n. 7.

Non omnis actio debet habere terminum productum, l. 1. q. 16. n. 14.

Artificialia non habent in ſe principium ſui motus: & in eo diſtinguuntur à naturalibus, l. 2. q. 5. n. 1.

Artificialium non quoad ſubſtantiam, ſed ſolum quoad modum eſt principium ars, ibid. n. 5.

C

Cauſa eſt id, ex quo aliud ſequitur, l. 2. q. 6. n. 1.

Priuatio, terminus à quo, & conditio ſine qua non, excluduntur à ratione cauſæ, ibid.

Pater diuinus licet ſit principium Filij, nõ tamen cauſa, ibid.

Cauſa realiter diſtinguitur à ſuo effectu, ibid. n. 2.

Cauſa in eo quod cauſa eſt prior natura ſuo effectu, ibid. n. 3.

Cau-

Cauſæ aliæ in eſſe entis ſunt perfectiores, aliæ imperfectiores ſuo effectu, ibid. num.4.

Tantum ſunt quatuor genera cauſarum, lib.2. quæſt.7. num.1. De omnibus illis vniuoce dicitur cauſa creata, ibid.n.3.

Cauſa materialis & formalis per ſuas entitates abſque aliquo ſuperaddito habent virtutem cauſandi, lib.2. quæſt.n.2.

Cauſalitas materiæ & formæ non eſt modus vnionis aut aliquid realiter ab illis diſtinctum, lib.1. quæſt.16.num 12.

Cauſalitas materiæ eſt receptio formæ, lib.2. q.8. num.4. Et cauſalitas formæ eſt informatio materiæ, ibid. n.5.

Effectus materiæ eſt forma vt in illa recepta, & compoſitum: effectus vero formæ eſt materia vt actuata per illam, & ipſum compoſitum, ibid. num.8.

Cauſa exemplaris eſt idea in mente artificis exiſtens, l.2. quæſt.9.

In alijs præter Deum aliqualiter reperitur idea extra illorum mentem, ibid. num.3.

Exemplar ſeu idea eſt vera cauſa phiſica, ibid. num.4.

Cauſa exemplaris poteſt reduci ad finalem & efficientem: proprius tamen ad cauſam formalem, ibid. num.5.

Cauſa efficiens definitur, lib. 2. quæſt. 10. num.1.

A cauſa efficienti priuſquam ab alijs cauſis incipit in executione motus, ibid. numer.2.

Cau-

Cauſa efficiens alia per ſe, alia per accidens, ibid. n.6. Alia prima, alia ſecunda, ibid. numer.7. Alia particularis, alia vniuerſalis, ibid. num.8. Alia vniuoca, alia æquiuoca, ibid. num.9. Alia libera, alia naturalis, ibid. num.10. Alia principalis, alia inſtrumentalis, ibid. numer.11. Alia phiſica, alia moralis, ibid. n.12. Alia totalis, alia partialis, ibid. num.13.

Cauſa prima non ita omnem cauſat effectum, vt vere ad aliquod cauſæ ſecundæ non concurrant, l.2. quæ.13. num.1.

Cauſa prima non ſolum cauſas ſecundas producit & conſeruat, eiſque virtutes præbet operatiuas, ſed immediate ad omnem illarum concurrit effectum, ibidem num.4

Eadem ratione concurrit cauſa prima & ſecunda ad effectum, ibid. n.7.

Præter concurſum Dei ſimultaneum cum creatura ad illius effectum indiget omnis cauſa ſecunda ad operandum motione præuia Dei in ipſa cauſa recepta, l.2. q.14. Per eam motionem non conſtituitur creatura in actu primo, ſed iam in actu primo complete conſtituta applicatur ad operandum, ibid. n.18.

Cauſæ ſecundæ liberæ abſque detrimento ſuæ libertatis præmouentur à Deo ad operandum, ibid.

Motio Dei in cauſa ſecunda ad agendum eſt quædam qualitas tranſiens & incompleta, ibid. n.21.

Cau-

Cauſa finalis eſt vere cauſa realis, lib.2. quæſt.17. num. 3.
Multiplex finis diuiſio, l.2. quæſt 17.
Ratio formalis finalizandi non eſt appræhenſio finis, ſed illius bonitas, l.2. q.18. n.2. Appræhenſio autem eſt conditio per modum ſubſtantiæ finis,vt fina licet, ibid. num.9.
Effectus immediatus cauſæ finalis eſt actus voluntatis circa finem, l.2. q. 19. n.1.
Cauſalitas finis non eſt actus voluntatis, ſed excitatio ipſius voluntatis, vt appetat finem, ibid. n.3.
Per motionem finis nihil reale producitur in voluntate, ibid. n.9.
Continuum non componitur ex indiuiſibilibus, l. 6. q. 1. n. 2. imò ſi ex indiuiſibilibus componeretur, non eſſet continuum, ibid num.7.
In continuo non poſſunt dari aliqua indiuiſibilia immediata, ibid. n.11.
Continuum non poteſt diuidi in omnem ſuam partem, ibid. n.12.
In continuo ſunt actu infinitæ partes, non tamen actu diuiſa, ibid.n.14.
Cœlum empireum habet naturam, quatenus habet principium ſuæ quietis, lib.2. quæſt 3. num.2.
Orbes cœleſtes non ſunt animati, nec habent in ſe principium actiuum ſui motus, ibid.n.4. habent tamen principium paſſiuum ſui motus, & naturalem inclinationem ad illum, ibid n.5.
Cœlum habet naturam, & illius materia

ria

ria & forma eſt natura, ibid. num.6.
Violentum eſſet cælo ante finem mundi à motu ſiſtere, vel motu contrario moueri, ibid. num.12.

E

Ductio formæ ex materia quid ſit, lib.1. quæſt.11. n.3.
Nihil reale ponitur in materia ab illa diſtinctũ ad eductionem formarum, ib.n.3
Vt forma educatur ex potentia materiæ non ſufficit, quod recipiatur in ipſa materia ad illam diſpoſita, ibid. n.7.
Vt forma educatur ex materia, non debet vtrumq; eadem actione produci, ib n.9.
Anima rationalis non eſt educibilis ex potentia materiæ, lib.1. q.12.n. ſed à ſolo Deo per creationem producibilis, ibid. num.7.
Omnes formæ naturales ſubſtantiales præter formas cœlorum & elementorum in prima ſui productione educuntur ex potentia materiæ, lib.1.q.13.n.1.
Formæ cœlorum & elementorum in prima ſui productione non ſunt de facto eductæ ex potentia materiæ, ſed à Deo per creationem productæ, ibid. num.3.
Potuerunt tamen etiam non præſuppoſita prius tempore materia ex illius potentia educi, lib.1.q.14.num.2.
Formæ accidentales, quæ ſunt proprietates formæ ſubſtantialis, ſi illa creatur, concreantur & illæ: ſi vero hæc educitur

tur

tur ex potentia materiæ, ex eiuſdem potentia coeducuntur & illæ, l.1.q.15.n.2.
Omnes aliæ formæ accidentales educuntur ex potentia ſubiecti, ibid.n.4. & formę accidentales ſupernaturales ex potentia illius obedientiali, ibid. n.5.
Effectus non poteſt idem numero à duplici cauſa totali particulari creata diuiſiue procedere, lib.2. q.20. num.2.
Exceptis effectibus, qui eſſentialiter dependent à cauſa ſecunda, eundem numero effectum, quem Deus cum cauſa ſecunda producit, poteſt producere ſe ſolo, ibid. num.3.
Idem numero effectus à multiplici cauſa diuerſi generis poteſt ſimul dependere, lib.2. q.21. n.2. imò & à pluribus cauſis efficientibus diuerſi ordinis, ib.n.3.
Idem numero effectus non poteſt ſimul à duplici cauſa totali eiuſdem ordinis produci, ibid. n.4. & 5.
Eſſe ab æterno nulli creaturæ de facto competit, lib.8. q.1.
Non repugnat aliquid creatum eſſe ab ęterno lib.8. q.2.
Motus & alię res ſucceſſiuę potuerunt eſſe ab ęterno, lib 8. q.3.
Res permanentes incorruptibiles non ſolum abſolute, ſed & ſeruatis his, quæ connaturaliter exigunt, potuerunt eſſe ab ęterno, lib.8. q.4. num.1.
Res permanentes corruptibiles licet abſolute potuerunt eſſe ab ęterno, non tamen conformiter ſuę naturę, ibid.n.4.

Exi-

Exiſtentia eſt vltima cuiuſuis rei actualitas, lib. 1. q. 6. num. 1. & q. 7. n. 12.
In rebus creatis exiſtentia realiter diſtinguitur à natura ſeu eſſentia, l. 1. q. 6. n. 3.
Exiſtentia eſt extra eſſentiam cuius creaturę, ibid. n. 11.
Exiſtentia creata realiter recipitur in natura ſeu eſſentia, ibid. n. 6. & 16.
Nulla exiſtentia poteſt per aliam exiſtentiam actuari, l. 1. q. 7. num. 8.
Exiſtentia hominis eſt formaliter ſpiritualis, & virtualiter corporea, ibid. n. 16.

F

Fatum quid ſit, explicatur, lib. 2. q. 22. num. 4.
Forma ſubſtantialis quid & quotuplex, l. 1. quæſt. 10. n. 1. & 2.
Forma datur ſubſtantialis receptibilis in materia ab ipſa realiter diſtincta, ib. n. 3.
Formæ ſubſtantialis receptibilis in materia definitio, ibid. num. 6.
Forma ſubſtantialis licet ſit in materia, non inhæret illi, ibid. n. 8.
Forma ſubſtantialis eſt principium radicale quo agens efficienter operatur, l. 2. q. 11. n. 2. non tamen eſt principium proximum & immediatum, l. 2. q. 12. n. 3.
Forma accidentalis virtute ſubſtantiæ poteſt attingere inſtrumentalem productionem alterius ſubſtantię, lib. 2. q. 12. num. 3. Ad id autem non exigit aliquid ei ſuper additum, ibid. num. 2.

For-

Fortuna quid ſit : & in quo differat à caſu lib. 2. quęſt. 22. num. 2.

Reſpectu agentium particularium poteſt dari caſus & fortuna, non vero reſpectu Dei, ibid. num. 3.

I

INfinitum quid & quotuplex, lib. 3. q 9. num. 1. ſolus Deus eſt infinitus ſimpliciter, ibid. num. 4. Deus non poteſt producere effectum infinitum, imò nec ita perfectum, vt perfectiorem producere nequeat, ibid. n 8.

Infinitum in actu ſecundum magnitudinem repugnat, lib. 3. q. 7. n. 8.

Si daretur corpus actu infinitum ſecundum magnitudinem, non eſſet mobile, ibid n. 3

Implicat infinitum in actu ſecundum multitudinem, lib. 3. q. 8. n. 2.

Implicat dari infinitum in actu ſecundum intenſionem, lib. 3. q. 9. num. 2.

Inſtrumentum aliud phiſicum, aliud morale, lib. 2. quęſt. 15. num. 1. Phiſicum autem, aliud naturale, aliud artificiale, aliud ſupernaturale, ibid. num. 2.

Inſtrumentum phiſicum indiget motione principalis agentis, vt eleuetur & conſtituatur in actu primo, ibid. n. 5.

Inſtrumentum licet in eſſe entis poſſit eſſe atque vel magis perfectum effectu principalis agentis, non tamen formaliter in eſſe inſtrumenti, ibid. 11.

Inſtrumenta corpora ad effectus ſpiritu a-les recipiunt tranſeunter virtutem ſpiritualem, ibid. n.13.

Inſtrumentum conſtituitur per virtutem incompletam & tranſeuntem, ibidem num.15.

Inſtrumentum phiſicum naturale debet habere virtute propria aliquam prçuiã actionem ad effectum principalis agentis, lib.2.q.16.num.2. Talis tamen actio prçuia ſufficit quod ſit formaliter diſtincta ab actione principalis agentis, ibid. num.3.

Inſtrumentum aſſumptibile à Deo ad effectus ſupernaturales ſufficit, quod habeat proportionem entis ad ens cum eo circa quod debet inſtrumentaliter concurrere, ibid. num.4.

Quare non ſit dabile inſtrumentum phiſicum ad creationem explicatur.

L

Locus alter definitiuus, alter circumſcriptiuus, lib.4. q.1. num.2.

Definitio loci explicatur, ibid. num.3.

Locus non eſt ſpacium inter corpora intercedens, nec eſt ipſum vbi, ſed vltima ſuperficies corporis continentis locatum, ibid. num.6.

Locus comparatur ad ſuperficiem, vt ad materiale quod per ſe exigit, ibidem num.11.

Immobilitas loci explicatur, lib.4.q.2.n.2.

Lo-

Locus eſt ſuperficies prima & immediata locato, ibid. num.7.
Locus debet eſſe ęqualis locato, ibid.n.8.
Omnia corpora præter vltimam ſphęram ſunt in loco, lib.4.q.3. num.2.
Vltima ſphęra mobilis eſt vt in loco in vltima ſuperficie cœli Empirei, ibidem num.4.
Si vltima ſphęra mobilis eſſet ſimpliciter vltima, non eſſet actu in loco, ibid.n.6. Secundum ſuas tamen partes eſſet in loco in potentia, ibid.num.8.
Quid ſit locus naturalis cuiuslibet corporis explicatur, lib.4.q.4.n.2. Et in quo ratio loci naturalis conſiſtat, ibid.n.3.
Naturaliter non poſſunt duo corpora eſſe ſimul penetratiue in eodem loco, lib.4. quęſt.5. num.3. Id tamen ſupernaturaliter fieri poteſt, ibid.num.5.
In duobus locis penetratis poteſt eſſe ſimul idem numero corpus, lib. 4.quęſt.6. numer.2.
Implicat contradictionem, idem numero corpus eſſe ſimul in pluribus locis adęquatis non penetratis, ibid.num.3.

M

M*ateria prima*, quę ſit primum ſubiectum formę ſubſtantialis, datur realiter ab ipſa forma diſtincta, lib. 1. quęſt.5. num.1.& 2.
Materię primę definitio explicatur, ibid. numer.3.

Materia prima includit actum eſſentialem metaphiſicum ſui conſtitutiuum & diſtinctiuum à forma, ibid. num.4.
Materia prima ex ſe habet vnitatem ſpecificam ſubalternam, ibid. num. 6. Ex ſe tamen ſolum habet vnitatem numericam negatiue, ibid. num.9.
Materia prima non habet ex ſe & independenter à forma aliquam exiſtentiam partialem, lib. 1. q.7. num.2.
Licet materia prima per acquiſitionem nouæ formę nouam acquirat exiſtentiã, & priorem amittat, per id neque ipſa materia corrumpitur nec generatur, ibidem num 16.
Materia prima vt ſuam erga formam exerceat cauſalitatem, non requiritur, quod intelligatur exiſtens, ibid. num. 21.
Materia prima nec naturaliter nec de potentia Dei abſoluta poteſt exiſtere abſque omni forma ſubſtantiali, lib. 1. q. 8. num. 1. & 3.
In materia prima aptitudo ad formam, potentia & appetitus ad illam, & ipſius formę ſubſtantialis priuatio inter ſe, & ab ipſa materia ſolum ratione diſtinguuntur, lib. 1. queſt.9. n. 1. 2. & 3.
Materia prima indifferenter appetit omnes formas ſubſtantiales, ibid. n. 4. & an appetat formam amiſſam, ibid. n. 7.
Materia prima poteſt terminare actionem partialem ſui productiuam, lib. 1. q. 14. num. 10.
Motus definitio explicatur, lib. 3. q. 1. n. 1.
Illa

Illa mutationibus inſtantaneis phiſicis competit, lib. 3. q. 2. n. 3. Non vero cõuenit mutationibus inſtantaneis intentionalibus, ibid. n. 6.

Motus realiter diſtinguitur à termino à quo, lib. 3. q. 3. n. 2. Nec realiter identificatur cum termino ad quem, ſed ab illo realiter modaliter diſtinguitur, ibi. num. 3.

Motus datur per ſe ad quantitatẽ, qualitatem & vbi, l. 5. q. 1. Ad reliqua autẽ prædicamenta non eſt per ſe motus, l. 5. q. 2.

Vnitas formalis motus non ſumitur ab vnitate mobilis, lib. 5 q. 3. nu. 2. Nec ab vnitate motoris, ibid. n. 3. ſed formaliter ſumitur ab vnitate formali termini ad quem, ibid. n. 5. Cauſaliter etiam poteſt deſumi à diuerſitate termini à quo, ibid. n. 8. & aliquando etiam aduerſitate ſpacij, ibid. n. 11.

Quid requiratur ad vnitatem numericam motus, lib. 5. q. 4.

A quo contrarietas motus deſumatur, lib. 5. q. 5.

Mouens non poteſt moueri ſe ipſum, & omne quod mouetur, ab alio mouetur, lib. 7. q. 1.

Grauia & leuia non à ſe mouentur, ſed à generante, l. 7. q. 2. n. 2. Et eorum motus ab ipſorum forma per modum propriæ paſſionis dimanat, ibid. n. 9.

Motus cordis tribuitur generanti, ibid. n. 9.

Viuentia ad ſuos motus vitales ſe mouent, ibid. n..

Proiecta mouentur à proiiciente & ab aere per impulſum proijciētis concitato, lib.7.q.3.

Mouens & motū & omne agens & paciēs, debēt eſſe ſimul immediatione ſuppoſiti aut virtutis, ita vt nihil agat indiſtans, quin agat in propinquum, l.7.q 4.

N

N*Atura* definitur, l.2. q.1. n.2.
Illius definitio eſt eſſentialis, ibid.

Deus & Angeli habent naturam ſumptam pro eſſentia, non verò vt natura accipitur phiſice, l.2 q.2.n.2.

Compoſitum ſubſiſtens in natura eſt ens naturale, nō tamen eſt natura, ibid.n.3.

Forma totalis compoſita ex materia & forma eſt natura, ibid.

Tam materia quam forma ſubſtantialis eſt natura, ibid. n.4. Et licet forma ſit magis natura, quam materia, vtraque vniuoce eſt natura, ibid. n 5.

Anima rationalis etiam formaliter vt rationalis eſt natura, ibid. n.8.

O

O*Biectum* adæquatum Philoſophiæ eſt ens mobile ſubſtantiale, q.2. procemiali, nu.6. Sub illo non comprahenduntur Angeli, ibid.n.1.

Idem eſt in ſupponendo ens mobile ſubſtantiale, corpus mobile, & ens naturale, ibid.n.17.

Con-

Congruentius aſſignatur obiectum Philoſophiæ ens mobile, quam corpus mobile, aut ens naturale, ibid. n. 18.
Ordo cognitionis à Philoſopho explicatur, l. 1. q. 1.
Cognitio altera confuſa, altera diſtincta, ibid. num. 2.
Aliquid eſt nobis notius, aliquid vero eſt notius naturæ, ibid. n. 3.
Ab vniuerſalioribus ad minus vnuerſalia in cognitione eſt producendum, ibid. num. 4.
A notioribus quoad nos ad notiora ſecũdum ſe in cognitione eſt procedendum, ibid. n. 5.
Primum cognitum à noſtro intellectu nõ poteſt eſſe ſingulare, l. 1. q. 2. n. 2.
Primum cognitum à noſtro intellectu cognitione confuſa non eſt ſpecies ſpecialiſſima, ſed ens, ibid. n. 3.
Primum cognitum cognitione confuſa à noſtro intellectu etiam pro hoc ſtatu nõ eſt ens determinate materiale, ſed ens in communi, l. 8. q. 3. n. 5.

P

Philoſophia eſt vera ſcientia, q. 1. proœmiali, n. 2. Et eſt ſcientia ſpeculatiua, ibid. n. 3.
Philoſophia quoad omnes ſuas partes eſt eiuſdem athomæ ſpeciei, ibid. n. 5.
Philoſophia nec eſt pars metaphiſicæ, nec illi propriè ſubalternatur, q. 2. proœmiali, n. 2.

Prin-

Principia entis naturalis quid ſint, lib.1. q.4. n.2.
Ad ens naturale in fieri concurrunt principia contraria, ibid. n.7.
Principia entis naturalis in fieri ſunt tantum tria, ibid. n.9.
Ad ens naturale in facto eſse ſolum dãtur duo principia, materia videlicet & forma, ibid. n.11.
Forma producta eſt principium entis naturalis, licet ſimul ſit terminus formalis generationis; ibid. n.20. Ipſum tamẽ compoſitum ſolum eſt terminus & non principium, ibid.
Priuatio formæ introducendæ eſt principium entis naturalis in fieri, ibid. n.13.
Priuatio formæ corruptæ ſe habẽs ex parte termini à quo non eſt principium entis naturalis, ibid. n.19.
Agens nõ eſt principium entis, ibid. n.21.
Forma, quæ explicatur per generationem non eſt ipſius generationis principium, ibid. n.23.
Priuatio formæ ſubſtantialis non concurrit, vt principium ad creationem, lib.1. q.4. n.13.
Priuatio formæ genitæ non eſt in eodem inſtanti, in quo ipſa forma producitur, ibid. n.14.
Ad productionem formæ ex materia, quæ nec in ſe nec in aliquo ſui illam tempore præcedit non concurrit proprie priuatio, ibid. n.26.

T

Tempus eſt duratio rerum ſecundum earum mutationem, l.4. q.10.n.1.

Tempus nõ eſt primum mobile, nec aliud corpus, ibid.n.3.

Tempus à motu inferiorum diſtinguitur realiter entitatiue : à motu autem primi mobilis realiter formaliter, ibid.n.4.

Tempus non ſolum pro materia, ſed & formaliter eſt aliquid reale, ibid.n.8.

Tempus eſt numerus motus ſecundũ prius & poſterius, l.4 q.11.n.3.

Differẽtia temporis ab æternitate & æuo, ibid.n 7.

Qualiter intelligatur eſſe vnum nec fluens per omne tempus, lib.4.q.12.n.1.

Partes temporis ſolum exiſtunt per indiuiſibile inſtans, ibid.n.3.

Termini magnitudinis & paruitatis explicantur, l.1.q 18.n.2.

De facto in qualibet ſpecie datur maximũ & minimum poſitiue vel negatiue, ibid. num.6.

Nullum ens naturale habet terminum magnitudinis aut paruitatis, quem de potentia Dei abſoluta excedere non poſſit, ibid.n.7.

Corpora incorruptibilia habent terminum magnitudinis & paruitatis, quem naturaliter excedere nequeunt, ibid.n 8.

Viuentia via generationis & debitæ conſeruationis habent terminũ intrinſecum ſuæ magnitudinis, l.1.q.19. n.2.

Viuentia via corruptionis non habent terminum intrinſecum, ſed ſolum extrinſecum magnitudinis, ibid. n.17.
Non viuentia ſeruato ordine vniuerſi habent terminum ſuæ magnitudinis, lib.1. quæſt.20. num.2.
Non viuentia ſecundum ſuas particulares naturas non habent terminum ſuæ magnitudinis citra infinitum in actu, ibid. numer.3.
Via corruptionis nec viuentia nec non viuentia habent terminum intrinſecum ſuæ paruitatis, lib.1. quæſt.21. num.1. Omnia tamen illa via generationis & debitæ conſeruationis habent terminum intrinſecum ſuæ paruitatis, ibidem n.3.
Termini inceptionis & deſitionis explicantur, lib.6. quæſt.2. n.2.
Motus incipit & deſinit in tempore, eiuſque inceptio explicatur per vltimum illius non eſſe, & deſitio per primum illius non eſſe, ibid. n.3.
In principio motus non datur primum mutatum: bene tamen in fine motus, ibid. numer.8.
Quæ acquiruntur per motum, incipiunt & deſinunt eſſe ſicut ipſe motus, ibid. n.9.
Indiuiſibile mutatum eſſe incipit & deſinit in inſtanti, ibid. num.11.
Subſtantiæ generabiles & corruptibiles incipiunt in inſtanti, lib.6. q.3. n.1. Et deſinunt in tempore, ibid n.3. Si tamen præter naturaliter deſinant per anihilationem, deſinunt in inſtanti, ibid n.5.
Per

Per accidens formæ ſubſtantiales corruptibiles poſſunt incipere per vltimum ſui non eſſe, ibid. n.6.

Corpora cœleſtia naturaliter incipiunt in inſtanti: & ſi deſinant, in inſtanti debent deſinere: abſolute tamen poſſunt incipere & deſinere in tempore, lib.6.qu.4. numer.2.

Angeli non aliter quam in inſtanti poſſunt incipere & deſinere, ibid.n.3.

Totum multipliciter accipitur, lib.1.q.17. numer.1.

Totum phiſicum diſtinguitur realiter à qualibet parte ſeorſum ſumpta, ibidem numer. 2.

Nullum totum phiſicum diſtinguitur realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis, ibid. num.4. Diſtinguitur tamen ratione ab illis, ibid. num.11.

Licet partes ſimul ſumptæ cauſent totum, ab illo realiter non diſtinguuntur, ibid. num.15.

V

VNio materiæ & formæ non eſt ipſa relatio vnionis, ſed potius relatio conſequitur ad vnionem, lib.1. quæſt.16. numer. 1.

Materia & forma ſe ipſis immediate abſque aliquo modo ab illis diſtinctio vniuntur, ibid.num.3.

Vnio naturæ cum ſubſiſtentia propria vel aliena non fit medio aliquo modo ab extremis diſtinctio, ibid.n.5.

Va-

Vacuum quid ſit lib.4. queſt.7.num.1.
Vacuum ſuper naturaliter poteſt dari;non tamen naturaliter, ibid. num.2. & 3.
Si daretur vacuum, per illud poſſet corpus moueri, lib.4. queſtio 8. num 2. & in illo non moueretur in inſtanti, ſed in tempore, lib 4. queſt.9. num.2.
Violentum quid ſit, lib.2 queſt.4 n.1.
Vt ſit aliquid alicui violentum ſufficit, quod ſit contra eius principium paſſiuum per modum naturalis inclinationis, ibid.num.3.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE